





2
3
254









XXXVIIII

~~BOSC~~

Martyrolog.


~~Mediolan.~~

MARTYR.

mediol. BOSC.

MARTYROLOGIVM
MEDIOLANENSE.

Ex legato D: Equitis Antonii
Francisci de Marmis



MARTYROLOGIVM MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ

CVM NOTATIONIBVS
ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.D.

FEDERICO
CACCIÆ

APVD CATHOLICAM MAIESTATEM
SEDIS APOSTOLICÆ NVNTIO
ET ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI

PETRVS PAVLVS BOSCA AVCTOR
Ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum
Protonot. Apostol. & Archipresbyter
Modoetiæ

D. D.





MEDIOLANI,
Apud Impressores Archiepiscopales.
MDCLXXXXV.

II

ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME ARCHIEPISCOPE.



Olent; qui literas nuncupatorias scribunt, lucubrationes suas Mæcenatibus amplissimis dicare; ego verò quid tibi consecrem, prorsus ignoro. Si me ipsum, iam tuus sum mancipio: si opus, tuum omnino est. Quid enim in hoc Martyrologio, nisi tuum, cùm Metropoli præsides Ambrosianæ? Cineres Barnabæ conditoris, lar-

giter

giter effusus Martyrum sanguis, Antistitum infulæ, Virginum lilia, ex quarum Sanctitate cælestis planè odor afflatur, tua sunt in potestate, quandoquidem in Mediolanensis Ecclesiæ vireto floruerunt. Immo quem alium tot infulati Metropolitæ, tot Cælites adirent, nisi te, cuius Insignis Familia, & Lituis pluribus grandescit, & Sanctimoniæ luminibus ipsi etiam Cælo nitorem ingeminat? Edidit quidem olim in lucem Domus clarissima Cacciorum, atauis edita nobilissimis, Probinum atque Ambrosium Mariam Nouariæ Episcopos, hunc Pastoralis vigilantiæ curâ magnis quoque Præsulibus non imparem, illum suo etiam nomine integerrimæ vitæ mores indicantem. Neque verò Familia tua patrijs finibus contenta fuit, alienas terras, Solis instar, collustratura; angustos videlicet limites indignata, queis amplificari posset, includi non posset. Inde Rugerium & Albertum Cacciam Episcopos suos venerata est Placentia, Salona Antonium; vrbs autem Castri iam solo æquati in maceria reliquoque marmore nomen inscripsit Ambrosij, æmulando sic antiquissimos lapides tuæ Familiæ adhuc memores. Neque Pedum tantummodo virtus, sed Astræa quoque gladium, Legum tuendarum causâ, intulit in Domum tuam;

tuam;

tuam; nempe Bartholomæum Cacciam rerum capitalium Præfectum primò, deinde Magistratûs Ordinarij Præsidem supremo illius Tribunalis arbitrio decorauit: latumclauum Michaeli Angelo & Antonio detulit, vt non minùs Patres Conscripti, quàm iuris Patriæque Patres appellarentur. Hi omnes ingenio: alij tui Gentiles consilio præstiterunt. Inter Equites Melitenses eminuit Federicus, cuius nomen famæ buccinâ decantatum geris: Ardicius Imperatori Henrico VII., Stephanus Imperatori Federico III., Ioannes Baptista Henrico VIII. Angliæ Regi a Consilijs fuere; quem tamen Ioannem ita commendant monumenta, vt a Consilijs fuerit Henrico, antequam a Fide Catholica deficeret; quasi verò vnica mens Ioannis Baptistæ mentem regiam regeret; quo ex Britannia profecto, Regis deinde

Mens consili expers mole ruit suâ.

Propiora tamen habemus consanguineæ virtutis Insignia in Octauio fratre tuo Mediolanensis Magistratûs Quæstore: atque adhuc, eo vitâ defuncto, superest immortalis gloria, quam comitate, ingenij dexteritate, admirabili omnium in se beneuolentiâ acquisiuit: atque illum (cùm olim Roma Titum Imperatorem) ciues omnes *generis humani delicias* vocabant.

Sedenim

Sedenim vicit mortalitatis inuidiam Familia tua, seque ipsam supergressa, magnis viris maximos Sanctitate heroas adiunxit, nempe Beatum Thomam, qui Franciscano Ordini, & Beatum Leonem, qui Hieronymiano nomen dedit: vt S. Hieronymus geminum Leonem ostentare posset, alterum sibi obsequentem in Cœnobio, alterum radiantem in astris. Gentilibus igitur tuis iam inter sidera micantibus omnia Mediolanensium Cælitum lumina accedere debuerant: vt eorum fulgore, & gentilitijs fascijs tuis, clariores Zonas collocares in Cælo. Fascijs certè virtutem ac fortunam deuinxisti, cùm etiam adolescens modestiâ, morum grauitate & scientiâ, omnium in te oculos in Braydensi Academiâ conuerteres, quam postea sociam atque ouantem ad Aulæ Romanæ Capitolium deduxisti.

De B. Thoma Martyrolog. Francisc. die 7. Augusti, de eodem autem B. Thoma ac de B. Leone Carolus a Basilica Petri in lib. 1. Nouaria Sac.

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi? Certè vt inibi triumphale virtuti tuæ stadium aperires, vim ingenij exereres, metam attingeres: atque Domum tuam in te vno occidentem, honoribus tuis reuiuiscere ac perennare iuberes. Creatus Aduocatus Consistorialis ornauisti munus amplissimum, quod alijs ornamento est: ascriptus autem Romanæ Rotæ Auditoribus, nodos causarum implicatos Astrææ

gladio

gladio secuisti Innocentio igitur XII. cùm ingenium tuum atque doctrina peramanter placeret, nouum Pontifex veluti Mercurium misit in Hispanias, qui virtutis suæ caduceo pacem optatissimam componeret, & sæuientis Bellonę faces extinguens, exestuantem Martem ad fines Thracios amandaret. Vt Iani æratas fores clauderes, Innocentius claues suppeditauit; Fecialis in Hispania, Legatus ad Iberos, oriri in ijs regionibus gloriam tuam vides, in quibus Sol tendit ad occasum. Hìc tibi delata est Mediolanensis Ecclesiæ infula: hìc te Romanus murex ardet insignire, vbi Austriacæ Aquilæ proximus ad sublimia quæque pergis euolare. Hosce honores detulit tibi virtus: hasce lucubrationes velut munus leuidensæ tibi vectigales offero. Tuum esse iam confessus sum, qualecunque illud est; quod reliquum superest, studium videlicet, voluntatem, & obsequium, quæ tantummodò mea sunt, ea tibi volens lubensque dedico. Bene vale ad perennitatem & perpetuum decus Ambrosianæ Metropolis. Modoetiæ Idibus Augustis Anno MDCLXXXXV.

Dominationis tuæ Illustrissimæ & Reuerendiss.

Humill. addict. obsequent. Seruus
Petrus Paulus Bosca.



Opus

OPus mea omni laude maius perfecit Reuerendiss. D.D. Petrus Paulus Bosca Modoetiensis Basilicæ Archipresbyter, &c. quippè qui conspicienda nostro vni donauit, quæ plurima ante acta sæcula suspexere. Papæ quanta eruditio! Quot ætherea patrij soli ornamenta legentium oculis fideliter subijcit calamus hic optimè argutus! Vix scirem, quid ad vberiores animi in Catholicorum hominum regionibus degentis delicias posset desiderari. Et veritas eloquentiæ; & narrationi prudentia; & claritas doctrinæ; & sententia elocutioni; & pietas omnibus adest. Nullibi læduntur mores: immò potiùs fides orthodoxa vnà cum moribus sanctè imbutis istâ in lucubratione vbiq; triumphat. Quarè præsens Ecclesiæ Mediolanensis Martyrologium typis omninò dignum mihi est: vt antiquum mellifluî, Sanctiq; Antistitis nostri Ambrosij sermone in festo Sanctorum Nazarij, & Celsi effatum, in elogium huius Prouinciæ apud quasque exteras resonet immortale; nobisq;, nihil hœsitando, illud canere liceat: *Ecce populos Martyrum possidemus*; addereq; cum iusto ausu: *& Pontificum, & Confessorum, aliorumq; Sanctorum, ac Sanctarum Dei populos possidemus*; tùm vniuersali subdere cum plausu: *Gaudeat terra nostra nutrix cælestium militum, & tantarũ parens fœcunda virtutum.* Quinto Calendas Nouembris, Anno MDCLXXXXIII.

Ego D. Hieronymus Meazza S. Theologiæ Professor, Cœnobij S. Antonij Clericorum Regularium Mediolani Præpositus, pro Sanctiss. Inquisitione censor librorum, &c.

Imprimatur.

F. Prosper de Leonibus Inquisitor Generalis Mediolani, &c.

Bartholomæus Crassus pro Illustriss., & Reuerendiss. D.D. Federico Caccia Archiep.

Franciscus Arbona pro Excellentiss. Senatu.

MENS.

MENS AVCTORIS.



VVlgauerat Typographia Martyrologium Hispanum, Gallicanum, Franciscanum, Brixianum, Comense, itemque Poeticum, in quibus descripta sunt nomina eorum, qui Hispanias, Gallias, religiosissimum Ordinem S. Francisci, Brixiam atque Nouocomum Sanctimoniâ decorauere, cùm dolui vehementer, Mediolanensi Ecclesiæ hæc monumenta deesse. Et quamquam in Romano Martyrologio passim Sanctos huiusce Ecclesiæ legamus: supersunt tamen adhuc plurimi, quorum nomina tantùm non memoriæ, aut multitudo, aut temporum incuria eripuit. Neque verò ignoramus, fuisse quoddam Martyrologium vetus in Ecclesia Ambrosiana conscriptum a Beroldo, & ab Ioanne Bossa; sed potiùs illud fuit Calendarium, quàm Martyrologium, quemadmodum placet Puricello in Dissertat. Nazar. in calce capitis 97.. Certè in Breuiarijs antiquis Ambrosianis nulla fit mentio Martyrologij; Romani autem in Choro legendi auctor fuit S. Carolus Borromæus, sicuti meminerunt Aduersaria Præfecti Cæremoniarum Basilicæ Metropolitanæ, vbi in pag. 145. Diarij, in Festo S. Syluestri Anno MCLXXXIII. hæc traduntur. *Post Primam hodie primùm cœpit legi in Choro Martyrologium de die sequenti*. Vnde patet, in Officio Ambrosiano haud fuisse solitum legi Martyrologium; licèt Ritum legendi in Ecclesia Martyrologij antiquissimum fuisse doceat eruditè Cardinalis Bona in Tractatu *de Diuina Psalmodia* cap. 16. §. 19., vbi de vsu & de Ritu legendi Martyrologium agit; quamquam *Hugo Menardus in Notis ad Sacrament. S. Gregorij putet, non fuisse in vsu ante tempora Ludouici Pij*.

Intulimus igitur in Martyrologium Mediolanense, non tantùm eorum nomina, quos Romanum Martyrologium commemorat, sed omnium etiam Sanctorum huiusce Ecclesiæ, operæ pretium facturi, si nostratibus atque exteris Cælitum nostrorum nomina indicemus, ac simul Scriptores, qui illorum facta monumentis consignauere. Addidimus etiam nostris Ciuibus Sanctos ex alijs regionibus huc aduectos, propterea quod

in nostris Templis tumulati, nobiscum morantur, donec tuba nouissima extinctos illorum cineres rursus inter sydera ignescere iubeat. Eâdem operâ quæstiunculas aliquas instituimus, ac illustrauimus Oppida & Pagos, in quibus Sanctorum Corpora asseruantur, prætereuntes ea loca, quæ nihil aliud testari possunt, quàm quòd monumenta eiusmodi custodiantur in tabularijs, & monstrent, ex quibus Cœmeterijs sacra lipsana sint effossa.

Neque verò hic labor atticismos quærit, cùm res Ecclesiasticæ Ecclesiasticas dicendi formulas postulent. Scio sacros Oratores appellari Concionatores: sed malo vocare *Prædicatores*; noui nomina pietatis & religionis: at vti volo nomine *deuotionis &c.*. Audiant nonnulli doctissimum Cardinalem Baronium in Notis Martyrol. Rom. ad diem quintum Idûs Nouembris sub litera *b.*. *Mirandum est* (ait) *ex nostris etiam nonnullos Latinæ eloquentiæ studiosos a Saluatoris voce tantopere abhorrere, cuius loco Seruatorem dicunt, tanquam hoc sit Ciceronianum verbum, alterum non sit. Atqui par esset in negotio Fidei, dictionum nostrarum proprietate, Augustino magis, ac cæteris Patribus doctissimis ac Sanctissimis, quàm Ciceroni auscultare &c. Est autem grauis illa sententia Ciceronis lib. 3. de Finibus. Huiusmodi res, ad Philosophiam spectantes videlicet, dicere ornatè velle puerile est &c.. Ego quidem eloquentiæ, & latinè loquendi studium non reprehendo: ita tamen vt religioni seruiat, non imperet.* Hæc Baronius.

Nusquam autem alicui, aut Sancti, aut Beati titulum venerabilem imposuimus, nisi *qui* (vti Arturus a Monasterio in Franciscano Martyrol. profitetur) *aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut Patrum vel virorum Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, tolerantiaque Sedis Apostolicæ vel Ordinarij, coluntur. Hos Sanctos aut Beatos, dici & haberi ab omnibus posse & debere, nemini dubium est.* Reliquias verò, etiam Insignes missas consultò fecimus, ac Dedicationes Ecclesiarum, vnâ Basilicæ Metropolitanæ Dedicatione contenti; quòd Cælitum Corpora indicare tantummodò placuerit: nec vellemus Sacrarum Ædium Consecrationes memorando, fastidium legentibus creare.

Porrò

Porrò Sanctorum plurimorum agmina reiecimus in Notas Calendarum Nouembrium, secernendo tamen aliquos veluti antesignanos, ac suos singulis diebus ascribendo. Certè si Beatos singulorum Ordinum, suo quemque die nominans, enumerare voluissem, vnus Ordo Minorum Martyrologium Mediolanense fere impleuisset. Verùm cùm nonnullorum dies Natalis ignoretur, quæsitus a nobis etiam de industria, dum auctores interrogaremus, ideo illos in Festo Omnium Sanctorum collocauimus. Quòd si aliqua repetita in Notis huiusce Martyrologij occurrent, scias etiam in Notis aliorum Martyrologiorum plura repeti, vt assignentur locis aliquando suis, aliquando alienis; quæ iterata firmiter insiguntur memoriæ, præsertim, si obliuione, aut vetustate, rerum monumenta possint obliterari. Secuti autem ordinem Martyrologij Romani Translationes interdum priori, interdum alijs in locis memorauimus.

Quando autem Mediolanensis Ecclesiæ Acta corrigenda esse indicaui, non ea vtique censeas velim, quæ cælesti afflatu S. Carolus sanxit, sed Tabulam Archiepiscoporum Mediolanensium in illis contentam, quam non esse scriptam ab eodem Sancto Antistite, sed ab alio quopiam auctore viri docti arbitrantur: eamque tribuunt Petro Galesinio Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 39. num. 23., & P. Eustachius a S. Vbaldo in *Commentariolo de Dei Benedictione* Disquisit. 2. § 9. num. 548.

Præterea sicubi celebrari Officium de Sanctis dixi, illud vtique intellige de cultu iam antiquo; nam de alijs celebratum fuisse in hoc Martyrologio significaui, quia nondum ad nos Decretum Sac. Congregat. conditum die 19. Octobris anno 1691. peruenerat, cui nunc omnes parent.

Interea verò dum Typographi hoc opusculum prælo subijciunt, prodiuit in publicum Liber, euius antea & ad diem quintam Maij meminimus, nempe *Commentariolus de Dei Benedictione*, in quo præter plura, quæ ad Ecclesiã Mediolanensem spectant scitè & doctè scripta a P. Eustachio, leges binas Disquisitiones, alteram de auctoribus Hymni *Te Deum laudamus*, alteram de cantu a Diuo Ambrosio in Ecclesiã Mediolanensem inducto. Hæc autem a me nõ aliâ mente vulgata sunt, quã vt laudemus Dominum in Sanctis eius.

PROTESTATIO AVCTORIS.



VM Papa Vrbanus VIII. fel. recordat. die 13 Martij anno 1625. in Sac. Congregat. Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634, quo prohibuit imprimi Libros hominum, qui Sanctitate seu Martyrij fama celebres decesserint, res gestas, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij anno 1631. ita explicauerit: vt nimirum non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores & opinionem, cum Protestatione in principio, quòd ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes auctorem. Huic igitur Decreto, eiusque confirmationi & declarationi parere volens, profiteor, me non alio sensu ea scripsisse, quàm quæ humana dumtaxat auctoritate nituntur; exceptis tamen ijs, quos Sancta Sedes, aut Martyrologium Romanum Sanctorum in numerum relatos esse pronuntiauit. Ita ego profiteor huiusce Mediolanensis Martyrologij auctor

Petrus Paulus Bosca.



S. Am-

S. Ambrosius Serm. in Festo SS. Martyrum Nazarij & Celsi.

AGnoscamus, charissimi, circa Ecclesiam nostram vberiorem Diuinorum munerum largitatem. Exultant felices singularum vrbium populi, si vnius saltem Martyris Reliquijs muniantur. Ecce nos populos Martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cælestium militum, & tantarum Parens fœcunda virtutum.

Idem S. Ambrosius Serm. in Festo SS. Martyrum Octauij, Aduentitij, & Solutoris.

CVncti Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt a nobis, quorum Reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant; isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur.



Antequam Lector humanissime legas Martyrologium, ne grauèris hæc errata, queis peccare solet Typographia, & siqua alia emendare.

pag. 2.	dij earum	*corrige*	dij eorum
	particeps		participes
	in Catalogo Italiæ		in Catalogo SS. Italiæ
	Basilica & Basilisca		Basilissa
3.	Martylogij		Martyrologij
	supertitione		superstitione
4.	Epignaphas		Epigraphas
5.	Sociauus		Sociacus
	Ortodoxij		Orthodoxis
	infestus Nestorij		infestus Nestorio
8.	ex templo		extemplo
9.	sine		siue
13.	fit		sit
15.	prosequente supplicatione		prosequente supplicationem
24.	glodio		gladio
28.	reclusa		inclusa
29.	alijsque citato		alijque citati
38.	a Cælo		ac Cælo
	ordinis suauitate		odoris suauitate
39.	Templuum		Templum
	translatas		translata
42.	Febriarij		Februarij
43.	Gallican a Ecclesiæ		Gallicanæ Ecclesiæ
	exeepta		excepta
55.	Puricellum cap. 54. num. 28.		num. 18.
56.	sub signata		subsignata
60. & 62.	Bossius		Rossius
68.	Martyrol. Rom. qui		quod
78.	Beati Marcellini		Beati Lætij Marcellini
80.	aliæ Societates S. Crucis		aliæ Societates S. Crucis
	singulæ singulos haber		ferè singulæ singulos habent
82.	Rprilis		Aprilis
85.	Ciaonius		Ciacconius
87.	Faustini & Iouita		Faustino & Iouita
123.	Hebriacæ		Hebraicæ
132.	in librum		in libro
146.	Abbatiaque & Monachis		Abbatiæque & Monachis
185.	SS. Italiæ 86.		pag 816.
198.	Eleueadij		Eleucadij
209.	si tu		situ
213.	Socias C. Vrsulæ		Socias S. Vrsulæ
223.	in Sacrario Cremonensi		in Sanctuario Cremonensi
237.	SS. Materni		S. Materni
251.	ocmmodè		commodè
262.	prini		primi
265.	Ciues Mediolanensium		Ciues Mediolanenses
353.	cruiorem		cruorem
377.	ob Vitam S. Eugenij		ob Vitam S Zenobij
390.	S. Eustachius		P. Eustachius
392.	Mentionem faciunt		Mentionem facit
395.	Mirocles reddidit		Mirocles reddit.

VIII



IANVARIVS.

CALENDIS IANVARII.

ROMÆ S. Almachij Martyris, qui sanguinis effusi pretio vitam sibi mercatus est sempiternam. Eius Corpus Mediolanum translatum, in Ecclesia Patrum Capuccinorum, in Regione Orientali vrbis, religiosè colitur: vbi eius Festum pridie Galendas Februarij celebratur.

IANVARII I.

INfantis anni cunabula consecrat Diuus Almachius. An verò hic ille idem sit, cuius hodie meminit Martyrologium Romanum, Petrus Galesinius, Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Ioannes Bollandus in Actis Sanctorum, quem etiam vocat Telemachum (quòd Machiæ finem attulerit) statuere non audeo. Certè si Almachius ille esset, qui hodie Idololatras reprehendit: *vt in Octaua Dominici diei cessarent à superstitionibus idolorum & à sacrificijs pollutis*, maximum vtique decus Mediolanensi Ecclesiæ accederet. Siquidem mos erat, vti docet Gulielmus Durandus in *Rationali Di-*

uinorum Officiorum lib 6. cap. 15. num. 17. Tit. *de Festo Circumcisionis, Paganis atque Gentilibus multas superstitiones obseruare*. Quæ sanè impia superstitio etiam penes Mediolanenses Iani Deorumque inanium cultum reuocauerat; contra quam inuectus S. Ambrosius serm. 17., cui titulus *Increpatio de Calendis Ianuarij*, inquit: *Qui vult esse Diuinorum particeps, non debet esse socius idolorum. Idoli enim portio est inebriare vino mentem, ventrem cibo distendere, saltationibus membra torquere &c.* & paulo pòst. *Quando potestis religiosè Epiphaniam Domini procurare, qui iam Calendas, quantum in vobis est, deuotissimè celebrastis? Ianus enim homo fuit vnius conditor Ciuitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cuius honorem à Gentibus Calendæ sunt Ianuariæ nuncupatæ. Vnde qui Calendas Ianuarias colit, peccat, quoniam homini mortuo defert diuinitatis obsequium.* Denique Mediolanenses hortatur: vt *omni studio Gentilium festiuitatem & ferias declinent &c.* Hinc Calendis Ianuarijs in Officio & Liturgia Ambrosiana mentio frequentissima est de Idolis fugiendis, *confundantur enim omnes, qui adorant idola: omnes dij Gentium Dæmonia &c. Vbi sunt nunc dij earum, in quibus confidebatis, quorum adipem sacrificiorum edebatis &c.* Illa item precatio solemnis est Sacerdotum Ambrosianorum, tam in Sacrificio, quàm in persoluẽdo horarum penso, Deum Omnipotentem orantium, *qui sua mensæ participes à diabolico iubet abstinere conuiuio: vt plebs sua, gustu mortiferæ prosanitatis abiecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedat*; quæ oratio apprimè congruit sententiæ Diui Ambrosij Calendas Ianuarias increpantis. De Processione autem & ieiunio Calendarum Ianuarij vide Nicolaum Serarium lib. 2. de Processionibus cap. 1.

Neque verò ignoramus Genuæ in Ecclesia S. Bartholomæi inter alia præclarissima Lipsana asseruari Corpus S. Almachij Martyris; verùm quis illum eundem Almachium esse affirmet? duos enim iam Almachios reperimus: nisi quis velit Almachium illum bicorporem fuisse; quod monstro esset. De hisce Almachijs ea prorsus dicere possum, quæ de Sancta Basilica scripsit Ferrarius in Catalogo Italiæ: Etenim cùm illa iaceat Parentij, ait, se prorsus nescire, an sit Basilisca, de qua agitur in

Romano Martyrologio die nonâ Ianuarij, an ea, de qua die tertiâ Septembris, an alia; quod Almachio nostro accommodare possumus. Cæterùm de superstitionibus, queis Gentiles olim colebant Calendas Ianuarias, agit Baronius hâc die in Notis Martylogij Romani: eæque superfuere vsque ad tempora S Petri Chrysologi, cuius sermo 155. eiusmodi ireligiosa portenta reprehendit. Vtinam, Calendarum eiusmodi supertitione amotâ, Calendarum itidem Maii & Augusti licentia vnà cum impuris Bacchanalibus tolleretur, quâ Satanas multorum animas irretit.

QVARTO NONAS IANVARII.



Mediolani Sancti Martiniani eiusdem Vrbis Episcopi, qui Ecclesiam sibi commissam sanctitate & doctrinâ illustrauit.

IANVARII 2.

Martinianum, aliàs Maternianum, appellatum fuisse, docet hâc die Baronius in Notis Romani Martyrologij. Ego quidem haud inficior ex Familia Materna (quæ adhuc perennat Mediolani, atque inflexo paulùm nomine vocatur *de Maderni*) ex qua fortasse Diuus Maternus Antistes item Mediolani prodijt, fluxisse etiam Maternianos: quemadmodum ex Æmilijs Æmilianos, ex Seruilijs Seruilianos, ex Marcellis Marcellianos, aliosque complures scimus esse profectos. Illum tamen nobis appellare placet Martinianum: tum quia S. Ennodius Episcopus Ticinensis illum appellat in Epigrammate Martinianum (Ennodius verò, Hormisda Pontifice, Papiensi Ecclesiæ præerat, proximus fere Martiniani temporibus, aut saltem æqualis multorum, qui Martinianum nosse potuerant) tum quia in Missalibus & Breuiarijs Ambrosianis & apud omnes scriptores nostrates Martinianus vocatur. Familia autem Martiniana, seu Mater-

niana, cuius meminit Glandorpius in Onomastico Romano, nunc vulgari appellatione vocatur *Martiniona*, de qua Gaudentius Merula lib. 1. cap. 15. antiquitatum Gallor. Cisalpin.; *nec his* (inquit Merula) *Martinioni carent originibus, qui vetustioribus erant Martiniani, vt videre est in monumento sacrata in Æde Diui Victoris, cuius Templum olim Marti dedicatum fuerat &c.* atque in hanc rem duas profert Epigraphas Martinianorum. Vulgò etiam *Matrignani* appellantur, quorum mentionem inijciunt Tristanus Chalcus in Historia Patria, & Bernardinus Corius parte 1. Hist. Mediolani.

De S. Martiniano agunt Martyrologium Romanum, Galesinius, Ferdinandus Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Bollandus hâc die in Actis Sanctorum, Ioannes de Deis in libro, qui inscribitur *Successores S. Barnabæ*, Ioannes Franciscus Besutius in Historia Pontificali Mediolani, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Ioseph Ripamontius Dec. 1. Historiæ Mediolanensis Ecclesiæ libro 6., Donatus Bossius in Chronicis, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Chalcus lib. 3. Hist. Patriæ, item Catalogi M.SS. de Archiepiscopis Mediolanensibus, tam in celeberrima Bibliotheca Ambrosiana, cuius Præfecturam gessimus annos tredecim, quàm in Bibliotheca Cœnobij Insignis S. Angeli Mediolani, denique Ioannes Petrus Puricellus in Dissertatione Nazariana cap 63. Porrò Claudius Robertus in libro, cui titulus *Gallia Christiana*, enumerat inter Archiepiscopos Rhemenses Sanctum Maternianum: eumque ait, fuisse fratrem Diui Materni Archiepiscopi Mediolanensis, de quo scribemus infra; ex quo patet, Maternianos Ciues Mediolanenses fuisse, cùm, teste Carolo à Basilica Petri Episcopo Nouariensi in Historia Mediolani, Diuus Maternus Ciuis fuerit Mediolanensis.

Cæterùm Hieronymus à Basilica Petri Patricius Mediolanensis, cum quo Theologiæ Mediolani operam dedi, in libro, cui titulus *L'effemeridi Sacre*, vult, sine auctore tamen, Diuum Martinianum ortum esse Germanitiæ, quæ vrbs est Syriæ: alij verò illum esse Venetum affirmant. Sed enim vereor, ne auctor eruditus Ephemeridum hallucinetur, & pro Marolo (qui Syrus fuit, ac in Episcopatu præcessit Martinianum) in Syria natum dixerit Martinianum: nec nisi vnus Scriptor, illum e Venetis

netis prodijsse asseuerat. Quamobrem cùm alioqui Martiniana, seu Materniana, Familia numeretur a nostratibus inter Mediolanenses, & quidem a Romanis profectas, non temerè dicemus, Diuum Martinianum ciuem esse Mediolanensem; quod vtique Patriæ suæ Hieronymus a Basilica Petri gratulabitur. Huic tamen scriptori fidem in alijs abrogatam nolim, memor eorum, quæ in Notis Baronianis Martyrologij Romani ad diem Septimum Idûs Octobres legi, videlicet. *Quòd si ob vnum errorem, vel alterum in Vitis Sanctorum inuentum, cætera, quæ remanent, fide carere dixerimus, profectò omnes fere Sanctorum Vitas in maximum discrimen inducimus, cùm penè in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur: sitque Canonicarum tantummodo Scripturarum singularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcussa, certaque narrentur.*

Doctrina verò S. Martiniani in eo maximè elucet, quòd impietatem Nestorij, titulum Deiparæ Virgini Matri negantis, libro confutauerit, quem ad Theodosium Minorem & Valentianum III. Augustos misit. Doctrinam & Sanctimoniam Diui Martiniani commendauit carmine Benedictus Sociacus in libro 1. Epigrammatum, necnon Nicolaus Brautius Episcopus Sarsinæ in Martyrologio Poetico, quod mœrorem animi leuaturus scripsit; distichon est eiusmodi.

Talis erat scripto, qualis sermone Sacerdos;
Quem viuum Sanctum concio sacra vocat.

Hunc autem puto esse illum Antistitem, quem falsò Martinum appellabant Nestoriani, atque suæ heresis ex Orthodoxis sectatorem; de quo vide Baronium tomo 5. Annalium ad annum Christi CDXXXI.; finxerant enim. Etherodoxi *Martinum quendam Mediolanensem Episcopum esse Nestorianum*, cùm reuera nullus Martinus præfuerit Mediolanensi Ecclesiæ, sed Martinianus hostis infestus Nestorij.



OCTA-

OCTAVO IDVS IANVARII.


Ediolani Festiuitas Sanctorum Regum Magorum Balthassaris, 1. Gasparis, atque Melchioris: qui Iesum infantem, Stella duce, oblatisq; muneribus adorauerunt. Eorum corpora Constantinopoli a Sancto 2. Eustorgio I., Archiepiscopo, ad nostram vrbem aduecta, illâ postmodum a Federico Ænobarbo excisâ, Coloniam Agrippinam asportata sunt; quorum 3. Sepulcrum in Basilica eiusdem Beati Eustorgij hâc die, Ciuitas Mediolanensis, singulari pietate & religione, veneratur.

IANVARII 6.

1. HÆc fuisse nomina Regum Magorum testatur Franciscus Collius parte 2. lib. 3. cap. 3. de animabus Paganorum; quo item in loco describit vir doctissimus vestes Magorum. Affirmat, Reges Magos a Græcis appellari *Gulgalath, Magalath, Sarachin*: ab Hebræis *Apellum, Ameram, Damasium*.

2. Ex Breuiario Ambrosiano ad diem decimam octauam Septembris, Ferrario in Catalogo SS. Italiæ ad eandem diem, Puricello in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ nu. 456. & seqq., Galesinio in Notis ad Martyrologium, Carolo a Basilica Petri in Historia Mediolani in Vita S. Eustorgij, ex omnibus denique Scriptoribus rerum Mediolanensium, ijs præsertim, quorum testimonio vtemur infra, cùm de S. Eustorgio I. agemus. Constat item ex Historia Regum Magorum edita a Melchiore Inchoffer, & Hermanno Crombach ex Societate Iesu,

Iesu, ex Bollando in Actis Sanctorum, Georgio Stengelio, Cornelio a Lapide in caput 11. Euangelij S. Matthæi, Iacobo Gretsero in libro de Festo Natiuitatis & Epiphaniæ lib. 11. cap. 13., Collio libro & parte citata cap. 1., rursus ex Galesinio in Præfatione ad volumen Homiliarum S. Ambrosij contextum a Stephano Leinatio Præposito Ecclesiæ Fulconis vulgò Falcorinæ, Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ col. 42. & 60., denique ex libro Io: Stephani Menochij, cui titulus *Le stuore* parte 1. centuria 1. cap. 76.

3. Res manifesta est ex concursu Populi Mediolanensis ad Basilicam Eustorgianam, quæ olim Basilica Regum appellabatur; est autem hæc inter nobilissimas Mediolani, tum propter antiquitatem, tum propter plurima Corpora Sanctorum ibidem tumulata. Porrò Molanus in Martyrologio die vigesimâ tertiâ Iulij docet, Corpora Sanctorum Magorum eo die translata fuisse Mediolano Coloniam Agrippinam: vt infra docebimus & dolebimus.

Quamquam autem hæc lipsana nobis eripuerit Raynaldus Antistes Coloniensis: attamen illorum nonnullę Reliquię adhuc in hac Diœcesi supersunt. Etenim in Pago Brugherij (qui duo ab Oppido Insigni Modoetiæ millia passuum distat) Ecclesia Parochialis asseruat articulos digitorum auricularium, quos singulis Magorum Corporibus ademisse fertur Diuus Ambrosius, eosque dono dedisse Sanctæ Marcellinæ Sorori suæ, quæ consecrationis velum Romæ consecuta, Mediolanum venit, ac dicitur consedisse in veteri Cœnobio Virginum propè Brugherium, quod etiamnum S. Ambrosio sacrum est, reliquâ ibi tantùm solitudine illius Asceterij, missis a Diuo Carolo Borromæo Sanctimonialibus ad vrbanum Cœnobium S. Catharinæ, quod appellant *ad Clusiam*. Et quidem æquum fuit, vt iuxta Modoetiam Reliquiæ Sanctorum Regum colerentur, vbi olim Ferreo Diademate redimiri Regibus Italiæ erat solemne. Porrò Brugherij (qui Pagus subest Metrocomiæ Modoetiensi) dies Festus Epiphaniæ admodum celebris est: ijque articuli continentur in hierotheca argentea, cælatis inibi simulacris, quæ singulorum Magorum expressam imaginem referunt. Mira narrauit mihi osculanti religiosè

ligiosè illa lipsana Parochus eius Sacræ Ædis; nam ingruente turbine, si proponantur in Ara Reliquiæ, ex templo diffugiunt nimbi: ac nubes onustæ grandinum aliò ad verberandas segetes properant. Eius infortunij morbique comitialis auertendi causâ (vti meminit Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ numero 458 secutus fidem Gualuanei Flammæ Historiographi Mediolanensis ex Ordine Dominicanorum) Mediolanenses in obsidione Federici Ænobarbi ex suburbana Basilica ad Georgianam intra vrbem transtulerant, quòd *valerent contra grandines & tempestates, & succurrerent morbo caduco*. In eodem libro Puricellus fusè agit de Magorum Corporibus, nimirum numero 420., 421., 422., 456., 457., 458. & seqq., quem consule; nam alia trademus, cùm ad diem vigesimam tertiam Mensis Quinctilis p: ruenerimus. Porrò SS. Reges Magos ab Idololatris occisos, & Martyrij Lauream adeptos fuisse, tradunt nonnulli apud Cornelium a Lapide in caput 2. Matthæi versu 2.

SEXTO IDVS IANVARII.


Canobij ad Lacum Verbanum Festiuitas Miraculosæ Imaginis Domini Nostri Iesu Christi, cuius Costa hodie, & feriâ secundâ Pentecostes, singulis annis, maximâ confluentium populorum veneratione & solemni supplicatione, circunfertur.

IANVARII 8.

EX libello edito Mediolani anno 1655., cui titulus præfertur *Relazione dè miracoli auuenuti nel Borgo di Canobio sopra il Lago Maggiore l'anno 1522.*: item ex visitationibus Archiepiscoporum Mediolani, ex actis legitimis, ex Collio libro 4. de Sanguine Christi disputatione 8. cap. 1., vbi auctor miraculum narrat. Canobium Oppidum

clarum

clarum est, cuius meminit Gaudentius Merula lib. 2. de antiquitate Gallorum Cisalpinorum cap. 15., & Paulus Merula in Cosmographia Generali parte 2. libro 4., Paulus Morigius in libro de Lacu Verbano, & Ioannes Franciscus Carmenus. Porrò Lacum Verbanum, & Lacum Eupilim vulgò *Lago di Pusiano* commendat Benedictus Sociacus lib. 2. Epigrammatum. Idem autem prodigium, miraculumque paruæ Costæ narrat Ripamontius, tum dec. 2. fine Parte alterâ. Hist. Mediol Ecclesiæ lib. 15., tum dec. 3 lib. 8. pag. 558. Hist. vrbis Mediolani. Quomodo autem multi Pagi *Burgi* nomine appellentur, consule Carolum a Basilica Petri in 1. lib. Nouariæ Sacræ pag 46., vbi etiam pag. 50. & seqq. explicat, quid sit Cappella, & vnde vocata, & quinam sint Clericatus tradit pag 61. & seqq.

QVARTO IDVS IANVARII.



Ediolani Sancti Ioannis Episcopi, cui spectata vitæ sanctimonia Boni cognomen imposuit.

IANVARII 10.

QVamquam Mediolanensis Ecclesia colat Diuum Ioannem Bonum Idibus Februarijs, vt hodie prosequatur Octauam Epiphaniæ: attamen ille non est dies Natalis. Hic autem Ioannes appellatur Bonus ob egregiam morum probitatem: quemadmodum ob auream dicendi copiam Ioannem vocamus Chrysostomum, Petrum Chrysologum, & Gregorium ob miraculorum gratiam Thaumaturgum. De S Ioanne Bono meminit Martyrol. Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Officia Sanctorum Genuensis Ecclesiæ die decimâ nonâ Ianuarij (fuit enim Ioannes Patriâ Genuensis) Carolus a Basilica Petri, Ioannes Petrus Glussianus in vita S Caroli Borromæi, qui illius Corpus inuentum in Sacra Æde Diui Michaelis sub Domo (hoc est prope Domum Archiepiscopi, in

Viridario, quod forum est Olitorium & Piscarium, illâ postmodum solo æquatâ (cuius aream nunc vnctæ fartorum officinæ insident) in Templum maximum transtulit, vbi in præsens magnificentissimum eidem Sacellum excitatur. Agunt prætereà de eodem Ioanne Catalogi M.SS. superiùs memorati, Galesinius, Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Bollandus, Besutius in libris, quos ante nominauimus, ne crambem recoquamus eandem, Ripamontius lib. 8. dec. 1. Hist. Ecclesiast., liber Successorum S. Barnabæ, Bossius, Ferrarius, Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum, cùm tamen in aliquorum lucubrationes error irrepserit.

Et primò quidem quomodo Theodelinda Regina Longobardorum, & de re Ecclesiastica optimè merita, curare potuit funus Diui Ioannis Boni, cùm Ioannes abierit ad Superos anno DCLII.: Theodelinda autem concesserit e vitâ anno DCXXVI., vt placet Baronio in Annalibus, aut secundùm Chronologiam Iacobi Gordoni ex Societate Iesu anno DCXXIV.? Miror autem toreumata marmorea iam parata esse ad ornatum Sacelli, in quibus hæ exequiæ sunt cælatæ. Multò minus, cùm infulâ Mediolanensi insignitus fuisset, mitti potuit cum legatione a Diuo Gregorio Magno ad Theodelindam; nam Gregorius migrauit ad astra anno DCIV.: & Ioannes Bonus Metropolitanum honorem capessiuit anno DCXLII., eamque legationem obijsse creditur antè, quàm Ambrosianæ Metropoli præficeretur. Nec Pontifice Ioanne Bono nobilissima Modoetiensium Basilica in honorem S. Ioannis Baptistæ condita est, verùm multò antè, anno videlicet DLXXXXV. Hæc tamen facta Diuo Ioanni Bono afficta, illata sunt in tabulas pictas, quæ eius Antistitis res gestas oculis offerunt; pronâ sic multorum credulitate, qui temporum rationes minimè expendunt: sed quidquid legerint, tanquam in Sybillæ folijs descriptum arbitrantur.

Neque verò Ioannes Bonus interfuit Synodo, quam Martinus I. Pontifex Maximus habuit, vt in Actis Mediolanensis Ecclesiæ legimus; siquidem Baronius in Annalibus anno sexcentesimo vndequinquagesimo hæc tradit. *Quod autem neque Mediolanensis interfuisse legatur, neque alij Galliæ Cisalpinæ Episcopi*

copi, sanè intelligere possumus, vetitos illos a Rothari Longobardorum Rege Ariano tunc magnopere Italiam infestante &c. Illud autem omnino aberrat a vero, quòd a Theodoro I. Pontifice missus fuerit legatus ad Theodelindam; nam Theodorus, si credimus Gordono, Pontificatum maximum iniuit anno DCXLII., cùm iam dudum Theodelinda desiuisset esse in terris. Theodoro quidem Pontifice creatum fuisse Ioannem Archiepiscopum Mediolanensium crediderim; etenim Constantius Archiepiscopus decesserat anno DC., vti Baronius testatur in Annalibus: Deusdedit, siue Adeodatus Successor, cuius meminit S. Gregorius Papa lib. 8. Epistolarum cap. 65., rexit Mediolanensem Ecclesiam annos viginti octo, Asterius annos decem, deinde Phortius annos tres, in cuius locum suffectus est Ioannes Bonus & quidem Genuæ creatus, quòd ibi Clerus Populusque Mediolanensis ob Longobardorum dominatum subsisteret. Itaque, supputatâ ratione temporum, Ioannes anno DCXLII. infulâ Mediolanensi est ornatus: præfuitque Metropoli Ambrosianæ annos decem, quemadmodum narrant Ferrarius, Besutius, ac Ioannes de Deis: ac proinde viuere desijt anno DCLII. Onuphrius autem Panuinius & Robertus in Gallia Christiana, qui annos pariter decem Pontificatui Ioannis Boni assignant, videant, quomodo eundem ad annum sexcentesimum vndesexagesimum protrahant.

Cæterùm illud insigne miraculum Sanctimoniam Ioannis Boni prodit, quòd cùm sępius Bergomum se conferret, vt cum amico suo, viroque Sanctissimo Ioanne eius vrbis Episcopo colloqueretur, secumque ageret de re Catholica tuenda, flumen Adduam, quod agrum Mediolanensem, atque Bergomatem intersecat, calcasse pedibus dicitur. Itaque Gregorius Bulzius in Prima Parte Lararij Poetici duplici Epigrammate, vnoq; disticho commendat Ioannem Bonum, quòd Adduam sicco pede traiecerit; nos vno contenti erimus.

S. Ioannes Bonus Episcopus Mediolanensis
Adduam sicco pede traÿcit.

Vasta fluentisono sese obÿcit Addua riuo,
Mysta Bonus captum cùm properaret iter.

Alnus abest omnis; quare generosus in vndas
It pede: & impauidum sustinet vnda pedem:
Tam benè se prabet calcabile flumen eunti:
Vt compressa pedes gutta nec vna riget.
Est Aqua calcatæ solers hìc æmula Terræ:
Nil tibi Terra hæret, Vir Bone, nil & Aqua.

Itidem Brautius in Martyrologio Poetico in hanc rem disti-chon scripsit.

Nomen habet Bonus insigni Bonitate refertus,
Qui pedibus siccis transijt amnis aquas.

Genuensis Ecclesia, quo die celebrat Festum S. Ioannis, hæc addit Martyrologio, nimirum. *Genuæ S. Ioannis Boni Genuensis, Episcopi Mediolanensis & Confessoris, qui in magna Barbarorum perturbatione Ecclesiam sibi commissam summa constantia ac Sanctitate administrauit.*

IDIBVS IANVARII.


Ediolani, in Cœnobio Sanctæ Marthæ, Natalis Beatæ Veronicæ Virginis, Ordinis Sancti Augustini, vitæ Sanctitate, & mirabilium visionum dono illustris, quam Leo X. Summus Pontifex Beatarum Virginum albo ascripsit.

IANVARII 13.

RES gestas Beatæ Veronicæ scripserunt Isidorus Isolanus, Bollandus in Actis Sanctorum, Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum ephemeridum, & alij plures: eiusque meminit Ripamontius Dec. 3. lib. 8. Historiar. vrbis Mediolani, necnon lib. 15. Dec. 2. Hist. Mediol. Eccles. Philippus Picinellus in Elogijs extemporalibus, Breuiarium, quo vtuntur Augustinenses, eorumque Martyrologium die vigesimâ octauâ Ianuarij, quo die celebrant Officium duplex de Beata Veronica, Aloysius Torellus tomo 7. seculo-

rum Augustinensium, denique Augustinus Aleuazolus in erudito opere, quod inscribitur *La Reina de Martiri* Parte 2. in calce capitis primi, & Bagatta in tomo 1. & 2. admirandorum orbis Christiani. Beatam autem Veronicam Leo X. in Beatarum Virginum numerum retulit, vt ex Bulla Beatificationis die 15. Decembris anno MDXVII., & ex Breui fel. recordationis Vrbani Papę VIII. die 30. Maij anno MDCXXIV., nouissimè verò nomen Beatæ Veronicæ accessit Martyrologio Romano ex Decreto Sac. Congregationis Rituum die 6. Februarij anno MDCLXXII.

Appellatur vulgò Beata Veronica de Binasco, quoniam in Oppido Binasci orta est, sed condita est Mediolani in arca affabrè elaborata, quæ exponitur adorationi Fidelium eius die Festo, asseruaturque religiosissimè sub ara maxima Cœnobij clarissimi S. Marthæ Mediolani. Oppidum illud Gaudentius Merula lib. 1. de antiquit. Galli Cisalp. cap. 6. vocat *Binas*. Ex hoc item Oppido prodijt Beatus Gandolphus Ordinis Minorum, cuius memoria colitur pręcipuè Politij in agro Cephalœdensi, vbi celebratur Officium de eodem. Commendantur eius res gestæ in Martyrologio Franciscano decimo sexto Calendas Octobres, & ab Octauio Caietano Societatis Iesu tomo 2. de Sanctis Siciliæ; qui in animaduersionibus testatur, templa, aras, & imagines in Sicilia eidem positas fuisse cum Epigrapha *Sanctus Gandolphus*. Hæc placuit addere; quia, licèt Binascum sit Diœcesis Papiensis, pertinet tamen ad Ducatum agrumq; Mediolanensem: ideoque in Notis ad idem Martyrologium Franciscanum hæc leguntur. *Oriundus fuit* (nempe Beatus Gandolphus) *è Binasco in Territorio Mediolanensi &c.* Beatam autem Veronicam Bulzius trino Epigrammate laudat; nos vnum seligimus ex ijs.

De Beata Veronica Virgine Mediolanensi.

Iesus cum ea recitans Diuinas Laudes, monet quærentem versiculos.

Officij soluit dum pensa Sacrata diurni
Soluit cum Christo Virgo adamata Deo.
Cùm proferre suum tardat Virguncula versum,
Christus, vt hunc memori proferat ore, monet.

Virgo

Virgo tardat adhuc: patiens comes ipse moratur;
Donec sunt verso verba reperta libro.
Sub finem Officij repetet si sidera Numen,
Sæpe ego versiculos non reperire velim.

DECIMONONO CALENDAS FEBRVARII.



Ediolani Sancti Datij Episcopi & Confessoris, cuius Sanctitatem, præsertim in fugandis Dæmonibus, Sanctus Gregorius Papa commemorat.

IANVARII 14.

DAtius Insignis est Sancti Gregorij Magni testimonio in libro Dialogorum tertio cap. 4., cui accedunt Martyrologium Romanum, in cuius Notis citat Baronius Cassiodorum & Procopium de Sancto Datio agentes: Item Missale ac Breuiarium Ambrosianum, Baronius in Annalibus anno DXXXVIII., Galesinius etiam in Præfatione ad Homilias Leinatij, Catalogi M. SS., Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Ripamontius Decade 1 lib. 7., Vgellus tomo 4., Bollandus, Besutius in Hist. Pontific., Chalcus lib. 3. Historiæ Patriæ, Hieronymus a Basilica Petri in libro Ephemeridum, liber Successorum S. Barnabæ, Acta Mediolanensis Ecclesiæ (in quibus perperam dicitur conscripsisse libros Annalium) denique Cardinalis Robertus Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Verùm bonâ tanti Cardinalis veniâ, non hic Datius, sed alter multis pòst seculis scripsit Chronica. De hac re ita iudicat Cardinalis Ioannes Bona in notitia Auctorum ad librum de Psalmodia: *Datio* (ait) *Episcopo Mediolanensi falsò adscriptum Chronica, vt censent viri docti.* Et ita quidem censuit Puricellus vir plurimæ eruditionis in Vita S. Laurentij Littæ cap. 11. num. 2. & cap. 20. num. 17., vberiùs verò capite vndequadragesimo in Dissertatione Nazariana num. 10. & sequentibus. In Bibliotheca autem Ambrosiana seruatur

Histor. S. Datij, quæ tamen habet auctorem Landulphum de S. Paulo. Duo autem fuerunt Landulphi senior & iunior, de quibus Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 37. nu. 6.

Porrò cùm annis superioribus, annuente Eminentissimo Cardinali Litta Archiepiscopo, Reliquię Insignes Sanctorum Datij, Protasij, & Miroclis Archiepiscoporum, effossæ ex arca, quæ læua est, ac proxima aræ subterraneæ in Basilica S. Victoris Mediolani, vbi compositi fuerant a S. Carolo eorundem Sanctorum Cineres, transmissæ sunt Pisas, atque ibidem summo honore collocatæ in Templo S. Frigdiani Clericorum Regularium S. Pauli, prosequente supplicatione religiosissimo Cosmo II. Magno Etruriæ Duce: nonnulli Diuum Datium Pisanum esse ciuem affirmauerunt. Ea opinio Mediolanensium animis religionem iniecit, ne quis Ciuitati nostræ Ciuem Sanctissimum neget. Qua propter Pisani Cælites nostros, vt prona ad pietatem inclyta illa Ciuitas est, eâ venerentur lege: ne ciues Mediolanensibus adimant, refragantibus omnibus Scriptoribus nostratibus, qui Datium in Oppido Alliati natum fuisse asseuerant, quod est inter Metrocomias Montis Briantęi: Iuuat hìc scribere Epigramma Bulzij commendantis Diuum Datium, quòd Corinthi domum a stridoribus stygijs asseruerit, cùm illâc iter faceret, Mediolano ab Arianis exactus, ac proficisceretur Byzantium, quod nos in Micrologo de Serpente æneo tradidimus: atque identidem describemus Epigrammata Bulzij, nec quidem omnia: ne alieno labore crescat opus.

Arcet ab infesta nocuis clamoribus æde
Pluto viros. Audax, sit licèt hospes, abit.
Tecta subit Mystes animosus inhospita; lustrat
Illa suis oculis, gressibus illa suis.
Absona vox subitò cessat: domus exhibet vltrò
Vel trepidis gratum ciuibus hospitium.
Vrbs quid non speres Datio tibi Præsule? quando
Nec terrere finit Tartara, ne noceant.

In idem argumentum allusit ingeniosè Brautius; expulsus enim e Sede Metropolitana Datius, a sede sua Dæmonem exterminat.

Dæmonis

Dæmonis impulsu Datius de Sede repulsus,
Pellit ab antiqua Dæmona Sede procul.

Sunt, qui Diuum Datium ex Familia Alliatorum procreatum velint; inquit enim Ferrarius in Notis ad hanc diem in Catalogo SS. Italiæ, *ferunt S. Datium Mediolani ex Alliatorum Familia eo tempore nobili procreatum*; verùm quid de Familijs eiusmodi vetustis senserit Carolus a Basilica Petri proferemus infra die quintâ Maij, cùm de S. Geruntio Mediolanensium Antistite scribemus.

DECIMOQVINTO CALENDAS FEBRVARII.



Romæ Sanctæ Liberatæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolani in 1. Ecclesia Monasterij Maioris condigno honore seruatur. Item Romæ Sanctæ Priscæ Virginis & Martyris, 2. cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sancti Apollinaris piè collocatum est.

IANVARII 18.

1. EX tabulario Insignis Monasterij Maioris Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti; de quo plura tradit Paulus Morigius in Sanctuario Vrbis & Diœcesis Mediolanensis, & Puricellus, non modò in Dissertatione Nazariana cap. 23., vbi describit turrim orbiculatam eiusdem Monasterij, in qua olim impietas vinctos incluserat Sanctissimos Martyres Victorem, Geruasium, atque Protasium, verùm etiam in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 229. & in Vita S. Laurentij Littæ cap. 15., ac Tristanus Chalcus lib. 5 Historiæ Patriæ. Quod autem Sanctos exteros nobis vendicemus, quorum Corpora in Vrbe vel in Diœcesi quiescunt, inde est, quia illos nostrâ veluti Ciuitate donatos arbitramur, cùm inibi perpetuo domicilio frui debeant.

2. Ex

2. Ex Tabulario Sanctimonialium S. Apollinaris Ordinis S. Claræ, & ex Vita S. Fausti, quam scripsit Antonius Coherez Minorita. Porrò hæc Prisca alia est ab ea, cuius hodie meminit Martyrologium Romanum, quemadmodum Cælites reliqui, quorum fit mentio eisdem diebus in Romano Martyrologio. Irrepsit enim hic mos (quem nos verbis Henschenij reprehendemus ad diem nonum Calendas Augusti) vt quicunque sacra lipsana acceperint, statum diem eorum cultui addicant, quem in Romano Martyrologio Superis eiusdem nominis sacrum nouerint: atque ideo hodie Priscam in Cœnobio S. Apollinaris, Liberatam in Monasterio Maiori coli putamus, quòd in Martyrologio Priscæ Romanæ, & Liberatæ Virginis Nouocomensis iniecta sit mentio. Cæterùm de Asceterio S. Apollinaris agit Lucas Vuadingus in Annalibus tomo 1., 5., & 6., necnon Franciscus Gonzaga in Historia Seraphicæ Religionis parte 2. de Prouincia Mediolanensi Monasterio Sexto, & Franciscus Haroldus in Epitome Annalium Vuadingi sect. 1. & 2. editâ Romæ per Tinassium anno MDCLXII.

DECIMOTERTIO CALENDAS FEBRVARII.



Omæ S. Sebastiani Martyris, Ciuis Mediolanensis, qui, Diocletiano Imperatore, cùm haberet Principatum primæ cohortis, sub titulo Christianitatis iussus est ligari in medio campo, & sagittari a militibus, atque ad vltimum fustibus cædi, donec deficeret.

IANVARII 20.

ET quidem coronatus martyrio triumphauit Romæ Sebastianus: sed lætiorem agit triumphum in Cælis. Verùm quo iure Ciuis Mediolanensis appellari possit, docet Iurisconsultus celeberrimus Andreas Alciatus in Hist.

Mediol. lib. 3.: idemque testatur Chalcus in calce lib. 1. Hist. Patriæ, nisus testimonio S. Ambrosij in Psalmum 118., quod hic inserimus. *Sebastianus Martyr, cuius hodie Natalis est, Mediolano oriundus est: fortasse aut iam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic* (nempe Mediolani) *aut nullum esse, aut tepere certamen, Romam profectus est, vbi propter fidei studium persecutiones acerbæ feruebant: ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic, quò hospes aduenit, domicilium immortalitatis perpetuæ collocauit.* Hæc verba ipsissima S. Ambrosij in periocha rerum a Diuo Sebastiano gestarum legunt Mystæ Ambrosiani ad matutinas preces: atque eadem omnino sensa carmine inclusit hymnus, quo Cæsar Cardinalis Montius Archiepiscopus, vt erat Sacrorum Rituum amantissimus, Sancti Conciuis Sebastiani facta illustranda curauit: eumque Hymnodiæ Ambrosianæ adiunxit. Eius est initium.

Sebastiani Martyris
Conciuis almi, supplices
Diem sacratum vocibus
Canamus omnes debitis.

Mox sequuntur sensa Diui Ambrosij

Athleta Christi nobilis,
Ardens amore prælij,
Linquit tepentem Patriam,
Pugnamque Romæ destinat &c.

Cæterùm natale cubiculum tanti Martyris colunt, domesticum veluti Lararium, Sanctimoniales Diui Erasmi in Regione Noua Mediolani, quemadmodum mihi narrauere Sacerdotes, qui earum Virginum ęgrotantium confessiones audituri, Cœnobium ingressi, ad illud cubiculum deducebantur, tanquam pignus reliquum domûs, in quâ Parens Mediolanensis Sebastianum est enixa. Quamquam Reliquias etiam Insignes eius Diui habemus, nempe in eius Templo Costam vnam (quam dono dedisse Pium II. Pontificem Maximum fama est) ac in Basilica Ambrosiana Brachium: & Nouarienses in Templo maximo sagittam seruant, quâ S. Sebastianus confossus fuit, vti narrat Carolus a Basilica Petri in lib. 1. Nouariæ Sacræ.

Porrò

Porrò si quis me interroget, quare Diuum Sebastianum, abigendæ luis gratiâ, cælestem auerruncum putemus: respondebit percunctanti Cardinalis Baronius in Notis Martyrologij Romani hâc die, Alciatus eodem lib. 3., Ioannes Petrus Glussianus in vita S. Caroli lib 4. cap. 5, Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Ecclesiast. ac lib. 9. Bagatta tomo 2. in admirandis orbis Christiani. Quapropter Diuus Carolus Borromæus, grassante Mediolani pestilentiâ anno MDLXXVI (vti narrant Glussianus ibidem, & Ripamontius lib. 4. in Vita pariter eiusdem S. Caroli) *ab materna origine reputans, Diuum Sebastianum esse vrbis huius Ciuem, sperabat in tanto publico malo, velut alteri Patriæ non defuturum, si purè pièque inuocaretur &c.* Auctor deinde Diuus Carolus fuit, vt votum ei nuncuparet Ciuitas Mediolanensis; affirmabat enim, fore *vt ante Calendas Ianuarias depelleretur pestilentia.* Nec vaticinia Sanctum Antistitem fefellere; siquidem *ad eam diem, quæ finem allatura malo prædicta fuerat, abijt pestilentia ex vrbe: Martyriq; liberatori Templum posuere ciues in ijsdem vestigijs, vbi posita vetus Ædicula Martyris eiusdem fuit, donaque illuc portauere, & festus Diuo Sebastiano dies quot annis inde vrbi agitur.* Immo & peruigilium tandiu ieiunio deuotum fuit, quandiu vixere, qui astricti fuerant voto: vti videre est in libris vetustis Ambrosianæ Liturgiæ. Supersunt adhuc in parte 7. Actorum Mediolanen Ecclesiæ Literæ Postorales Diui Caroli, quarum titulus est: *Literæ de tribus Solemnibus Processionibus voti publici causa.*

Et quidem excitata fuit a ciuibus insana Templi celsissimi moles Diuo Sebastiano, digna Ciuitate, digna Ciue (cuius meminit Morigius in Sanctuario). Etenim Romanum Pantheon imitatur sublimi fastigio atque orbiculato secundùm architectonicen Peregrini de Peregrinis, qui seculo superiori Insubrum Archimedes fuit. Illic hodie singulis annis rem sacram velatus infulâ peragit Archiepiscopus, Liturgis omnibus Ædis primariæ comitatus: illuc Patres Conscripti, Præfectus vrbis cum Ædilibus, atque cum omnibus artificum vrbanorũ Collegijs pergunt, veneraturi liberatorem suum voti causâ, simulque anathemata allaturi. Eius Reliquiæ, quę anniuersariâ

 suppli-

ſupplicatione hodie deferebantur, proſtant quidem in ara maxima, ſed iandiu carent honore ſupplicationis. Paucis abhinc annis Pręfecti eius Templi Epigrapham, quam nos ſcripſimus, incidendam in marmore curarunt: iamque impendet foribus Portę maioris, ſeque obijcit oculis egredientium e ſacra Æde.

Olim a Romana Eccleſia, ad expugnandos Catholicæ Fidei hoſtes, inuocari conſueuiſſe S. Sebaſtianum vnà cum Sāctis Mauritio & Georgio teſtatur Ordo Romanus *de Diuinis Officijs in fine*, citatus ab Eminen. Baronio in Notis Martyrologij Rom. ad diem nonum Cal. Maij.

Hìc verò ſcientes omittimus Scriptores, qui de S. Sebaſtiano ſcripſere, præter Bollandum, Ferrarium, alioſque noſtrates atque exteros. Duo Poetæ laudauere Sebaſtianum, Bulzius videlicet plurimo carmine, & triplici diſticho Brautius, cuius vltimum deſcribemus, nempe

De innocua ſagittatione eiuſdem.

Fortior ægra cutis ter triplice Martyris ære
Icta, ſagittarum reſpuit omne genus.

Voti etiam ciuium Mediolani, ob auertendam peſtem, meminit Carolus a Baſilica Petri in Vita S. Caroli lib. 4. cap 5.

VNDECIMO CALENDAS FEBRVARII.



Omæ Sanctorum Criſpini & Paulini Martyrum. Eorum Corpora Mediolani in Templo Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Glaxiate vnà cum pluribus alijs Beatorum Martyrum Corporibus honorificè aſſeruantur.

IANVARII.

EX Tabulario Inſignis huiuſce Templi, quod religioſiſſime colunt Cœnobitæ Ordinis S. Benedicti. Abbas Placidus Pucinellus in Chronicis eiuſdem Templi enumerat Corpora Diuorum ibidem quieſcentia; verùm in præſens hæc

tantùm

tantùm Corpora in Sacrario eiusdem Templi seruantur, videlicet Sanctorum Martyrum Martiniani, Probi, Hyacinthi, Petri, Irenæi, Cyriaci, & Mariani, præterea Sanctarum Virginum & Martyrum Iulianæ, Mauræ, Foschæ, Rusticæ, Victoriæ, Purissimæ, Agnetis, Restitutæ, Bonæ, Hieronymæ, Iuliæ, & Aureæ; quæ omnia inspecta sunt in Curia Archiepiscopali, præter Reliquias eius Templi, quas Morigius enumerat in Sanctuario, queis, paucis abhinc annis, accessere Insignes Reliquiæ S. Mauri Abbatis Segusio huc allatæ, & pretiosissimâ hierothecâ conclusæ.

Hodie in Martyrologio, seu Gynecæo mulierum, & apud alios Scriptores, Beatæ Theodelindæ Reginæ Longobardorum memoriam inueni; hâc enim die migrauit e vitâ. Fuit illa mulier eximiè pia, & Fidei Orthodoxæ propagandæ studiosissima, ac Templorum ab ea conditorum magnificentiâ illustris, præcipuè ob Basilicam S. Ioannis Baptistæ Modoetiæ ab eadē maximo sumptu ædificatam & locupletatam: ideoque a Diuo Gregorio, Cardinali Baronio, pluribusque alijs Scriptoribus commendata. Verùm eandem consultò præterimus, tum quia titulo quidem pietatis insignis est, sed nondum apotheosi donata: tum quia in Monumentis Basilicæ Modoetiensis, quæ scribere insistimus, de Theodelinda fusè scripsimus, presertim eius libri capite quarto; & quamquam in visitatione huiusce Basilicæ, quâ Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus eandem inuisit, constet, Theodelindam ex antiquâ traditione vnà cum S. Elisabeth Matre Præcursoris apparuisse Ædituo, ac sedem certam indicasse, in quâ Reliquiæ olim a Diuo Gregorio Magno eidem missæ delitescerent; quæ apparitio Reginæ beatitatem alioqui monstrare posset: attamen hodie in Insigni Basilica S. Io: Baptistæ Modoetiæ quotannis Theodelindæ, grati animi causâ, iusta persoluuntur: neque Canonici illud pietatis officium omittent, donec oraculum Sac. Congregat. Rituum non audiant.

Eadem ferè dicimus de Theodosio seniore, Imperatore Summæ religionis & pietatis qui vitâ defunctus est Mediolani decimo sexto Cal. Februarij anno CCCLXXXXV., quem Diuus Ambrosius epicedio insigniuit, & Petrus de Natalibus lib. 12. cap.

93.

93. Sanctis annumerat; nam illius probitatis testimonium faciunt quidem auctores: verùm de illius apotheosi nondum liquet; quamquam Bollandus in Actis Sanctorum, Decimo sexto Cal. Februarij, plura in hanc rem congerat.

SEXTO CALENDAS FEBRVARII.



Ipæ ad Lacum Lucanum, in Diœcesi Comensi, Beati Manfredi Presbyteri & Eremitæ, Ciuis Mediolanensis, generis nobilitate ac Sanctitate preclari.

IANVARII 27.

IN Pago Ripæ asseruatur honorificè Corpus Beati Manfredi, ad cuius Ædem sacram mirabiliter delatum est; hæc enim legimus in Martyrologio Comensi, videlicet: *Beati Manfredi sanctitatem Deus in morte testatam voluit; nam & sacra metalla, nullo agitante sonuerunt: & incolis proximorũ pagorum de sepulturæ loco contendentibus, plaustrũ, cui Corpus impositum fuerat, iuuencis tractum indomitis, mirabiliter per montis crepidines ad Ripæ Ecclesiam delatum est &c.*

Quæ miracula Brautius disthico commemorat;

Manfredi mortem produnt agitata metalla.
Dissidium tumuli composuere boues.

Nomen autem Beati Manfredi legimus in Catalogo Beatorum Comensium, qui collocatus est in calce Officiorum Comensis Ecclesiæ, eiusque meminit Ferrarius in Catalogo SS Italiæ, & Ioseph Ferrarius in oratione de rebus gestis S. Gerardi Modoetiensis, cum quo vixisse creditur Beatus Manfredus, denique auctores omnes, quorum testimonio vtitur vir literatissimus Aloysius Primus de Tattis auctor Martyrologij Comensis, & Dec. 2. lib. 7. Annalium Sacrorum vrbis Comi, nouissimè verò Ioannes Bonifacius Bagatta in admirandis orbis Christiani tomo 1. & 2.

Fuisse verò Ciuem Mediolanensem ostendit Hymnus Ecclesiæ Ripensis, cuius est exordium.

Mediolani Ciuitas
Ad nos Manfredum dirigit,
Qui vitam suam voluit
Eremitarum ducere, &c.

Eumque ex clarissima Septaliorum familiâ ortum fuisse, testantur Auctores in Notis eiusdem Martyrologij, præsertim Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum, & Bollandus in Actis Sanctorum die vigesimâ octauâ Ianuarij; licèt illius dies festus hodie a Ripensibus celebretur. Porrò Diuum Manfredum putamus vixisse anno MCCX.; subscribimus enim Tatto; quandoquidem si Manfredus socius fuit S. Gerardi (isque euolauit ad superos anno MCCVII.) eodem quoque seculo vixisse Beatum Manfredum vero simile est.

Quòd si de Lacu Lucani aliqua scire velis, vulgò *Lago di Lugano* (illum etenim Lucani appellant, ab Oppido Lucani) consule Bonauenturam Castillionæum lib. de Gallorum Insubrum antiquis sedibus, & Gaudentium Merulam lib. 2. de Gallorum Cisalpinorum antiquitate cap. 15.

QVARTO CALENDAS FEBRVARII.



Ediolani Sancti 1. Aquilini Presbyteri & Martyris, qui ab Arianis gladio in gutture transuerberatus, martyrio coronatur. Romæ Sancti Felicis 2. Martyris, cuius Corpus Mediolanum translatum est, atque in Ecclesia Sanctæ Radegundæ deuotè collocatum.

IANVARII 29.

1. PRæferimus Aquilinum Felici, quoniam de Aquilino Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium: quemadmodum die sequenti Sauinam præponemus Virgini

Marti-

Martinæ, quòd de Sauina Ecclesia Mediolanensis Officium peragit: de Martina verò Liturgi tantùm, in quorum Ecclesia illa quiescit; quod etiam alibi præstabimus, eius antea monentes: ne quis me reprehendat, si Mediolanum Romæ, si Viduas Virginibus, Confessores Martyribus &c. anteponam.

Igitur Diui Aquilini sanctitatem vel ipsæmet exuuiæ mortales ostendunt; quippe illius adhuc Corpus integrum, incorruptum, ac tractabile est post multa secula: atque hodie a Populo Mediolanensi, ad eius tumulum venerationis causâ confluente, singulari deuotione colitur. Natus est Aquilinus Herbipoli, vulgò *Vuirtzburg*, quæ vrbs est Episcopalis Germaniæ ad Mœnum; ad illam allusit Brautius, atque ad Mediolanensem, quam vocat Archipolim, hoc est vrbem Archiepiscopalem, & Principem Insubrum;

Herbipolim vanum fugiendo reliquit honorem:
Obtinet Archipoli Martyr in vrbe locum.

Fugâ autem se infulæ subduxit Aquilinus, cum, refutato Archiepiscopatu Coloniensi, Lutetiam Parisiorum adijt, quam vrbem peste laborantem mirabiliter liberauit. Inde Papiam, ac tandem Mediolanum venit: vbi inuectus in Arianorum sectam, cùm quotidie ad Basilicam Ambrosianam, Diuum Ambrosium vtpote olim Arianis infestum, veneraturus se conferret, in itinere ab eisdem glodio confoditur: statimque claruit miraculis. Quo autem tempore coronatus fuerit martyrio, disputat fusè Puricellus in Dissertat. Nazariana cap.71. num.4: atque existimat, nec ante annum Christi DLXX., neque post annum DCC.; Ferrarius verò in Catal.SS.Italiæ in Notis hæc tradit. *Quo tempore Sanctus Aquilinus vixerit, & Martyr occubuerit, ex historia eiusdem minimè apparet. Coniectura est, illum sub Theodorico Rege, Arianorum Patrono, passum esse &c.*; quemadmodum idem Theodoricus Sanctum Seuerinum Boetium Papiæ securi feriri iussit, quòd Arianos impio Regi acceptissimos confutasset, sicuti narrat Ferrarius in eodem Catal. ad diem decimum. Cal. Nouembris, quâ die Ticinensis Ecclesia doctissimum illum Martyrem anniuersario colit Officio.

De Sancto Aquilino agit Martyrologium Romanum, Breuiarium & Mis-

& Missale Ambrosianum, Lectionarium, quo vtuntur Canonici Regulares Lateranenses, rati, Diuum Aquilinum ex suo instituto prodijsse: *cùm adolescens in Canonicorum, qui cum Episcopo Coloniensi viuebant, Collegium fuerit cooptatus*. De eo item agunt Ferrarius in supradicto Catal., Galesinius in suo Martyrol., Puricellus etiam in Vita S. Laurentij Littæ, Gabriel Pennottus in notis ad Lectionarium paulò antè memoratum, ac in Historia tripartita lib. 2. cap. 26., Morigius in Sanctuario, & in Hist. lib. 2. cap. 22., Ioannes Franciscus a Basilica Petri in libro de Septem Ecclesijs Stationalibus Mediolani, Ioannes Baptista Villa in libro de ijsdem Ecclesijs, Ioseph Milanus in Vita S. Aquilini, Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Ioannes Petrus Glussianus in libro de eisdem Septem Ecclesijs, Philippus Picinellus in Elogijs extemporalibus, Hieronymus a Balica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum, qui Vitam Diui Aquilini ex Bollando in Actis Sanctorum descripsit.

Statim ac necatus fuit Aquilinus ab Arianis, illius Corpus delatum est a Fidelibus ad Templum Diui Laurentij, atque sepultum in sacello, quod appellant Reginæ (eò quòd constructum sit a Galla Placidia filia Theodosij senioris, quæ ibidem in sarcophago marmoreo quiescit) sub ara, quæ Diuo Ambrosio Arianorum hosti, & ipsius Aquilini Patrono, dicata erat. Hæc narrat Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 32. num. 8., testatus quoque, *prægrande illud vas, e viuo lapide sculptum, e quo nunc primarium Altare Templi Laurentiani constat*, fuisse olim tumulum S. Aquilini. Ædes ipsa a Placidia ædificata, peramplo sinu est, ac olim in fastigio musiuo opere exornata (quod nos, vix ex ephebis egressi, vidimus amoueri) nunc verò vulgari tectorio dealbata, orbiculatâ formâ, quã porticus supernè circumambit: exterior verò species adhuc antiquitatem olet. Corpus Martyris translatum est in Sacellum seculo superiori eiusdem nomini dicatum; in quo posita ara est, & in fronte Odæi marmoreum honorificumq; sepulcrum est excitatum; in cuius vmbilico fenestella, clathris ferreis vitroque munita, eisdem demissis, admittit manûs Sacerdotum ad tractandum Corpus, quod a S. Carolo Cardinali Archiepiscopo albâ & casulâ amictum fuit: vt mihi humanissimus vir

Augustinus Puricellus Templi Laurentiani Archipresbyter plùs vice simplici potestatem fecit. In tanti Martyris honorem ibidem Societas piorum virorum instituta est: cuius sumptu elaborata est arca argentea, plurimâ crystallo effulgens, quæ expectat Diui Aquilini Corpus, ac operam Pontificalem Ambrosiani Metropolitæ, qui illud habitâ supplicatione per vrbem circunferat, ac supra aram in sede nobilissima collocet. Id Clerus & Ciuitas Mediolanensis flagrantissimis votis exoptat, eo etiam nomine, quòd sæuientem in vrbibus pestilentiam sedat. Sanè mirabile est, Corpus Diui Aquilini, vt antea diximus, nouem iam secula & ampliùs, tabe carere: quemadmodum oculis & manibus attrectantium patet, præter confessionem plurium Scriptorum, atque ipsius Puricelli in Vita S. Laurentij Littæ cap. 26 & Vghelli. Paucis abhinc annis dicata fuit Diuo Aquilino Ecclesia, virorum religiosorum ære extructa, conditâque etiam Societate, extra Portam Romanam in Cœmeterio, in quod illata fuerant eorum cadauera, quos pestis interemit; ibique Diuus Aquilinus habet etiam consortem tituli Sanctum Carolum, grassante pestilentiâ, patronum.

a. Ex Tabulario Sanctimonialium Diuæ Radegundæ Ordinis S. Benedicti, de quarum Cœnobio, quod antea vocabatur Monasterium Vuidelindæ, plura tradit Puricellus in Monumentis Basil. Ambros. num. 230.

TERTIO CALENDAS FEBRVARII.


Ediolani Sanctæ Sauinæ 1. religiosissimæ fœminæ, quæ ad hanc vrbem Corpora Sanctorum Martyrum Naboris & Felicis transtulit: atque ad eorum sepulcrum orans, obdormiuit in Domino. Varisij in Diœcesi Mediolanensi Sanctæ Martinæ 2. Virginis & Martyris, cuius Corpus illùc Româ translatum est.

IANVARII 30.

1. QVòd Diua Sauina ex nobilissima Trissinorum Familiâ orta sit, testatur Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ripamontius Dec 1. Hist. Ecclesiast lib. 2, Morigius in Hist. Mediol. lib. 3. cap. 1., necnon in Sanctuario, atque alij Scriptores; verùm illud molestum nobis est, cùm Sauinæ Patria in controuersiam venit. Alciatus lib. 3. Hist perperam ait, illam esse Mediolanensem: Laudensem fuisse confitetur Breuiarium Ambrosianum, Ripamontius, Ferrarius, Villa, Bulzius in Larario, demum Hieronymus a Basilica Petri in libro Sac. Ephemeridum. Proxima videtur hæc lis certamini plurium vrbium de Patria Homeri. Perlegi attentè librum quendam manu, quadringentis, ferè abhinc annis, exaratum, qui multas Sanctorum, vt aiunt, Vitas continet: isque asseruatur in Sacrario Templi Franciscani Mediolani: atque in Vita Sanctorum Naboris & Felicis nihil inueni de Patria Diuæ Sauinæ. *Quædam Matrona nomine Sauina, pia ac religiosa fœmina e Laudensium vrbe furtim sustulit Sanctorum Corpora, ac vehiculo imposita deduxit Mediolanum.* Quis autem scripserit eum codicem in membrana, se ipsum prodit librarius in calce Vitæ S. Caij Archiep., de quo ad diem quintum Calendas Octobris scribemus; ibi enim hæc legimus, nempe: *Deogratias. Amen. talis sum scriptor, Ioanninus nomine vocor. Amen.* Denique Gaspar Trissinus, qui res gestas Sanctæ Sauinæ latinè edidit, illam Vicentinis adiudicat.

Cæterùm S. Sauinæ meminerunt Martyrologium Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum, Bollandus, Puricellus in Dissertat. Nazariana cap. 39. num. 25., Bagatta tomo 1. & 2. admirandorum, alijque Scriptores. Illius Corpus requiescit in Sacello eius nomini dicato, quod nunc magnificentiùs restituitur, collapsâ anno MDCLXXXVIII. septimo Idûs Septembris Basilicâ S. Francisci: in cuius ara collocatum est a S. Carolo Borromæo, sicuti narrant Glussianus in Vita S. Caroli lib. 2 cap. 29. & Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediolan. in Vita S. Materni, qui Corpus Beatæ Sauinæ eo tempore, quo a Diuo Carolo translatum est fuisse adhuc integrum testatur.

Hieronymus a Basilica Petri tradit, cognomentum Oppido Meleniani (quod Laudem Pompeiam & Mediolanũ interiacet) a mi-

a miraculo S. Sauinæ accessisse. Cùm enim illac iter faceret Matrona Sanctissima, deuehens reclusa in arcis Sanctorum Martyrum Naboris & Felicis Corpora Mediolanum: atque interrogata esset a publicanis, quidnam in arcis singulis seruaretur? respondissetque, mel custodiri: ac reuera mel repertum esset, tunc Oppido celebri cognomen fuit impositum: vt, cùm antea *Enianum* vocaretur, *Melenianum* deinde cœperit appellari; cuius meminit Blondus in Lombardia. Hoc miraculum Bulzius Epigrammate est complexus: licèt alio etiam carmine laudet Sauinam. En Lemma & Epigramma.

Sauinæ e vase sacra busta obtegente mel effluit.

Quærit vt excubitor, tumeant qua dolia merce?
Audit & in clauso mella latere cado.
Explorat terebris custos incredulus arcas,
Mulsane visurus mellea vase fluant.
Mox cana pro sacris stillant mel dolia bustis:
Mella terebratus deuomit ore cadus.
Mel fluxisse potest; mulier nam florea Diuum
Pignora florilegæ legerat instar apis.

Sunt, qui Diuam Sauinam martyrio coronatam velint: sunt, qui Virginem fuisse dicant, vt in Breuiarijs & in Missalibus vetustis Ambrosianis legi; verùm Sanctus Carolus in emendatione Breuiarij illam Matronis ascripsit. Disticho Brautius pietatem & mortem S. Sauinæ ostendit.

Corpora Sanctorum curans Matrona Sauina,
In precibus iuxtà pignora sacra migrat.

2. Hæc sanè Martina neutiquam ea est, de qua hodie celebrat Officium Ecclesia Romana; etenim illius Corpus (vti patet ex Breuiario Romano) *Vrbano VIII. Pontifice Maximo, in peruetusta eiusdem Ecclesia, ad Mamertinum carcerem, in Capitolini cliui radicibus, repertum, eodem in loco, solemni ritu ac pompa, repositum fuit.* Alia igitur Martina est Virginitate & martyrio illustris, cuius Corpus Româ translatum, in Ecclesia S. Victoris, quæ Insignis Oppidi est primaria, fuit collocatum. Clarum ibidem Collegium Canonicorum Sacram Ædem illam colit: atque hodie celebrat Officium solemne de hac S. Martina; Officium autem solemne in Ecclesia Ambrosiana illud est, quod ab Ecclesia Romana vocatur duplex.

PRIDIE CALENDAS FEBRVARII.



N Prouincia Mediolanensi Sancti Iulij Presbyteri & Confessoris, cuius Sanctitatem miraculorum magnitudine Deus testatam facit.

IANVARII 31.

DEbueram quidem præterire Diuum Iulium, quoniam Ecclesię Nouariensi vnà cum S.Iuliano fratre est adiudicandus. Certè in vetustis Martyrologijs Romanis S. Iulius ascribebatur Mediolano: verùm in impressis recèns Mediolanensi Prouinciæ assignatur; requiescit enim in Sacra Æde illi dicata in insula Lacûs Ortani, qui est in Diœcesi Nouariensi, ac proinde continetur in Prouincia Mediolanensi. Quamquam etiam Mediolanensi Ciuitate, licèt natus sit in Græcia, Iulius possit donari, quòd acceptâ a Theodosio seniore facultate Ecclesias ædificandi in omnibus Imperij Romani prouincijs, plurimas condendas curauerit in Diœcesi Mediolanensi, atque in eo tractu, qui Nouariensi Diœcesi conterminus Lacum Verbanum spectat: vt mihi illàc iter facienti sæpenumero testificata est incolarum fides, ac antiqua earum Ecclesiarum structura. De S.Iulio agit Missale & Breuiarium Ambrosianum, Galesinius, Ferrarius, Bollandus, Bulzius in Larario, Hieronymus a Basilica Petri, Carolus a Basilica Petri Episcopus Nouariæ in Nouaria Sacra alijq; citato in libro, cuius meminero infra, cùm de S.Audentio. In Vrbe & Diœc. Mediol plura sacella & Ecclesiæ Diuo Iulio nuncupatæ Mediolanẽsis Populi venerationem testantur. Ædes autem Sacra in Oppido Brebiæ dicitur a S Iulio excitata in lib.1.Nouariæ Sacræ; cùm enim vbiq; fana Deorum inanium dirueret, ibidẽ Templum Mineruæ deleuit, cuius meminit Bonauẽtura Castillionæus in libro de Gallorum Insubrum antiquis sedibus & Gaudentius Merula lib 1. de Gallorum Cisalpinorum antiquitate cap 6 Brautij illud est distichon de S. Iulio.

Ex Oriente virum venientem Roma remisit,
Vertat vt in sacras templa profana domos.

FE-



FEBRVARIVS.

TERTIO NONAS FEBRVARII.



ROMÆ Sancti Hippolyti Martyris. Eius Corpus ad hanc Vrbem delatum, in Templo Sancti Antonij Abbatis condigno honore seruatur.

FEBRVARII 3.



EX Tabulario Clericorum Regularium ad S. Antonij, cuius Templum Mediolani celebre est ac ornatissimum: quò S. Carolus Borromæus induxit Clericos Regulares anno MDLXX., quemadmodum tradunt Glussianus in Vita eiusdem lib. 2. cap. 19. & Ioseph Silos tomo 1. Hist. Theatinorum. Hoc item Cœnobium eo etiam nomine est clarissimum, quòd illi primùm præfuit Beatus Andreas Auellinus Sanctitate Insignis, & Diuo Carolo acceptissimus, ac *familiaritate coniunctus, cui suam operam in ijs, quæ Pastoralem curam attinebant, præstitit*; vti videre est in Lectionibus Officij eiusdem Beati Andreæ a Sacra Rituum Congregatione approbatis die 3. Aprilis anno 1677. ac impressis Mediolani anno 1678. Eius autem Beati Andreæ sanctimoniam tanti fecit Diuus Carolus, vt venienti Mediolanum extra Portam Romanam obuius prodiuerit, sicuti in Vita eiusdem B. Andreæ cap 6. testatur Ioannes Baptista Castaldus. Neque tantùm S. Carolus vnicè dilexit B. Andream,

dream, sed etiam Eminentissimum Purpurâ & vitæ integritate Paulum Buralem Cardinalem de Aretio Episcopum Placentinum, lucidumque sydus Congregationis Clericorum Regularium, de cuius necessitudine cum Diuo Carolo consule historiam Silos Parte Primâ.

PRIDIE NONAS FEBRVARII.

Romæ Sancti 1. Firmi Episcopi & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctimonialium Sancti Michaelis reuerenter asseruatur. Apud Gannam in Diœcesi Mediolanensi Sancti 2. Gemmuli Martyris, qui ibidem a latronibus pro Christo occisus est, atque illico miraculis coruscauit.

FEBRVARII 4.

1. EX Tabulario Ecclesiæ S.Michaelis, Ordinis Cistertiensium, de qua plura scripsit Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambros. num.101.: nosque agemus in Monumentis Basilicæ Modoetiensis, cùm de cæremonia coronandorum Italiæ Regum tradémus.

2. Ex M. SS. Monasterij Gannensis olim Benedictinorum, ex indice M. SS. Reliquiarum Galuanei Flammæ in Bibliotheca Ambrosiana, ex Calendario quodam acephalo M.SS. in eadē Bibliotheca, quod continetur in libro Epistolarum, quæ cani solent in Ambrosiana Liturgia, ex Ferrario in Catalogo SS. Italiæ, ex Carolo a Basilica Petri in Fragmentis Historiæ Mediolanen., ex Actis Sanctorum Bollandi, Morigio in Sanctuario, ex Dominico Ansossio de cultu Sacrarum Reliquiarum §. 34. num.23.

Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum Diuum Gemmulum ascribit Varisio: cùm tamen Gemmulus

occisus

occisus fuerit in Valle Gannæ, quæ sex millia passuum distat Varisio; eius autem Vallis mentionem inijcit Bonauentura Castillionæus in libro antè memorato. Bulzius in Larario Miraculum S. Gemmuli explicat Epigrammate.

S. Gemmulus occisus vrbis Præsuli se sistit.

Quod caput obtruncant, sordenti e puluere captum
In collo rursum dextra animosa locat.
Sartus abit, Mystemque piæ qui præsidet vrbi,
Defuncto & viua corpore Martyr adit.
Hìc ruit. Hinc Corpus squalet, caput inde per aulam,
Mystaque funereo condit vtrumque solo.
Ah tibi, Pastor ouis se fidam hac exhibet! illa
Ad te, præda lupo vel laniata, venit.

Hoc pariter miraculum narrat Ferrarius: sectum (inquit) *caput Gemmulus sustulit: eoque ceruici aptato ad Episcopum vsque peruenit, ab eoque sepultus est.* Idem miraculum memorat quoque Carolus a Basilica Petri: isque Episcopus, ad quem detulit caput amputatum, atq; suâ in sede repositum, patruus erat Gemmuli, cum quo iter ingressus fuerat, vt Romæ sacra limina inuiseret. Ea Vallis appellatur etiam Marchiroti, ab oppido Marchiroti, quod est in Diœcesi Nouocomensi.

Cæterùm illud Monasterium iandiù Cœnobitis caret; illius siquidem reditùs Pius IV. Pontifex Maximus addixit Nosocomio maiori Mediolani. Cùm enim prope eam vallem rusticaretur Cardinalis Medicæus, antequam ad Romanum Pontificatum eueheretur, in gentilitia Villa Frascaroli, quam nos olim vidimus, a curis Aulæ Romanæ, Paulo IV. Pontifice, semotus, Abbatiam illam Gannæ, iam antea in Commendam redactam, habebat in potestate: eâque deinde se abdicauit. Ecclesiam quidem Gannæ vnà cum Cœnobio videtur excitauisse idem ille Episcopus, qui reuersus ex vrbe Româ, illic Monasterium condidit, Monachisque amplas facultates tribuit ad perennem S. Gemmuli memoriam. Quo autem tempore Gemmulus Martyrij palmam sit adeptus, auctores minimè indicant.

NON*IS*

NONIS FEBRVARII.

N Pago Bosti apud Varisium, in Diœcesi Mediolanensi, natalis Sancti Himerij Martyris, qui pro Christi nomine cæsus est.

FEBRVARII 5.

EX Visitatione S. Caroli Borromæi, *qui ossa huiusce Martyris, olim in vase lapideo tumulata, sed nonnullorum incuria, cùm existimarentur nobilis alicuius viri, cum alijs ossibus permixta, studuit secernere, sed frustra. Quamobrem omnia ossa simul in eadem arca lapidea asservari iussit: atque ita adhuc ibi habentur.* Rem narrat Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanen. Visus est quibusdam fuisse socius S. Gemmuli, & non longè ab Ecclesia Bosti occisus in via publica, fugâ fortasse elapsus a Valle Gannæ.

OCTAVO IDVS FEBRVARII.

Omæ Sanctæ 1. Dorotheæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Margaritæ honorificè conditum est. Item Mediolani Translatio 2. Sancti Monæ Episcopi & Confessoris, quando eius Corpus Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus, æquatâ solo Ecclesiâ Sanctorum Vitalis & Agricolæ, ad Basilicam Metropolitanam solemniter transtulit.

FEBRVARII 6.

1. HÆc Dorothea omnino alia est ab ea, quæ hodie in vniuerso terrarum orbe colitur; illa enim subijt Martyrium Cæsareæ, hæc Romæ. Iacet igitur huiusce Corpus in Ecclesia S. Margaritæ Sanctimonialium Ordinis Diui Benedicti, de qua agit Morigius in Sanctuario: de Cœnobio autem Puricellus in Monum Basil. Ambros. num. 233., ac nos aliqua tradidimus lib. 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis; quod Monasterium aliàs appellabatur Gisonis, vt legere est in Calendario Missalis Ambrosiani impressi anno 1482. die 5. Iulij & die 3. Septembris.

2. Ex Breuiario Ambrosiano die duodecimâ Octobris, ex Vita S. Caroli Borromæi a Glussiano scripta lib. 3. cap. 8., ex Carolo a Basilica Petri in Hist. Mediolanen. in Vita S. Monę, & in Vita S. Caroli lib. 3. cap. 6. De Ecclesiâ autem illâ dirutâ SS. Vitalis & Agricolæ (quorum fasti celebres sunt in Ecclesia Mediolanensi, ob illorum Corpora inuenta Bononiæ a S. Ambrosio) scripsere Puricellus in Monum. Basil. Ambros. nu. 75. & seqq., necnon in Vita S. Laurentij Littæ cap 28. ac in Dissertatione Nazar. cap. 25., atque Antonius Coherez Minorita in Vita S. Fausti Martyris, de quo infra in Mense Augusto agemus.

Cæterùm S. Carolus transtulit Corpus S. Monæ ad Ecclesiam Maiorem, quam vulgus appellat *il Duomo* (quasi verò inquit Puricellus) antonomasticè Ecclesia illa sit *Domus Dei*. Mihi tamen probatur etiam sententia Caroli a Basilica Petri lib. 1. Nouariæ Sacræ in Terminatione Domensi. *Domus vel Domum* (ait) *ab Italis appellatur Ecclesia Maior vrbis, opinor, a verbo Dominicum, quo veteres Ecclesiastici eiusmodi Ecclesiam appellare solebant.* De eodem Dominico, siue Ecclesia consule Baronium in Notis Martyrol. Rom. die 25. Decembris sub litera G Menochius Parte 4. libri, quem inscripsit: *Delle Stuore &c.* cap. 20. scribit in hanc sententiam: *Onde sia nato, che le Chiese Catedrali si chiamino Duomi: e che differenza sia frà le Basiliche e le Chiese.*

SEPTIMO IDVS FEBRVARII.



Omæ Sancti Theodori Martyris; eius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis religiosissimè colitur.

FEBRVARII 7.

EX Tabulario Clericorum Regularium; quamquam autem vulgò Sacra illa Ædes appelletur Diui Antonij, est tamen etiam dicata S. Nicolao Myrensi Episcopo.

SEXTO IDVS FEBRVARII.



Ediolani Depositio Sancti Honorati 1. Episcopi sanctitate celebris. Ibidem transitus Sancti Ampellij, 2. qui Mediolanensem Ecclesiam summâ vigilantiâ administrauit.

FEBRVARII 8.

1. QVid sit Depositio, explicat Diuus Ambrosius sermone 70. de S. Eusebio Episcopo Vercellensi; potest enim esse Depositio, *qua sepeliendis in terra membrorum Reliquijs, clericorum manibus procuratur*; eaque item esse Depositio, *qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cælum, terrenum corpus exponit &c. Vnde & Depositionis ipsa dies Natalis dicitur, quòd delictorum carcere liberati, libertati nascimur Saluatoris*. Hæc S. Ambrosius. Depositionis igitur nomine, tam Natalem, quàm diem sepulturæ intelligimus. Siue igitur hodie in Cælum migrauerit Diuus Honoratus: siue tumulatus fuerit; certè celebratur eius memoria sexto

Idus Februarias, non autem sexto Cal. Martij, vt perperam traditur in libro Successorum S. Barnabæ. S. Honorati nomen consignatum est Missali & Breuiario Ambrosiano, in quo licèt nulla sit rerum ab illo gestarum periocha, attamen Sanctimoniâ fuit insignis; & illius facta, aut nobis inuidit obliuio, quòd, Honorato Antistite, Longobardi Italiam inuasissent: aut fides minùs constans inferre noluit in horarias preces apocrypha.

Agunt pariter de Honorato Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Baronius in Annalibus tomo 7. ad annum DLXX., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Vghellus tomo 4, Bollandus, Ripamontius Dec. 1. lib 8. Hist. Ecclesiast., Besutius in Hist. Pontific., Catalogi M.SS., Franciscus Platea in M.SS. Bibliothecæ Ambros., Picinellus in Athenæo, alijque. Brautius disticho alludit ad nomen Honorati.

Præsul Honoratus spectabilis vrbis honorem
Nominis, & sacra relligionis, habet.

Corpus autem Diui Honorati, quod olim iacebat extra Portam Romanam in Sacra Æde S. Georgij ad Noxetam (quam Ferrarius iniquè vocat Basilicam) nunc redactum in cineres, compositum est in arcula argentea, quam ego sæpissime osculo adoraui: ijque asseruantur Mediolani in Basilica Eustorgiana.

Superioribus item auctoribus adde Martyrologium Romanum, Paulum Diaconum, Galesinium, non autem Diuum Ennodiũ, vt vult Auctor Libri Successorum S. Barnabæ; is etenim magnopere hallucinatus est, qui Diuo Honorato ascripsit Epigramma S. Ennodij, cuius titulus est: *De Honorati Episcopi castello & laudibus*. Quo pacto enim Diuus Ennodius, qui anno DXVI. concessit e vitâ, scribere potuit Epigramma in laudem S. Honorati, quem eruditissimus Onuphrius Panuinius creatũ fuisse Metropolitam Insubrum anno DLXVIII. tradit? arcem autem illam, siue castellum, extruxisse dicitur, cùm Pontificatu fungeretur. Tum verò quis non videt, illud Epigramma scriptum fuisse ab Ennodio in laudem Honorati Episcopi Nouariensis, cui etiam Dictionem secundam miserat, ac Epistolam, cuius meminit Baronius in animaduersionibus Martyrol. Rom. die quinto Cal. Nouembris, ad literam i. Id clarissimè

indicat

indicat vir doctissimus Iacobus Sirmundus in Notis ad Epigrammata Diui Ennodij; namque hæc in Epigramma 110. animaduertit. *De Castello Honorati Episcopi Nouariensis, vt docuit nos Dictio secunda. Iam tum igitur ob militum prædonumque infestationes castella ædificare cogebantur Episcopi. Tale enim fuit Nicetij Episcopi Treuirensis Castellum supra Mosellam, quod suis versibus ornat Fortunatus lib.3, & quæ ab Episcopis Remensibus condita multis locis narrat Flodoardus.* Sirmundo subscribit Anfossius de Reliquijs §.13. num.2. & 3.

Neque dicas, ab Honorato Mediolanensi conditam fuisse arcem Oppidi Castillioni, quòd ille ortus videatur ex Familia Castillionæa; nam arcem eam Castellionensem Olonæ fluuio imminentem condidit atque muniuit Cardinalis Branda Castillionæus, si credimus Ripamontio Dec.3.lib.5 Hist. Mediolanensis. Porrò Carolus a Basilica Petri lib. 2. Nouariæ Sacræ docet, *olim ob incursiones Barbarorum erecta fuisse ab Episcopis castra*, vsus testimonio Baronij tomo 6. ad annum MDLXXXIX. Existimat autem idem Carolus, castellum ædificatum ab Honorato Nouariensi, esse castrum insulæ S. Iulij, aut Vespolati, vel Pombiæ (quod adhuc appellatur *Castrum Domni*) de quo etiam agit lib. 1. Nouariæ Sacræ, vel castrum Nomenonij, quod postea dedit Dagibertus Canonicis.

Eiusdem nominis similitudo imposuit Hieronymo a Basilica Petri in libro Ephemeridum sacrarum hâc die, affirmanti, Diuum Gregorium Magnum scripsisse Epistolas S. Honorato; verùm hæ literæ missæ sunt ad Honoratum Archidiaconum Salonitanum (Salona autem est Ciuitas Episcopalis Dalmatiæ) eumque laudat eximiè lib. 5. Epist. 125., quòd *Maximo Sacerdotium Salonitanum rapienti vnà cum Paulino Episcopo in tanto Salonitanæ Ecclesiæ Clero vel Populo* minimè consenserit. Neque pertinent ad Honoratum Mediolanensem literæ scriptæ a S. Gregorio ad Honoratum Diaconum *de oppressionibus Theodori Ducis Sardiniæ*; quòd neque cum Salona, neque cum Sardinia, Mediolanensis Honoratus quidquam commune haberet. Illud accedit, quòd, si Gregorius tum eas Epistolas misit, cùm in Petri Cathedra sederet, quando exarare illas potuit Diuo Honorato? Honoratus anno DLXVIII. Mediola-

nensem Pontificatum iniuit: eoq; tres annos tantùm est perfunctus; Gregorius autem anno DLXXXX. creatus est Summus Pontifex, cùm iandiu Honoratus viuere desijsset, a Cælo frueretur.

2. Hunc esse diem obitûs S. Ampellij docent Acta Mediol. Eccl. parte 6. in Tabula Archiepiscop. Mediolanen., Missale Ambrosianum typis impressum anno 1482., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Besutius in Hist Pontific., Bollandus in Actis Sanctorum. Attamen cum Ecclesia Mediolanensis illius Sanctitatem anniuersario Officio veneretur octauo Idûs Quintiles, nos eo die vberiorem faciemus mentionem S. Ampellij, caussam pariter allaturi, cur potiùs octauo die Iulij, quàm octauo Februarij, illius celebritas peragatur.

Hodie excessit è viuis Hieronymus Æmilianus, conditor Congregationis Somaschæ, vir eximiâ in pauperes charitate ac sanctimoniâ; cuius res gestæ iam Actis legitimis collectæ, Curiæ Romanæ iudicio sunt propositæ: vt Apotheosi donetur. Sepultus ille est in Pago Somaschæ, qui in Diœcesi Mediolanensi continetur: ac fertur Diuus Carolus Borromæus, cùm Ecclesiam illam Parochialem inuiseret, eaque cælesti planè odore fragraret, interrogauisse Præfectum Collegij, an Diui alicuius hominis inibi Reliquiæ seruarentur: se vtique admoneri odoris suauitate; cùmque respondisset Præfectus, conditoris sui Æmiliani tantùm in arca lapidea corpus asseruari, confestim Diuus Carolus illud thure est dignatus. Nos de Æmiliano aliqua scripsimus in lib. 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis ex fide Ripamontij, Siluestri Maurolici, Bollandi, Ferrarij in Catal. SS. Italiæ, ac Scipionis Albani. Cùm autem Cælitum honores obtinebit, tunc huic Martyrologio erit addendus magno cum Mediolanensis gloriæ incremento. Tanti viri egregia facta complexus est multiplici Epigrammate Bulzius, veneraturus sic Parentem suum, cuius Nobili Instituto nomen dedit; quemadmodum plurimis semper sectatoribus floret Ordo, quod Bulzius Disticho ostendit.

Multi se Æmiliano in socios addicunt.

Nil mirum Æmilius Lectas trahat vndique gentes:
Is quoque Christiparam traxit ab æthre Deam.

Quippe

Quippe Beata Virgo manu Æmilianum eduxit è carcere; quod suis carminibus Bulzius antè expresserat.

Hodie in Ecclesia Parochiali SS. Cosmæ & Damiani Mediolani colitur Corpus Sancti Lucij Martyris; verùm cum aliàs nobis eius Festiuitatis dies indicata fuerit decimo quinto Calendas Martij, iccircò illam in eum diem reiecimus.

QVINTO IDVS FEBRVARII.



Ediolani Translatio 1. Sanctorum Martyrum Fidelis & Carpophori, quorum Corpora ex Oppido Aronæ Mediolanum aduecta, Sãctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus ad Templuũ Sancti Fidelis solemni supplicatione transtulit. Romæ Sancti 2. Alexandri Martyris, cuius Corpus Vedanum translatum est.

FEBRVARII 9.

1. EX Vita S. Caroli scripta a Glussiano lib. 3 cap. 8., ex Carolo a Basilica Petri in eiusdem Vita lib. 3. cap. 6., qui hoc die translatas fuisse affirmat; quamquam in Vita S. Materni in Hist. Mediol. velit tertio Idûs esse translata; quo die Patres Societatis Iesu ad S. Fidelis celebrant ritu duplici Officium de hac Translatione. Verùm, ne videatur sibi parum constans Carolus a Basilica Petri, fortasse quinto Idûs Februarias hæc Corpora translata sunt Aronâ Mediolanum, tertio autem Idûs ad Templum S. Fidelis.

2. Vedanum Pagus est in Plebe Carnagi (nam alius Pagus eiusdem nominis proximus est Modoetiæ) quem Gaudentius Merula lib. 1. Antiquit. Gallor. Cisalpinorum cap 6. *valde aridum* vocat: vnde fluxit nomen adulterinum *Vedani; aquarum enim vsque adeo indigens est, vt nulli sint putei, & fontes nulli.* In eius igitur Ecclesia Parochiali iacet Corpus S. Alexandri

ex

ex Cœmeterio Priscillæ effossum, quod postea inspexit Curia Archiep. Mediol. die 23. Iulij anno MDCLXXXII. An verò hæc dies sit natalis, aut Translationis, omninò incompertum est. Censeo confugisse Oppidanos ad Romanum Martyrologium, atque ob Martyrium Sanctorum Alexandri, ac Sociorum eius, dicauisse hunc diem Diuo Alexandro; de quo more scribemus infra in animaduersionibus dierum 29. & 30. Maij, ac 24. Iulij.

QVARTO IDVS FEBRVARII.


Omæ Sancti Hyacinthi Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis deuotè seruatur.

FEBRVARII 10.

EX Tabulario eius Templi, quod diues admodum est Sanctorum Reliquijs, & structurâ, sacrâ supellectile, tabulis pictis, atque religiosissimo Clericorum Regularium cultu planè admirandum; inter alia autem sacra lipsana asseruatur vna ex costis Beati Andreæ Auellini.

TERTIO IDVS FEBRVARII.


Ediolani Translatio Sancti Lazari eiusdem vrbis Episcopi, qui ibidem, ad repellendos hostiles impetûs Hunnorum, Rege Atyla, Italiam vastantium, Litanias Triduanas instituit, quarum ritus in Ecclesia Mediolanensi adhuc viget.

FEBRVARII 11.

DIui Lazari sanctitatem testantur Martyrol. Rom. Missale & Breuiarium Ambrosianum, necnon Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Ripamontius Dec. 1. lib. 6. Hist. Eccl. Mediol.

Mediol., Vghellus tomo 4., Ferrarius in Catal., Besutius in Hist. Pontificali, Catalogi M.SS., Galesinius, Carolus a Basilica Petri & Giussianus in Vita S. Caroli, Liber Successorum S. Barnabæ, Bollandus, Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 64. & 66., & alij Scriptores, inter quos Brautius suum promit Epigramma.

Tempore rexit oues & Principe Pastor iniquis;
Nec curæ vitæ cessit amore Gregis.

Attyla siquidem Hunnorum Rege Italiam depopulante, Lazarus Mediolanensem Gregem gubernabat.

Hic autem non est dies Natalis, vt vult Bollandus; namque dies Natalis S. Lazari est pridie Idûs Martias. Cùm enim Ecclesia Mediolanensis, suis Ritibus obtemperans, nullum Sanctorum Officium celebret tempore Quadragesimæ, illos, quorum dies festi in ferias esuriales incidunt, aut præuenit, aut transfert; puta: Diui Thomæ Aquinatis Officium celebrat quinto Cal. Februarij, quòd eo die Tolosam translatum fuerit Corpus Doctoris Angelici: S. Gregorij Magni celebrat pridie Nonas Septembris, quòd ille tertio Nonas eiusdem Mensis Ordinatus fuerit Pontifex Maximus: Officium Annunciationis Deiparæ peragit sextâ Dominicâ Aduentûs (habent enim Ambrosiani sex Dominicas in Aduentu) cuius Ritûs meminit Galesinius in Præfatione ad Homiliarium Leinatij. Tristanus Chalcus, qui seculo decimo quarto Patriam historiam scripsit, libro 15. hæc tradit de S. Petro Martyre Ordinis Prædicatorum, cuius Festum, non die Natali, sed vigesimâ nonâ Aprilis, celebratur. *His ritè peractis* (nempe Apotheosi Diui Petri Perusiæ) *Petrum, Martyris cognomento addito ex eo, quòd recentissimo martyrio affectus foret, cælo dicauerunt, templaque & aras poni etiam iusserunt. Colitur etiam in præsenti præcipua religione: sed tertium Calendas Maias ei adscripsere: vt celebrior anniuersaria eius memoria maneat; quoniam si diem cædis, vt plerisque omnibus factum fuit, sacrassent, plerùmque merito honore caruisset, cùm in Quadragesimam frequenter incidat, quæ Ambrosiana Ecclesia nullum Festum admittit.* Immo olim ne vllũ quidem Sanctorum Martyrum Officium celebrabatur non solùm in Quadragesima, sed nequidem in Aduentu, si credimus

Andreæ du Saussay in libro de Laudibus S. Andreæ pag. 349. Quamobrem hic dies S. Lazari putatur esse Translationis alicuius, non autem obitûs; siquidem in Actis Mediolanen. Ecclesiæ dicitur Diuus Lazarus Pridie Idûs Martias in Domino quieuisse: idemque legi in Calend. M.SS. in membrana annis saltem abhinc quadringentis, quod præfixum est Capitulis & Orationibus more Romano, atque asseruatur in Tabulario Insignis Basilicæ S. Ioannis Baptistæ Modoetiæ; cuius in calce hæc sunt exarata. *Incipit Officium in Agenda mortuorum secundùm Ecclesiam Modoetiensem*. Item in alio libro M.SS pariter in membrana quingentis fere abhinc annis, qui custoditur in eodem Tabulario, ac præfert hunc titulum: *In Christi nomine incipiunt orationes de vniuersis festiuitatibus totius anni iuxta morem Ambrosianæ Ecclesiæ*: hæc legi. *Secundo Idus, seu pridie Idus Martij, Depositio S. Lazari Episcopi*; quod etiam videre est in Breu. Amb. impresso anno 1487. & in Missalibus Ambros. editis anno 1482., 1548., & 1560., demum in Hist. Pontific. Besutij, & in libro Successorum S. Barnabæ.

Illud quidem negotio haud caret, nimirum, an priùs S. Lazarus Mediolani, an Diuus Mamertus, siue Mamercus, Viennæ in Gallia Litanias, seu Rogationes Triduanas, instituerit, de quibus agit doctissimus Iacobus Pignatellus tomo 5. consultat. 54. Hasce Litanias Triduanas Ambrosiani feriâ secundâ, tertiâ, & quartâ post Ascensionem Domini celebrant, imponendo primâ die Fidelium capitibus sacros cineres, ijs item diebus ieiunantes, pullati coloris casulas atque vestes ad Diuina Officia & Liturgias adhibendo: veluti si nigræ Cruces & Processiones nigræ reuocentur in morem, de quibus Gulielmus Durandus lib. 6. in Rationali Diuinorum Officiorum cap. 102. de Rogationibus, & Bartholomæus Gauantus in Rub. Missalis Romani parte 4. Tit. 11. meminerunt. Certè Bollandus tomo 2 Febriarij pag. 522. col. 2 ostendit, Litanias Triduanas Mediolanenses esse vetustiores Viennensibus. Et quidem si Diuus Lazarus secundùm Chronologiam Panuinij creatus fuit anno CDXXVI. Archiepiscopus Mediolanensis Ecclesiæ, eique vndecim annos præsedit: & S. Mamertus, vti vult Serarius lib. 2. de Processionibus cap. 8. & Eminentiss. Ioannes

Bona in libro de Diuina Psalmodia cap. 14. §. 4, circa annum CDLII. instituit Viennæ Rogationes, inde sequitur, Mediolanenses Litanias esse antiquiores Viennensibus; quod summo decori est Mediolanensi Ecclesiæ.

Litanias tamen fuisse antiquissimas docet Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad diem septimum Calendas Maij, item Nicolaus Serarius citatus a Cardinali Bona, Iacobus Gretserus in libro de Processionibus, Gauantus ibidem, denique Carolus a Basilica Petri in libro M.SS. de Ritibus Mediolan. Ecclesiæ, cuius exemplum a me ex archetypo magnâ ex parte descriptum est, ac collocatum in Scrinijs Bibliothecæ Ambrosianæ. *Ecclesia Mediolanensis* (inquit auctor) *trium dierum Rogationum institutum iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ* (quod nos cum Bollando negamus, quandoquidem Mediolani peraguntur secundùm institutionem S. Lazari) *vt in Ordine Romano habetur, vna cum vniuersa Ecclesia amplexa est, quem existimare quiuis facilè potest ex tam longa via* (ab anno tamen quadragesimo secundo supra millesimum sexcentesimum, cùm ego nondum ex ephebis egressus essem, iter breuius, & pauciorũ Ecclesiarum Stationes, lassitudinem supplicantiũ recreare cœperunt) *ex tot Ecclesiarum visitatione, cultuque, & tam prolixis precibus, quas quolibet die ex his tribus adhibet; ad horas enim circiter duodecim occupantur Ambrosiani qualibet die in ijs Rogationibus, quas Litanias appellant. Cùm autem cæteri ijs diebus & ieiunium, & magna ex parte reliquam sanctitatis disciplinam dimiserint, Mediolanenses ea omnia constanter retinuere; quamquam comessationes varijs locis turpiter introductas Beatus Carolus sustulit. Ieiunium & disciplinam eorum dierum cernere licet in Ordine Romano, vbi de Rogationibus agit, & in cap. 29. Conc. Aurelianensis 5., quod translatum est in C. Rogationes de Cons. d. 3.; vt vel ex hoc Instituto Mediolanensis Ecclesiæ constantiam in veterum moribus retinendis possimus agnoscere.*

Porrò Ritûs Litaniarum Mediolanensium describit Ripamontius Dec. 1 lib. 6. Hist. Ecclesiast. Mediol.: ambitum verò viarum Puricellus cap. 64 in Dissertat. Nazariana. Iidem Ambrosiani, exceptâ hebdomadâ Maiori, quartâ quâque & sextâ feriâ Quadragesimæ peragunt in Odæo Litanias: itemque

Triduanas alias recitant vltimâ hebdomadâ Aduentûs; quarum originem & Ritum vtiq; explanent, qui de Ritibus Ambrosianis scribere sunt aggressi.

Vagos autem Diui Augustini alumnos, nec certâ in sede morantes, ad Cœnobium a S. Lazaro vocatos fuisse, tradit Aloysius Torellus tomo 1. Sæculorum Augustinensium ad annũ Christi CCCLXXXVII. fretus testimonio Ripamontij, Morigij, Besutij, & Ioannis de Deis in libro Successorum S. Barnabæ.

Nouissimè Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum meminit S. Lazari: vbi tamen nonnulla sunt corrigenda. Ait enim, Diuos Ambrosium & Simplicianum esse fratres; qui nisi Episcopatu & Fide germani fuerunt, certè carne non fuere; Satyrus enim fuit frater Ambrosij, & Simplicianus Ciuis fuit Mediolanensis, non autem Romanus, vt infra constabit. Tradit etiam S. Marolum Romanum fuisse, quem tamen ex testimonio Diui Ennodij liquet fuisse natione Syrum. Denique affirmat, omnes Antistites Mediolanenses, quos laudauit carmine S. Ennodius, ascriptos Superûm Albo, præter Theodorum Medicæum, quem tamen Ennodius appellat *virtutum omnium Episcopum*. Verùm sciat Ciuis noster eruditissimus, Theodorum quoque Medicæum singulis annis cælestes honores habere in Laurentiana Basilica Mediolani, vbi eius sacrum Corpus conditum est; sicuti fusè ostendit Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ, ac nos infra trademus. Ibi etiam auctor Ephemeridum nonnulla tradit de origine clarissimæ Gentis a Basilica Petri, de qua afferemus testimonium Caroli a Basilica Petri ad diem quintam Maij, cùm de S. Geruntio agemus.

Si quis verò de Litania Minore, eiusque ieiunio, itemque de Litania Maiore, plura scire velit, interroget Scriptores, præsertim Serariũ lib. 2. de Processionibus cap. 7. & 8.; sedenim Fideles ieiunasse in Vigilia Pentecostes constare videtur ex Sermone sexagesimo S. Ambrosij tomo 5., cuius periocham legunt Ambrosiani ad Officium Matutinum Sabbati Pentecostes; verùm Gauantus Parte 4. in Rub. Missalis Romani Tit. 11. num. 17. negat, eum Sermonem esse S. Ambrosij; Serarius autem docet, nullum olim seruatum fuisse ieiunium a Paschate ad Pentecosten.

PRI-

PRIDIE IDVS FEBRVARII.



Mediolani Sancti Mauri Abbatis, qui Cœnobio Insigni Sancti Victoris summâ cum laude præfuit.

FEBRVARII 12.

Cœnobium hoc, cuius Templum Sancto Victori Sacrum magnificentissimè postea Cœnobitæ Oliuetani restituerunt, olim fuit Monachorum Ordinis S. Benedicti, quibus præsedit Diuus Maurus. Eius Corpus ibidem asseruari nouimus ex Visitatione & Translatione Corporum ibidem iacentium factâ a S. Carolo, quemadmodum infra docebimus ad diem vigesimam sextam mensis Iulij. Hanc Basilicam Portianam colunt nunc Cœnobitæ Oliuetani; Liturgiam ad aram eiusdem maximam Ritu Ambrosiano celebrantes. Ferunt, Abbatem Ioannem Andream Gallaratum abdicasse se pingui illius Templi Sacerdotio eâ lege: vt Monachi Liturgiam Maiorem in ara Maxima Ritu Ambrosiano facerent. Certè in summa fronte eius Ædis eminet stemma clarissimæ Familiæ Gallaratorum.

Cæterùm ea Basilica vocata est Portiana a nomine conditoris; illam enim ædificandam curauit, Portius filius Philippi, viri eximiè pij: fuitque Consecrata a S. Castritiano Mediolani Antistite, sicuti Carolus a Basilica Petri testatur in Vita eiusdem S. Castritiani, & legere est in Breuiario Ambros. Calendis Decembribus, quo die redit anniuersaria memoria eiusdem. Basilicæ verò Portianæ meminit S. Ambrosius in Epistola ad Marcellinam sororem, eamque appellat *extramuranam*, quòd esset extra vrbis mœnia. Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Ripamontius in Hist. Ecclesiast. Mediol., Puricellus in Monum. Basil. Ambros. & alibi, demum Abbas Raphael Moneta Oliuetanus in libro, cuius mentionem faciemus infra in Notis diei decimæ septimæ Septembris.

IDIBVS FEBRVARII.



Edæ Sanctorum Fratrum Haymonis & Vermundi Confessorum, qui ibidem, ædificato Sacrarum Virginum celebri Monasterio, quiescentes, a Federico Borromæo Cardinali Archiepiscopo translati, honorifico sepulcro reconditi sunt.

FEBRVARII 13.

Vitam Sanctorum Haymonis & Vermundi Ciuium Mediolanensium ex Nobilissima Coriorum Familia (quam laudat doctissimus Haymo Corius Clericus Regularis S Pauli, necnon Puricellus in Dissertat. Nazar. cap 110 eiusque Stemma illustrat Ioannes Antonius Castillionæus parte 1. fasciculo 11. antiquitatum Mediolanensium) plures auctores scripserunt, nempe Ferrarius in Catal SS Italiæ, Bollandus in Actis Sanctorum, Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanen. (qui antiquitatem Cœnobij ab eisdem, Sanctis Fratribus conditi ex eo conijcit, quòd viderit tabulas subsignatas anno MV., cùm Berlinda præesset Monasterio) Haymo Corius, Antonius Lupis: eorumque meminere Emmanuel a Laude, Morigius lib. 2 Hist. Mediol. cap. 7., item in Summario lib. 1. cap. 12., vbi etiam hoc Insigne Monasterium commendat, necnon in Sanctuario, Bernardinus Corius parte 1 Hist. Mediol., demum Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum, ac in libro, qui inscribitur *Sacre Metamorfosi* centuriâ 1. Conuersione 43; eorum quoque meminerunt Picinellus in Elogijs extemporalibus, & Bagatta tomo 2. admirandorum.

Horum autem Sanctorum Corpora translata fuisse a Cardinali Borromæo narrat Franciscus Riuola in eiusdem Vita lib 5. cap. 14., aitque, in arca pulcherrima, ex marmore Cariarensi, fuisse illorum ossa composita cum lamina plumbea translationis

nis indice, quæ præfert sequentem Epigrapham:

Corpora SS. Aymon. & Vermun. Fratrum
Comitum ex Coriorum agnatione
ab antiqua Cœnobij Ecclesia
ad hanc aram a Federico Cardin. Archiep. translata XVIII. Cal. Iulij CIↃIↃCXXVI.

Eisdem verò Sanctis Fratribus sacellum elegantissimum excitandum curauit in Basilica Ambrosiana Mediolani Hieronymus Corius, eidem tunc Basilicæ Præpositus, deinde Episcopus Parmæ.

Cæterùm Pagus Medæ (quem ego potiùs *Metam* appellauerim, quòd ibi posita sit collium circumiacentium meta, excurrẽtibus postea in latam diffusamq; planitiem agris) est illustris tũ celeberrimo Sanctimonialium Asceterio, (de quo agit Morigius in libro 4. Hist. Mediol. cap. 11.) Ordinis S. Benedicti, tum ortu S. Ioannis, cuius redibit mentio septimo Cal. Octobris. Hunc Pagum illustrat Corius in Vita eorundem Sanctorum, docens, iccirco *Medam* vocari, quòd ibi olim sylua floresceret Medeæ sacra; quemadmodũ proxima erat sylua alia Feronæ dicata, quam memorabimus in animaduersionibus ad diem tertium Cal. Maij Etiam Brautius SS. hosce Fratres cõmendat, quòd incolumes ex Apris insequẽtibus, deserta loca adierint, vbi celeberrimum postea Virginum Cœnobium condidere.

A geminis Apris Fratres Veremundus & Haymo.
Salui, deserti mox petiere nemus.

Syluam videlicet Medeæ sacram.

DECIMO SEXTO CALENDAS MARTII.


Omæ Sancti 1. Valentini Presbyteri & Martyris, cuius Corpus Varisium delatum est. Item Romæ alterius Sancti 2. Valentini Martyris, cuius Corpus Luragi Marinoni asseruatur. Spoleti Beatæ Christinæ 3. Virginis, Or-

dinis

dinis Sancti Augustini, Ciuis Mediolanensis, genere ac iugi Dominicæ Passionis meditatione clarissimæ.

FEBRVARII 14.

1. EX Tabulario Ecclesiæ primariæ Varisij; hunc tamen S. Valentinum putamus alium esse ab eo, cuius hodie memoria celebris est in horarijs precibus Ritûs Romani; nam hic dicitur conditus Romę in Sacra Æde Diuę Praxedis. Est autem Varisium oppidum nobilissimum, de quo Blondus Flauius in Lombardia, Castillionæus in libro de antiquis sedibus Gallorum Insubrum, & Gaudentius Merula in lib. 1. de Gallorum Cisalpinorum antiquit. cap. 6., scripserunt.

2. Huiusce Diui Valentini Corpus effossum fuit ex Cœmeterio Priscillæ, ac inspectum in Curia Archiep. pridie Nonas Iulij anno MDCLXXIX.; quod postea egregiâ pietate Caroli Francisci Carariæ Parochi Luragi Marinoni collocatum fuit, honorificâ omnium accolarum, Parochorum, & Canonicorum illustris Ecclesię S. Stephani Applani, supplicatione, in Sacra Æde Parochiali S Georgij eiusdem Pagi, qui continetur in Plebe Applani, quod Oppidum seruat in Ecclesia primaria Insignes Reliquias, sicuti aliæ eiusdem Metrocomiæ Ecclesiæ affluunt plurimis nobilibusque lipsanis. Hâc die colitur Luragi Diuus Valentinus, fortasse ob memoriam aliûs Valentini; sed enim mihi arrisisset dies Translationis, qui fuit quarto Cal. Maij, ad Sanctorum cultum discernendum, vt infra trademus ad diem nonum Cal Sextiles, cùm de S. Seruiliano agemus, atque alibi in hoc eodem Martyrologio.

3. De Beata Christina plures agunt Scriptores, quos citat Bollandus tomo 3. Februarij, Arturus du Monstier in Gynecæo mulierum die octauâ Aprilis, Cardin. Federicus Borromæus Archiep in libro, cui titulus *De amore virtutis*, Cornelius Curtius, Antonius Galiardus, & Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum. Fuit verò Beata Christina ex inclytâ Vicecomitum Familiâ, vti apud Bollandum & alios aucto-

auctores, licèt Cardinalis Borromęus, illam ex antiqua Domo Comitum duxisse originem affirmet.

Porrò Christina cogitationes suas omnes in Christi Redemptoris Passione defixerat, quemadmodum scriptores citati a Bollando & Cardinalis Borromæus testantur. Etenim sextâ quâque feriâ bibebat fel in memoriam Passionis Dominicæ: immo aliquando pedem Læuum traiecit clauo: cuius rei gestæ imagines passim conspiciuntur in Sacris Ædibus Cœnobitarum Augustinianorum. Facta omnia Beatæ Christinæ picta sunt in Templo S. Marci Mediolani, quà eius porta, meridiem versùs, respicit fossam nauigabilem; eius verò Insignes Reliquias, nempe crus Læuum, Eminentissimus Cardinalis Cæsar Fachenettus Episcopus Spoleti dono dedit Excellentissimo Marchioni Vercellino Marię Vicecomiti (qui tamen alias eiusdem Beatæ Christinæ Reliquias collocauit in domestico Lario) illudque elargitus est Paulæ Teresiæ Sorori suæ, Cœnobij Diuæ Magdalenæ Ordinis S. Augustini Antistitæ, quemadmodum patet ex tabulis; quæ sanè lipsana, in pretiosissima Cruce inclusa, eius Asceterij Virginibus sunt acceptissima. Munificentia & Pietas Marchionis Vicecomitis eblandiri potuit eiusmodi Reliquias, vti legimus in Tabulis subsignatis Spoleti die quartâ Nouembris anno MDCLXXVIII. ab Odoardo Rosmarino. Namque lychnus pensilis argenteus donatus a Vicecomite illustrat lumine perpetuo tumulum Beatæ Christinæ; quod vtique constat ex Tabulis, quarum hæc sententia, videlicet.

Cæsar Miseratione Diuina Episcopus Pranestinus S.R.E. Cardinalis Fachenettus Episcopus Spoletinus.

Vniuersis & singulis præsentes nostras literas inspecturis & notum facimus & attestamur, quòd nos infrascripta die, occasione transferendi de Altari S. Michaelis Archangeli & S. Nicolai ad illud Sanctissimi Crucifixi Ecclesiæ S. Nicolai RR. PP. Ordinis Eremitarum S. Augustini huius Ciuitatis Corpus Beatæ Christinæ de Vicecomitibus Mediolanensis Tertij Ordinis S. Augustini, quod a ducentis duodecim annis citra in primo dicto Altare asseruatum & veneratum fuit, ac publicæ Fidelium venerationi expositum in quadam Capsa lignea cum crystallis in parte anteriori, in qua

intus & foris adsunt & pendent argentea anathemata in signum gratiarum a Deo Fidelibus impertitarum meritis & intercessione dictæ Beatæ Christinæ, cuius Festum in dicta Ecclesia singulis annis celebratur die decima quarta Februarij, & ad præsens ante dictum Altare Sanctissimi Crucifixi, ad quod Sacrum Corpus præfatum transtulimus, ardet diu noctuque Lampada Argentea ex munificentia & singulari pietate Illustrissimi & Excellentissimi D. Marchionis Vercellini Mariæ de Vicecomitibus Nobilis Mediolanensis, prosapia dictæ Beatæ Christinæ, ad præsens in Statu Mediolanensi pro Hispaniarum Rege Tribuni Militum, vulgò Mastro di Campo Generale, ea, qua decuit, reuerentia, mediantibus PP. præfatis, dictam Capsam aperuimus, & dicto Sacro Corpore sumpsimus integrum crurem sinistrum, quod dono dedimus & elargiti fuimus dicto D. Marchioni Vercellino Mariæ ad effectum in eius Sacello domestico collocandi & retinendi, cum facultate etiam donandi & consignandi Ad R. M. Sorori Paulæ Teresiæ Vicecomiti eius Sorori Abbatissæ in Ven. Monasterio S. Mariæ Magdalenæ Mediolani eiusdem Ordinis S. Augustini &c. ex his patet, Festum Beatæ Christinæ celebrari hâc die, non autem octauâ Aprilis; quæ omnia fusè narrantur a Torello tomo 7. Seculorum Augustinensium.

DECIMO QVINTO CALENDAS MARTII.



OMÆ Sancti 1. Lucij Martyris. Eius Corpus Mediolani in Ecclesia Parochiali Sanctorum Cosmæ & Damiani summâ veneratione custoditur. Item Mediolani Sancti 2. Fausti Martyris.

FEBRVARII 15.

1. EX Tabulario eius Ecclesiæ, quam tuentur Cœnobitæ Hieronymiani, ac, Æde veteri deletâ, magnificè & sumptuosè ædificauerunt; hoc verò Templum consecratum fuit anno MDCLXXXII. ab Illustrissimo D. Bartholo-

mæo Capra Episcopo Bobij decimo octauo Cal. Octobris.
2. S.Fausti meminit Ferrarius in Catal. Sanctorum, qui non sunt in Martyrol. Romano, vsus testimonio Galesinij. Alterius quidem Fausti martyrium memorat Romanum Martyrologium die septimâ Idûs Augusti, cuius meminerimus infra. De hoc autem Fausto nihil vnquam legi, nisi apud Ferrarium, cordatum tamen & solertem alioqui Scriptorem; nisi fortasse hic dies sit Inuentionis aut Translationis eius Fausti, qui septimo Idûs Augusti, Aurelio Commodo imperante, martyrium pro Christo sustinuit. Illum autem eundem esse testatur Ferrarius: ac proinde diem Natalem veneramur mense Augusto: Inuentionem, aut Translationem hodie factam memoramus ab Henrico Septala Archiep. Mediol. ex Cœmeterio Caij (vulgò Ecclesiâ S. Francisci) ad sacram Ædem Diui Apollinaris, siue ille vocetur Faustus, vel Faustinus, vt alij malunt; de quo infra die septimâ Augusti.

VNDECIMO CALENDAS MARTII.

MEdiolani Sancti Mansueti Episcopi Sanctitate & doctrinâ celeberrimi.

FEBRVARII 19.

HIc est dies Natalis S.Mansueti, cuius Officium ideo transferunt Ambrosiani in diem secundam Septembris, quòd sæpe incidat in Quadragesimam; hodie tamen Mystæ, qui in Diœcesi Mediolanensi Ritibus Romanis vtuntur, celebrant Officium de S.Mansueto. Agunt igitur de Diuo Mansueto Martyrologium Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Baronius tomo 8. Annalium ad annum DCLXXX., qui Mansuetum appellat *spectatæ sanctitatis Antistitem*, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Besutius in Hist Pontific, Vghellus tomo 4., Galesinius, Ripamontius Dec.1 Hist.Ecclesiast.lib. 9, Liber Successorum S.Barnabæ, Catalogi M.SS., Bollandus, Puricellus in Dissertat. Nazar.cap.72., & in Monum. Basil. Ambros. num.27. & 444.

Chalcus lib. 4. Hist. Mediol, Carolus a Basilica Petri in libro de Metropoli Mediolanensi num. 14., Hieronymus a Basilica Petri in lib. Sacrarum Ephemeridum, denique Brautius, cuius distichon promimus alludentis ad nomen Mansueti.

Præfuit inter oues Pastor Mansuetus vt agnus,
In cuius fraudis non fuit ore dolus.

Cæterùm opportunè Ferrarius, duo menda in Historiam Mansueti irrepsisse, ostendit, primum quidem temporum, secundum verò Historiæ. Animaduertit enim, Tabulas Mediolanensis Ecclesiæ dissidere ab Ecclesiastica Chronologia: tum negat, Mansuetum interfuisse Concilio Constantinopolitano, vt Baronius quoq; inficiatur in Annalibus, cui consentit etiam Ripamontius lib. 9 supra memorato. Hæc autem menda in nouissima Breuiarij Ambrosiani emendatione explosa est.

Illud pariter in controuersiam venit de Mansueto, an scripserit Epistolam Synodalem ad Constantinum Imperatorem Constantinopolitanum, quam ait Baronius in Notis Martyrologij Rom. hâc die, *fuisse dignam tanto viro, tantæque Sedis Episcopo.* Negat Paulus Diaconus, cuius testimonio vtitur Baronius in Notis Martyrol Rom. ad diem, qui est pridie Idûs Apriles: eamque ascribit Diuo Damiano Papiensium Episcopo. Mirum enim fuit, hæresim Monothelitarum damnatam fuisse in Romana Synodo a S. Agathone Pontifice Maximo, & ab Episcopis Sanctissimis, videlicet Mansueto Mediolani, Ioanne Bergomi, Anastasio Papiæ, Barbato Beneuenti, Decoroso Capuæ &c. *Sed miror* (inquit Baronius ibidem) *nam, non Damianus, sed Magnus Episcopus Ticinensis interfuit vnà cum Mansueto illi Romanæ Synodo sub Agathone Romano Pontifice, vt apparet ex subscriptione Synodica tunc scripta, qua recitatur in actione quarta sextæ Synodi. Opinatus est ea de causa Latinius noster, eundem Damianum cognomento Magnum esse dictum.*

Sed enim audiamus Carolum a Basilica Petri in libro de Metropoli Mediolanensi numero supra indicato. *Dicitur autem Damianus Episcopus Ticinensis eam Epistolam composuisse a Paulo Diacono, quem Platina & alij secuti sunt &c. Sed cùm Damianus Epistolam nomine Mansueti, Synodique composuisset, ex hac vita paulò pòst migrasse videtur. Nam Anastasius eiusdem vrbis Episco-*

Episcopus libello Synodi Romanæ vnà cum alijs Prouinciæ Mediolanensis Episcopis post Mansuetum subscriptus est, quorum hæ sunt subscriptiones; easque affert auctor; vnde videtur, potuisse quidem scripsisse Epistolam Damianus, sed missa deinde a Mansueto, cui subscripserat Anastasius.

De Magno autem illo Papiensi Episcopo, quod Latinius opinabatur esse cognomentum Damiani, hoc pacto disputat in eodem loco idem Carolus a Basilica Petri. *Mirari autem quis possit, vnde irrepserit postrema omnium subscriptio Magni Episcopi Ecclesiæ Papiensis; nam & superiùs loco suo Anastasius Ticinensis subscriptus est, neque Magnum habent in Episcoporum suorum numero Papienses. Sed est valde probabile, pro Popiliensis, dictum esse Papiensis; in Exarcatu namq; erat Forum Popilij: & ita dicta est Ecclesia Popiliensis, sicuti eodem loco Liuiensis & Corneliensis.*

Suffragatur Puricellus in cap. 72. Dissertat. Nazarianæ Carolo a Basilica Petri, ratus Popiliensem omnino esse appellandum, atque indicans errorem Pauli Diaconi affirmantis, Damianum Episcopum Ticinensem *sub nomine Mansueti Mediolanensis Archiepiscopi composuisse Epistolam*, quæ in Synodo Oecumenica Constantinopolitana sexta *non mediocre suffragium tulit*; cùm eo tempore Damianus, non esset Episcopus, sed Presbyter Ticinensis.

Quando autem, quo anno, cuius operâ, Corpus S. Mansueti ab Ambrosiana Basilica delatum fuerit ad Templum Protomartyris, nondum inuenire potui. Censeo potiùs cum Puricello numero 444. in Monum. Basil. Ambros., tantam Corporis partem vtrobique asseruari: vt Corpus appellari possit, præsertim cùm in Breuiario Ambrosiano dicantur Reliquiæ Corporis S. Mansueti iacere in Basilica S. Stephani. Nos vtramque Basilicam veneramur; vtrobique igitur cineres Sancti Mansueti colimus; de quibus vide eundem Puricellum in Dissert. Nazariana cap. 72., & Lectionarium Ambrosianoromanum, in quo dicuntur ipsius Reliquiæ seruari *in S. Ambrosij* & *S. Stephani*.

NONO CALENDAS MARTII.

Romæ Sancti 1. Fortunati Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis a Fidelibus religiosè colitur. Parabiagi in Diœcesi Mediolanensi Apparitio 2. Sancti Ambrosij Episcopi, Doctoris, & Patroni.

FEBRVARII 21.

1. EX Tabulario Clericorum Regularium, de quorum celebri Templo agit Morigius in Sanctuario.

2. Ex Breuiarijs & Missalibus vetustis Ambrosianis, & præcipuè ex Missali typis edito anno MDLX, in quo est Liturgia *pro victoria adepta apud Parabiagum*, Calendario acephalo M.SS., de quo supra, ex Corio Parte 3 Hist. Mediol., ex Martyrol. Galesinij, Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 54 num. 15. & seqq., Ioanne Molano, ex omnibus Scriptoribus rerum Mediolanensium, denique ex Bollando in Actis Sanctorum hâc die, qui se fusè scripturum spondet de hac Apparitione die septimâ Decembris, cùm de eiusdem Ordinatione aget. Hodie Præfectus atque Aediles vrbis, necnon singula Collegia artificum, procedunt ad Basilicam Ambrosianam ob memoriam Apparitionis; Parabiagi verò Ioannes Vicecomes Archiepiscopus Mediolani sacram Aedem Diuo Ambrosio ædificandam curauit, vti docet Ripamontius Dec. 2. lib. 9. Hist. Mediol. Eccl & Dec. 3. lib. 2 Hist. vrbis Mediolani. Pagum autem Parabiagi laudat Gaudentius Merula lib. 1. cap. 6. de antiquit. Gall. Cisalp.

Cæterùm hæc Apparitio contigit anno seruati terrarum orbis MCCCXXXVI., si fides Ripamontio, qui rem monumentis consignat (quamquam alij trigesimo septimo, alij trigesimo octauo accidisse narrent) *Archiepiscopus* (nempe Ioannes Vicecomes, & quidem eius nominis Primus) *parta per Luchinum*

fratrem

fratrem ad Parabiagum victoria, posuit in loco prælij nobile Templum Diuo Ambrosio parenti vrbis: eique Templo ex victoria ipsa cognomen fuit: & instituit, vt Decuriones vrbis cum Præfecto quotannis mitterent ad id Templum ampla dona, quæ monumento essent, præsenti Diui eius ope seruatam vrbem. Memorant, in medio pugnæ eius ardore, speciem quandam obuersatam esse omnium oculis, tamquam Diuum ipsum Ambrosium equo insidentem, flagelloque insequentem hostes viderent, eoq; terrore contrariam aciem esse dissipatam. Apparuit etiam Florentiæ S. Ambrosius & alibi, de quibus apparitionibus consule Paulinum in eiusdem Vita.

Cur autem Diuus Ambrosius armatus flagello passim pingatur, docet Molanus lib. 3. cap. 54. Hist. Sacrarum Imaginum totidem verbis. *Beatus Vincentius Prædicator notat, in Lombardia S. Ambrosium cum flagello pingi propter ingenuam loquendi libertatem, qua nec Theodosio Imperatori pepercit &c. Addi potest secunda ratio, quia, quod Doctorem Fidei decuit, Arianam perfidiam expulit ex Italia. Est & tertia, eaque, vt apparet, primaria, quòd Mediolanenses ipso inuocato ad Parabiagum victoriam sint adepti anno MCCCXXXVIII.. Ex quo tempore religiosa Ciuitas, haud immemor accepti beneficij, Diuum Ambrosium cum flagello depictum in æternam eius rei memoriam habere voluit, vt habet Lectio tertia Ambrosianæ Ecclesiæ in Festo S. Ambrosij pro victoria, quod est vigesima prima Februarij mensis;* cuius tamen Festi Officium Diuus Carolus sustulit.

De scutica verò, quam vulgus putat fuisse S. Ambrosij, quæque olim ferebatur in supplicationibus Cleri Metropolitani, & quotannis, cùm Triduanæ Rogationes habentur, proponitur Fidelium osculis ab vno ex Senioribus Scholæ S. Ambrosij, vide eundem Puricellum cap. 54. nu. 28. & seq. Dissertat. Nazarianæ. Bene autem animaduertit Beatus Vincentius, Diuũ Ambrosium pingi in Insubribus armatum flagro; nam verè extra Insubres, vt videre est in icunculis, monstratur Ambrosius sacrâ penulâ infulâque tectus, tum alueare secus illius pedes collocatum. Idem Beatus Vincentius apud Molanum hæc docet: *Apiarium siue Aluearium nonnulli ad pedes appingunt propter miraculum examinis apum, quod Paulinus refert*

initio

initio Vitæ eius. Apparitionis igitur istius causâ, maluere Mediolanenses Ambrosium pingere cum scutica, quàm cum alueari. Certè, neque in opere musiuo, neque in testudine supra aram maximam Basilicæ Ambrosianæ, neque in effigie, quæ ibidem est Organo proxima, vnquam vidi Diuum Ambrosium cum flagello: vt proinde cœperit tantùm ferulâ munitus pingi, postquam se in eam speciem obtulit Parabiagi. In hoc quidem Tabulario Modoetiensis Basilicæ inter alia antiquitatis monumenta asseruatur membrana sub signata a Cardinali Vberto Terciaco Archiepisc. Mediolan., qui antea Modoetiensi Archipresbyteratu fuerat defunctus (vt constat ex Tabula Archiep. Mediol. in Actis Mediolanen. Ecclesiæ num 91.) eaque habet ceram pendulam signatam imagine Diui Ambrosij Pontificalibus indumentis amicti, ferentis lituum, & dexterâ benedictionem impendentis. Imaginem illam circumambit hæc Epigrapha videlicet: *Sanctus Ambrosius*; præfert autem ea membrana annum ducentesimum vndecimum supra millesimum. Quamobrem patet, & sigillum olim Archiepiscopale imagine Diui Ambrosij fuisse insignitum, eiusdemque Sancti effigiem ante Apparitionem Parabiagi caruisse flagello.

SEPTIMO CALENDAS MARTII.


ROmæ Sancti Polycarpi Presbyteri & Martyris. Eius Corpus Turbigi, in Diœcesi Mediolanensi, in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani piè honoratur.

FEBRVARII 23.

EX Tabulario Patrum Eremitarum Nudipedum, qui eam Ecclesiam religiosissimo cultu tuentur locupletatam sacris lipsanis a Cardinali Flaminio Plato; is enim sacram illam Aedem & Cœnobium optimis illis Ascetis impendit.

QVIN-

QVINTO CALENDAS MARTII.



Ediolani Sanctorum Felicis & Fortunati Martyrum, quorum Corpora Sãctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus in Basilica Beatorũ Naboris & Felicis honestissimè collocauit.

FEBRVARII 26.

EX Tabulis Visitationis & Translationis, quas proferemus die decimâ quartâ Septembris, & ex Vita S. Caroli scripta a Glussiano lib. 2. cap. 29., ex Sanctuario Morigij, & ex libro Ioannis Baptistæ Villæ de Septem Basilicis Stationalibus. Horum Sanctorum Martyrum Officium, quorum Corpora iacent sub ara Immaculatæ Conceptionis, fit ritu duplici in hac Basilica Pridie Idûs Maij, quo die Mediolanensis Ecclesia peragit Officium de Sanctis Martyribus Aquileiensibus Felice & Fortunato.

TERTIO CALENDAS MARTII.



Omæ Sancti Alexandri Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Alexandri deuotissimè asseruatur.

FEBRVARII 27.

ET quidem huiusce Diui Alexandri ossa recondi debuerant in eius Alexandri Templo, cuius illustre Martyrium fuit Bergomi septimo Cal. Septembres, sicuti in Martyrol. Rom. legimus. Templum hoc ædificatione, cultu, & picturarum elegantiâ nobile commendauimus lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis: idque incrementum vrbanæ magnificentiæ debemus Clericis Regularibus S. Pauli, qui, veteri

Ӕde dirutâ, Templum illud ſumptuoſo opere excitauerunt, & magnum quidem Magno Alexandro Martyri.

PRIDIE CALENDAS MARTII.


Omæ Sancti 1. Iuſti Martyris, cuius Corpus Mediolani in Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani, in Regione Orientali vrbis, conditum eſt. Triuillij Feſtiuitas 2. Miraculoſæ Imaginis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. In Pago Mandij Sancti 3. Macarij Martyris. Eius Corpus illuc Româ delatum in Eccleſia Parochiali honorificentiſſimè cuſtoditur, atque a confluentibus vndique populis ſingulari pietate colitur.

FEBRVARII 28.

1. EX Tabulario Patrum Eremitarum nudipedum, qui ſacram hanc Ӕdem ornauere, & Cœnobium, quod olim erat Baſiliani Ordinis, magnificè reſtituerunt; eius autem Ӕdis meminit Morigius in Sanctuario.

2. Triuillium eſt Oppidum celeberrimum vltra Adduam, & quidem affine Diœceſi Bergomati & Cremonenſi. Hodie imago Deiparæ, quæ inibi colitur ad Diui Auguſtini, cœpit miraculis clareſcere, atque illam ideo populi totius, atque accolarum veneratio anniuerſario cultu adorat; de qua infra redibit mentio decimo ſeptimo Cal. Iulij.

3. Ex Tabulario Eccleſiæ Parochialis, in qua anathemata argentea plurima, non modò a noſtratibus, ſed etiam ab exteris oblata, Sanctimoniam Martyris, & confluentium populorum venerationem, indicant.



MARTIVS.

CALENDIS MARTII.



FEstiuitas Sancti Leonis Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis collocatum est. Item Mediolani Festiuitas Sanctæ Smeraldæ Virginis & Martyris; cuius Caput in Ecclesia Sanctę Barbarę, ossa verò in Ecclesia Sanctæ Praxedis religiosè condita sunt.

MARTII I.



EX Tabulis harum Ecclesiarum; ad sacras verò Aedes Diuæ Barbaræ & Diuæ Praxedis ædificarum est Cœnobium Sanctimonialium Capuccinarum. De Asceterio autem S. Barbaræ egi in libro 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis: de Monasterio verò S Praxedis redibit mentio ad diem quartū Cal. Aprilis. Porrò vtramque Ecclesiam Sanctarum Praxedis & Barbaræ commendat Morigius in Sanctuario.



QVINTO NONAS MARTII.



Ediolani Sancti Valentini Presbyteri & Martyris, cuius Corpus in Basilica Victoriana requiescit.

MARTII 3.

EX Tabulario huiusce Ecclesiæ; præterea de Corpore S. Valentini agit Calendarium acephalum M.SS. die vigesimâ primâ Maij, Diuus Carolus in Visitatione Basilicæ Victorianæ, Gabriel Bucelinus in Sacrario Benedictino sexto decimo Cal. Martij; Calendarium verò Missalis Ambrosiani impressi anno MCDLXXXII. assignat Festum S. Valentini diei vigesimæ primæ Maij.

Quarto Nonas Martij Brixiensis Ecclesia veneratur Antistitem suum, virum Sanctissimũ, Paulinum, cuius mentionem inijcit Martyrol.Rom.die vigesimâ nonâ Aprilis; quem tamen Ferrarius & Faynus malunt appellari Paulum, rati errore Typographorum irrepsisse in diem illam Aprilis nomen Paulini, cùm reuera sit Pauli; cuius nominis aiunt duos fuisse Brixiæ Episcopos. Verùm hæc quæstio minimè pertinet ad institutum nostrum;etenim illud est expendendum, an hic Paulinus ille idem sit,qui fuit Diuo Ambrosio a manu.

Illum eundem esse affirmat Octauius Bossius in Hist M.SS.; eius quidem sententiam affert Faynus in Notis Martyrol. Brixiani hâc die, quam deinde intulisse puto in librum suum Leonardum Cozzandum, inscriptum *Libraria Bresciana* Parte 1. (isq; liber prodijt e typis Brixiensibus annò MDCLXXXV.) *Narrat Bossius, Paulinum hunc fuisse Lectorem & Amanuensem S. Ambrosij Archiep. Mediolani, eiusque infirmitati, morti, & funeri interfuisse: deindeque missum in Africam ad Carthaginense Concilium, vbi cum S. Augustino in amicitijs fuit, eoque sic instante, Vitam S. Ambrosij composuisse*. Sed enim frustra est Bossius, cùm ait, Paulinum missum fuisse ad Concilium Car-

thaginense; nam alia causa permouit Paulinum, vt Mediolano discedens, in Africam se conferret.

Eam proficiscendi causam audiamus a Cardin. Baronio tomo 5. Annalium ad annum CDI.. *Hoc anno* (inquit Baronius) *habita est Synodus Prouincialis Carthagine* (nimirum antequam Paulinus eò proficisceretur) *qua decretum est de legatione mittenda Romam ad Anastasium Romanum Pontificem, atque Mediolanum ad Venerium eius Sedis Episcopum, vt Africanæ Ecclesiæ sacris ministris maximè indigenti consulerent &c. Quanta autem Africana Ecclesia laboraret penuria Clericorum ex verbis Aurelij Episcopi Carthaginensis accipe, quibus sic allocutus est Patres.* Affert deinde Baronius Orationem Aurelij: ac paulò pòst narrationem prosequitur. *Sed & Venerium Mediolanensem Episcopum fauisse votis Africanorum Episcoporum, ex eo existimamus, quòd peculiaris ille auctor Vitæ S. Ambrosij Paulinus, eiusdem Ecclesiæ quondam lector, in Africam amandatus apparet: consedisseque Carthagine apud Fortunatum Diaconum, ipse testatur; & quidem S. Augustini petitione se scripsisse eiusdem S. Ambrosij res gestas, in eadem ipse scriptione confirmat. Quem quidem & eundem illum putamus esse Paulinum, qui in eadem Ecclesia Africana aduersus hæresim Pelagianam primus omnium strenuè Cælestium exagitans decertauit*, in Synodo videlicet Carthaginensi habitâ anno CDXII. Paulinus egregiè confutauit Cælestium de Peccato Originali, quemadmodum ibidem Acta eius Concilij monumentis consignat, in quo deinde Cælestius fuit damnatus: de quo Cælestio & Paulino scripsit etiam Marius Mercator in commonitorio ad Theodosium Imperatorem.

Hunc verò Paulinum, neque Baronius, neque Isidorus de viris illustribus citatus ab eodem Baronio ad annum Christi CCCLXXXXVII., neque Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, appellant Sanctum; vnus Mercator, illum vocat *Diaconum Sanctæ Memoriæ*. Fuit quidem ille, vt confitetur, sub cura Casti Diaconi viri Sanctissimi, atque ipsius Archipręsulis Ambrosij scriba. Eundem quidem fuisse hominem doctrinâ virtuteque præstantem, & monstrat disputatio cum Cælestio, & modestia, quâ, tam in exordio, quàm in fine Vitæ

S. Am-

S. Ambrosij de se demissè sentit. Certè virum numeris omnibus absolutum indicant Ambrosius & Venerius, duo Mediolanensis Ecclesiæ firmamenta, quorum alter sibi Paulinum in scribam, alter ad augendas ornandasque Africanas Ecclesias miserit: cuius etiam Paulini meminit S. Augustinus lib. de Peccato Originali cap. 6.

Quòd autem Bossius affert testimonium cuiusdam antiquæ tabulæ Episcoporum in membrana, quo dicitur Paulinus Episcopus Brixianus *diu in Africa commoratus, ac permultum laborauisse in vinea Domini*; non videtur illud suffragari Paulino Mediolanensi: vt propterea conijcere possimus, illum eundem esse, qui postea fuit Episcopus Brixiæ. Etenim potuit alius esse Paulinus a Mediolanensi: quemadmodum Baronius eodem tomo & anno CCCLXXXXVII. tradit, præter Paulinũ Mediolanensem, *alios vixisse Paulinos Augustino notissimos*; neque enim discordat temporum ratio, quò minùs Paulinus Brixiensis illo seculo superstes, & sequenti Episcopus, in Africa commorari potuerit, ac deinde ad sedem Brixianam reuerti. Hæc candidè scripsi, non vt aliorum sententiam reprehenderem, sed vt animi mei sensa aperirem: profiteorque, me libenter iturum in sententiam Scriptorum Brixiensium, ac proinde adiuncturũ hunc Paulinum Martyrologio Mediolanensi, cùm clarè constiterit S. Paulinum Brixiæ Episcopum illum eundem esse, qui famulatus est Diuo Ambrosio. Quid enim mihi iucundius accidere potest, quàm vt Ecclesiam Mediolanensem plurium Sanctorum accessione insigniam? eò quidem inclinauerat sententia: sed enim propositi pœnituit, quoniam Sanctitatis Paulini, qui Diuo Ambrosio fuit a manu, nullum in Tabulis Mediolanensis Ecclesiæ vestigium inuenissem; cùm alioqui neutiquam dissentiret ratio temporum, quandoquidem æquales fuerunt Paulinus Mediolanensis, & Brixianus.



OCTA-

OCTAVO IDVS MARTII.



Eroni Festiuitas Sanctæ 1. Felicitatis Virginis & Martyris: cuius Reliquiæ vnà cum Capite & Ossibus Sancti Hilarij Martyris, in Templo Deiparæ Virginis, magno honore coluntur. Nouocomi Sancti 2. Prouini eiusdem vrbis Episcopi, qui natione Gallus, auditâ Beati Ambrosij Episcopi famâ, Mediolanum venit, a quo Fidei Christianæ mysteria didicit.

MARTII 8.

1. EX Tabulario Templi S. Mariæ Seroni, quod est insigne in Diœcesi Mediolanensi: de quo scripsit Aloysius a Sancto Petro, & nos meminerimus infra die duodecimâ Septembris.

2. Ex Officijs proprijs Sanctorum Ecclesiæ Comensis editis anno MDCLXXVII., item ex Martyrologio eiusdem Ecclesiæ, in cuius Notis multi scriptores numerantur agentes de S. Prouino, denique ex Breuiario vetusto Comensi, cuius ego exemplum collocaui in Bibliotheca Ambrosiana ad tuendam memoriam veterum Rituum Insignis Ecclesiæ Comensis, quam hoc sæculo Philippus Archintus Episcopus a Ritu Patriarchino ad Gregorianum traduxit.

Diuum autem Prouinum ex Gallia Mediolanum ad Diuum Ambrosium venisse, constat ex Officijs & Martyrol. Comensi, item ex Actis Sanctorum P. Henschenij tomo 1. Martij, ex Vghello tomo 5. Italiæ sacræ, ex Catal. SS. Italiæ Ferrarij, atque ex libro Sacrarum Ephemeridum Hieronymi a Basilica Petri. Neque mirum alicui videri debet, quòd multi confluerent ad Sanctum Ambrosium, quando eius Sanctitatis

fama,

fama hùc Bononiâ sacras Virgines vocaret, & alios plures; qui se eius magisterio committebant ad Sanctimoniæ disciplinam; quemadmodum dicemus identidem in hoc Martyrologio.

Brautius S. Prouinum disticho commendat:

Pastorem recipit Gallum gens læta Comensis;
A dira per quem libera peste stetit.

QVINTO IDVS MARTII.


Ediolani Sancti Benedicti Episcopi & Confessoris, qui Sanctitate, non modò apud Italos, sed apud exteras quoque gentes celebris, quadragesimo septimo sui Sacerdotij anno migrauit ad Dominum.

MARTII 11.

QVanta esset fama sanctitatis Diui Benedicti, didicimus tum ex Breuiario Ambros., tum ex Paulo Diacono lib. 6. cap. 10. de gestis Longobardorum. Eius Sancti meminit Martyrol. Romanũ, Missale & Breuiariũ Ambros. die sextâ Septembris, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Galesinius, Henschenius, Puricellus num. 27. in Monum. Basil Ambros., & in Dissertat. Nazariana cap. 72., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Vghellus tomo 4., liber Successorum S. Barnabæ, Catalogi M.SS., Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Chalcus lib. 4. Hist. Pat., Besutius in Hist. Pontif., Ripamontius Dec. 1. lib. 9. Hist. Eccl. Mediol., Picinellus in Athenæo Scriptorum Mediolan., Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemeridum, deniq; Brautius eleganti disticho.

Hic Benedictus erat factis & nomine Præsul,
Maxima qui cessit post benefacta senex:

vt Benedictus Benefactis semper eminuerit.

Cùm autem in Lectione, quæ recitatur ad Matutinas horas in Breuiar. Ambros., dicitur S. Benedictus *incidisse in ea tempora,*

vt Ecclesiæ suæ causam, tum literarum auctoritate, tum animi constantia defendere necesse haberet, eius concertationis fit mentio tacita, quâ Diuus Benedictus cum Sancto Armentario Papiæ Episcopo contendit, petens, vt Episcopus Papiensis a Mediolanensi Archiepiscopo consecraretur. Hæc autem accidisse anno DCCXV. auctor est Carolus a Basilica Petri in Metropoli Mediolanen. num. 15.; quo sanè tempore Diuus Armentarius, suffectus in locum S. Damiani, Ticinensem Ecclesiam, Constantino Pontifice Maximo, administrabat. Causâ cecidit Benedictus; de quâ re consule Ripamontium lib. 9. supra memorato, Carolum a Basilica Petri de Metropoli Mediolan., Puricellum in Vita S. Laurentij Littæ cap. 13.; cui respondit I.C. Octauius Ballada Præpositus S. Ioannis Domnarum Papiæ: eamque responsionem apologeticam M. SS. mihi ab Illustrissimo Carolo Septala Episcopo Dertonæ mei amantissimo & Præsule eruditissimo oblatam legi. Ego & Mediolanensem & Ticinensem Ecclesiam, vtramque plurium Cælitum Parentem, eximiè veneror & colo: nec huic me certamini agonothetam volo.

Illud præclarum est (idque memorant Ioannes de Deis & Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 72. num. 10., complures ibi nominando auctores) quòd S. Benedictus, cùm Romæ moraretur, scripserit Epitaphium Ceadual Regis Anglosaxonum, cuius est, in astrictâ numeris oratione, exordium:

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos
Exuuias, proceres, moenia, castra, lares &c.

Porrò Ceadual, vt ibidem monstrat cum Baronio Puricellus, *Romam profectus anno DCLXXXIX., & e Gentilismo ad Catholicam conuersus Christi Fidem, intra diem inde octauum ibidem obijt, & in Basilica Principis Apostolorum sepultus est.* *Hoc Epitaphium* (inquit Ioannes de Deis in libro Successorum S. Barnabæ) *diu cum arca sepultum, cui erat insculptum, iacuit: & annis præteritis ab effossoribus fabricæ Basilicæ S. Petri repertum fuit.*



TERTIO IDVS MARTII.



Ediolani Commemoratio Sancti Barnabæ Apostoli, & primi eiusdem vrbis Episcopi, qui hâc die, erecto extra vrbis mœnia Sacrosanctæ Crucis vexillo, Catholicæ Fidei rudimenta, Diuini Verbi prædicatione, Mediolanẽsibus tradere incœpit.

MARTII 13.

Diuum Barnabam fundauisse Nobilissimam Mediolanensium Ecclesiam, liquet ex Annalibus Baronij ad annum LI, ex Martyrol. Comensi die vndecimâ Iunij, ex Notis Martyrol. Brixiani ad eandem diem, ex Missali & Breuiario Ambros., ex Maurolyco in Topographia scripta per Primum Cabilunensem Episcopum V. *Mediolanum*, ex Ferrario in Catal. SS Italiæ die vndecimâ Iunij, & in Notis eiusdem Ferrarij in Catal. die vigesimâ septimâ Augusti ad Vitam S. Narni Episcopi Bergomensis, ex Theatro triumphali Saluatoris Vitalis, denique ex omnibus Scriptoribus rerum Mediolanensium. Quamobrem non video, quâ ratione Antonius Maria Spelta in Chronicis Ticinensibus negauerit, Diuum Barnabã fuisse primum Mediolanensis Ecclesiæ Antistitem; id enim clarè constat etiam ex Martyrologio Rom. septimo Cal. Octobres, vbi in mentione S. Anathalonis Episcopi, idem Anathalo dicitur fuisse *Beati Barnabæ Apostoli discipulus, atque in eius locum Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus successisse*. Si enim Anathalo subrogatus fuit in locum Episcopalem S. Barnabæ Apostoli; ergo Diuus Barnabas primò fuit Mediolanensium Episcopus, secundò Anathalo, tertiò Caius eiusdem Barnabæ discipulus, vt in eodem Rom. Martyrologio quinto Cal. Octobris &c.

Quòd autem hodie Diuus Barnabas Mediolani Crucis vexillum, verbum Dei prædicaturus, erexerit, indicat annuus concursus

totius Populi Mediolanensis, grati animi ergò, confluentis ad Basilicam S. Dionysij (de qua egi in lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis, & meminit Morigius in Sanctuario, & Villa de Septem Basilicis Stationalibus) vbi in eiusdem vmbilico, in rotundo silice, incisa est eiusmodi Epigrapha, quam promit etiam Castillionæus in parte 1. Fasciculi 1. Mediolanensium antiquitatum: testaturque huic opinioni de Prædicatione S. Barnabæ, fidem accedere è veteri Manuscripto in sacra Æde Dionysiana reperto. Hæc verò est Epigraphe.

In hoc rotundo Lapide erectum fuit
vexillum Saluatoris à Beato Barnaba Apostolo
Ecclesiæ Mediolanensis Fundatore:
vt Scriptorum auctoritate,
Et vetusta Populi huc confluentis
tertio decimo die Martij
traditione comprobatur.

Cuius Prædicationis causâ hodie inibi recitatur Officium ritu Duplici de S. Barnaba a Patribus Ordinis Seruorum Virginis Mariæ, a quibus hæc Basilica religiosè colitur: de cuius veteri Cœnobio agit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. nu. 228. De hac eadem Basilica Dionysiana meminit Hieronymus a Basilica Petri in libro Sac. Ephemeridum die 25. Maij in calce Vitæ S. Dionysij, testatus ibidem, antequam ea Basilica ædificaretur, stetisse ædiculam Titulo Saluatoris.

PRIDIE IDVS MARTII.


Ediolani Natalis Sancti Lazari eiusdem vrbis Episcopi, cuius venerabilem Sanctitatem Sanctus Ennodius versibus exornauit.

MARTII 14.

DE S. Lazaro scripsimus supra, cùm de ipsius Translatione die vndecimâ Februarij ageremus; hodiernus enim dies est Natalis eiusdem. Natalis autem dies ille ap-

pellatur (quemadmodum docet Baronius in Notis Martyrol Rom. die tertiâ Ianuarij ad literam *b.*) quo vir. Sanctus ex hac vita migrauit; quod confirmat S. Augustinus serm. 113., S.Petrus Chrysol. serm.129., & Gauantus parte 4. tit. 13. in Rub.Missalis Romani num.5.

Dicitur autem S. Lazarus fuisse Primicerius Mediolanensis Ecclesiæ, antequam infulâ insigniretur; etenim erat eo tempore honos Primiceriatûs, etiamnum superstes in Ecclesia Mediolanensi; significat verò Primicerius *Principem* vel *Primum.* Hinc S.Stephanus a S.Augustino, siue mauis a S.Fulgētio, vocatur *Primicerius Martyrum*, hoc est, *Primus Martyrum.* Et quamuis Acursius Primicerium appellari velit, quòd *Primus Cereum* ferat: attamen hæc etymologia ab omnibus exploditur. Primicerius ab aliquibus dicitur *honore inter Notarios Primus*: sicuti sequens vocatur *Secundicerius*; erat etiam olim Primiclerus, qui distinguebatur a Primicerio, vti sentit Ioannes Filesacus cap 4. de origine Parœciarum. De voce Primicerij consule Cardin. Baronium in Notis Martyrol. Rom. die decimo quarto Cal. Iunij ad literam *d.*, vbi explicat etymon illius vocis, cùm Diuorum Caloceri & Parthenij mentionem facit; quorum *primus erat Præpositus cubiculi Decij Imperatoris: alter verò alterius muneris Primicerius &c.* erant enim Primicerii, Secundicerij, Tertiocerij &c. Item vide Augustinum Barbosam cap.9. de Canonicis & Dignitatibus, qui multa tradit de munere Primicerij, & Carolum a Basilica Petri de Ritibus Mediol Ecclesiæ in Bibliotheca Ambrosiana.

Si quis verò mihi battologiam quandam obijciat, quòd iterum S.Lazari meminerim, tuebor me exemplo Martyrol. Rom., qui sexto Cal Februarij Translationem, decimo octauo Cal. Octobris Natalem S.Ioannis Chrysostomi commemorat: septimo Idûs Februarij Translationem, tertio decimo Cal. Iulij Natalem agit S Romualdi: bis meminit S. Basilij Magni, videlicet Cal. Ianuarij, & decimo octauo Cal. Iulij: bis S. Ambrosij Doctoris, nimirum pridie Nonas Aprilis, & septimo Idûs Decembris: bis Sanctorum Nazarij & Celsi, scilicet sexto Idûs Maij, & quarto Cal. Augusti: bis S.Inuentij Episcopi Ticinensis, nempe sexto Idûs Februarij, & pridie Idûs Septembris &c.

Vt proinde etiam nos plùs vice simplici memorare possimus S. Lazarum, S. Ampellium, aliosque plures Mediolanensis Ecclesiæ cælites, diem vnum ascribendo Inuentioni, alterum Natali, aut Translationi: ita vt dies singuli annuam nobis ac præclaram Sancti alicuius reuocent Solemnitatem.

Illud autem est exordium carminis, quo S. Ennodius Diui Lazari virtutes laudauit:

Lazarus vt diri premeret pede culmina Mundi,
Vocibus accitus trux venit in medium &c.

Errat verò magnopere Ripamontius Dec. 1. lib. 6., qui Diuum Lazarum Idibus Aprilis migrasse ait in Cælum; cùm hic dies, consentientibus omnibus Scriptoribus, sit Natalis eius Antistitis, vt etiam hâc die Galesinius animaduertit.

IDIBVS MARTII.


Vrbigi Sancti Fortunij Martyris, cuius Corpus ibidem in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani quiescit.

MARTII 15.

EX Tabulis eius Ecclesiæ, in qua hodie celebratur Officium ritu duplici de S. Fortunio.

DECIMO SEPTIMO CALENDAS APRILIS.


Ediolani Beatæ Beatricis Matronæ, quæ nobili genere nata, post viri obitum, se Deo dicauit, atq; summâ vitæ integritate clara, obdormiuit in Domino.

MARTII 16.

QVas mulieres Romana Ecclesia appellat Viduas, Mediolanensis appellat Matronas; nam in Breuiario Ambrosiano habetur *Commune vnius Matronæ*. De Beata

Beatri-

Beatrice, quæ orta est ex nobilissima Casatorum familia, plura afferuntur in Martyrol. Comensi, & præcipuè legitur præclarum testimonium Donati Bossij in Chronicis, qui fuit æqualis Beatricis. Decessit autem illa anno MCDLXXXX., cùm antea coniuncta fuisset Comiti Franchino Ruscæ matrimonio; erat verò Franchinus nobilis Patritius Comensis, eiusque coniugij causâ nobilis Matrona Mediolanensis relata est inter Cælites Ecclesiæ Comensis ab Aloysio Tatto. Porrò tumulata fuit Mediolani in Templo S. Angeli, propterea quòd Beatrix, mortuo coniuge, nomen dedit Tertio Ordini S. Francisci: ibique eius effigies in lapide sepulchrali cum capite radiato est insculpta. Scriptoribus, quorum testimonio nititur auctor Martyrologij Comensis, accedit Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacr. Ephemeridum die sextâ Maij in Vita B. Prudentiæ, Morigius in Sanctuario, qui Sacra Lipsana memoratæ Sacræ Ædis amplissimæ describens, hæc tradit. *Le Reliquie, che si trouano in questa Chiesa, sono. Primieramente il Corpo della Beata Beatrice Rusca chiara di molti miracoli &c.* Appellat autem Beatricem Ruscam, quòd nupsisset Comiti Ruscæ, cùm tamen progenita fuerit ex Familia Casatorum; quam item Rusconam vocat Papebrochius hâc die in Actis Sanctorum. Templum autem illud ac Cœnobium S. Angeli sunt etiam eo nomine Insignia, quòd illic fuerint aliquando conuictores Diui Bernardinus Senensis & Ioannes de Capistrano, cum Beatis Iacobo Picente atque Alberto de Sartiano. Verùm alia etiam de Beata Beatrice scribemus infra, cùm de Beato Alberto Sartianensi die 15. Augusti agemus.

DECIMO QVINTO CALENDAS APRILIS.



MAntuæ S. Anselmi Episcopi Lucensis, & Ciuis Mediolanensis, quem doctrinâ & sanctitate conspicuum Dominus in conspectu Principum magnificauit.

MARTII 18.

DOctrinam & Sanctimoniam Diui Anselmi testatam faciunt Martyrol. Rom., Officia propria Sanctorum Ecclesiæ Mantuanæ, Acta Sanctorum, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Vghellus tomo 1., Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ (in cuius annotationibus, non solùm plures Scriptores citantur, sed etiam refellitur error Syxti Senensis in lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ duos Anselmos constituentis, alium quidem Lucensem, aliũ verò Mantuanum) Leo Ostiensis lib. 3. Chron. Cassin. cap. 63 secundùm editionem a Matthæo Laureto recognitam, Baronius tomo 11. ad annum MLXXXVI. Cardin. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast., Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro, Casimirus Oudin in supplem. de Scriptoribus Ecclesiast., Ciacconius, Benedictus, Lucchinus, Oldoinus in Athenæo Romano, Franciscus Maria Florentinius in Monum. Comitissæ Mathildis, cui S. Anselmus fuit a confessionibus, Puricellus in Vita S. Herlembaldi lib. 4. cap. 71., & in Monum. Basil. Ambros. nu 278., Tattus Dec. 2. lib. 4 Annalium Comensium, Picinellus in Athenæo Literatorum Mediolanensium, qui etiam alios auctores citat, tanquam testes doctrinæ S. Anselmi, Paulus Segnerus disertissimus concionator e Societate Iesu in Panegyrico, cui titulus *il Santo in Corte*, denique Brautius triplici disticho:

S. Anselmus Episcopus Lucensis.

Anselmus Pastoris onus non sponte recepit:
Deponens Monachum sponte reclusus agit.

De obedientia S. Anselmi.

Anselmus positis baculo, mitraque, cucullo
Tectus, in alterius velleitate subest.

De reditu S. Anselmi ad Episcopatum.

Depositum repetit, Summo Pastore iubente,
Pondus: & aduersùs schismata bella gerit.

Cæterùm Diuum Anselmum fuisse Ciuem Mediolanensem, quemadmodum Alexandrum II. eiusdem Patruum, ex clarissima Badagiorum familia, affirmant B... Presbyter Pœnitentia-

tentiarius, qui S. Anselmi res gestas monumentis consignauit, Picinellus, ac Puricellus in locis antè citatis, qui ait, perperam Diuum Anselmum a Cardin. Bellarmino vocari Mantuanum: sicuti illum Mantuæ ascribunt Bucelinus in Menologio Benedictino, & in Annalibus eiusdem Ordinis, & Trithemius in Catal. virorum illustrium Ordinis S. Benedicti. Sed fortasse Bellarminus ideo Anselmum appellauit Mantuanum, quòd diu moratus sit in Cœnobio Mantuano; quâ ratione Diuum Antonium natum Vlyssipone vocamus Patauinum: & Sanctum Nicolaum, in Oppido S. Angeli in Piceno ortum, a diuturno Tolentini domicilio, appellamus Tolentinatem.

Superest Mediolani intra fines Parœciæ S. Ioannis vulgò Quadrifontis Sacra Ædes familiæ Badagiorum, dicata Diuo Hilario Episcopo, cuius meminit Tristanus Chalcus lib. 6. Hist. Pat.. *Interim moritur* (ait Chalcus) *Nicolaus Pontifex, cui Anselmus Lucensis Episcopus sub anno Domini MLX. sufficitur. Is Patria Mediolanensis, Badagiorum familia, Alexander II. nuncupatus, ædiculam Mediolani, cùm adhuc inter Ordinarios Cardinales foret, condidit in honorem Diui Hilarij, quæ in hanc diem sub patrocinio Badagiæ familiæ curatur.* Canonicos autem Ordinarios Metropolitanæ Basilicæ Mediolani quondam vocatos fuisse Cardinales lib. 1. de origine & statu Bibliothecæ Ambrosianæ tradidi; ex quorum nobilissimo cœtu cùm prodierint sæpissime Purpurati & Infulati Patres, magnum insuper decoris ornamentum eidem accedit, quòd Alexander II. Pontifex Maximus ex eodem Ordine sit profectus. Eius verò Summi Pontificis meminit Hieronymus a Basilica Petri in libro Sacrarum Ephemer. in Vita S. Anselmi, & Puricellus in Monum. Basil. Ambrof. num 260.

OCTAVO CALENDAS APRILIS.


MEdiolani Commemoratio 1. Sanguinis Miraculosi, quem imago Infantis Iesu ab impio homine in gutture pugione transuerberati, apud Ecclesiam Sancti

Satyri,

Satyri, hodie mirabiliter effudit. Item Mediolani Natalis Sanctorum Martyrum 2. Protasij & Geruasij, quos eadem Fides & Passio verè fecit esse germanos.

MARTII 25.

1. NArrat miraculum Morigius in Sanctuario, quod constat etiam ex quæstionibus, siue Processibus, habitis. Clarè etiamnum appâret cicatrix in iugulo Diuini Infantis; pugio autem Sanguine Miraculoso cruentatus proponitur hodie publicæ venerationi, & quotannis die Festo Epiphaniæ vnà cum innumeris Sanctorum Reliquijs ex Decreto Cardin. Federici Borromęi Archiep. in Visitatione illius Ecclesiæ. Impio homini nomen erat Massatius (de quo infra die vigesimâ quintâ Augusti) isque infandum scelus admisit anno MCCXLII., quòd describit Ioannes Henricus a Pflaumero in libro, cui titulum fecit *Mercurius Italicus. Inter multa* (ait) *quæ Diui Satyri Ædem venerabilem faciunt, meretur censeri Imago Deiparæ Filium amplexu fouentis in summo Altari constituta* (est verò depicta in pariete tecta Venetâ crystallo) *Massatius quidam Vigonzonius, homo aleæ & otio deditus, cùm per lusum fortunas suas omnes detriuisset, velut iniuriam a Superis acceptam vlturus, cultrum in puelli Christi guttur impegit. Simul imago, tamquam versa foret in hominem, quem referebat, sanguinem adeo vbertim profudit: vt, & Christus toto corpore, & latro ipse in vultu respergeretur. Beatus liquor saxeum cor emolliuit; nam Massatius, vt superfusum ori cruorem persensit, extemplo præsentis Numinis vim agnouit, & solutus in lacrymas, miserabilibus lamentis incusare semet, & detestari admissum facinus antè non destitit, quàm vicini ciues crebris eiulatibus exciti accurrissent. Massatius quatuor annis & semis, asperrimam agendo vitam, luit peccati sui pœnas, receptusque in Monasterium S. Ambrosij, adeo placabiles habuit Superos: vt inter reliqua Dei in viuis accepta dona spiritu prophetico polleret &c.*, quæ tamen vaticinia alteri Massatio sunt ascribenda, quemadmodum infra constabit.

2. Elogium hoc feliciſſimæ germanitatis Protaſij & Geruaſij deſumptum eſt ex Oratione Ambroſiana in die Feſto horum Sanctorum Martyrum; quâ vtitur Eccleſia Romana in Feſtiuitate Sanctorum Martyrum, pariterque fratrum, Ioannis & Pauli, vti fatetur Gauantus in Rub Breu. Rom. ſect. 7. cap. 8. de Feſtis Sanctorum menſe Iunio. Porrò dies decimus nonus Iunij eſt dies Translationis, vt animaduertit Puricellus in Diſſertat. Nazar. cap. 22. num. 7, in quo capite num. 6. affertur Manuale Ambroſianum Beroldi, in cuius Calendario hæc leguntur. *Octauo Calendas Aprilis Annuntiatio S. Mariæ Matris Domini. Eodem die Dominus Noſter Ieſus Chriſtus crucifixus eſt: & Paſſio trecentorum Martyrum, & Iacobi fratris Domini, & Protaſij, & Geruaſij, & Suſannam de falſo crimine, & tres Pueros de camino ignis liberauit: & Adæ plaſmatio, & Iſaaci immolatio: & Depoſitio S. Monæ Archiepiſcopi.* Quamobrem vndeuigeſimus ille dies Iunij Translationem, hodiernus martyrium memoret.

Quòd autem Hiſtoria martyrij Sanctorum Protaſij & Geruaſij congruat temporibus Neronis fusè diſputat, non modò in hoc capite Puricellus, verùm etiam cap. 28, 29, & 30. reſpondens contrarijs argumentis, quæ doctiſſimus Cardinalis Baronius in Notis ad diem decimam nonam Iunij in Romano Martyrologio obiecit (de qua re infra) Chalcus in Hiſt. Mediol., & Carolus a Baſilica Petri in Vita S Caij. Quare autem Eccleſia Romana Geruaſium Protaſio, Mediolanenſis verò Protaſium præferat Geruaſio, docet Puricellus eodem cap. 22. num 9.

De Philippi autem Libello & Epiſtola S. Ambroſij conſule eundem Puricellum in memorata Diſſertat. cap 7., quam Epiſtolam & Libellum impugnat P. Innocentius ab Eccleſia in Vita S. Syri Epiſc. Ticinenſis lib. 2. cap. 11.

SEPTIMO CALENDAS APRILIS.

MEdiolani Natalis Sancti Monæ Epiſcopi & Confeſſoris, cuius Feſtiuitas quarto Idûs Octobris celebratur.

MAR-

MARTII 26.

BEroldus hesternum diem ascripsit Depositioni S. Monæ: attamen hunc esse diem ipsius Natalem testantur Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Besutius in Hist. Pontific., Ioannes de Deis in libro Successorum S. Barnabæ, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Monæ (quamquam affirmet aliquos opinari, vt Alciatum lib. 3. Hist. Mediol., Diuũ Monam diem suum obijsse octauo Cal. Aprilis) Breuiarium denique Ambrosianum, in quo etiam legimus diem quartum Idûs Octobris esse diem Translationis, primæ tamen, quæ peracta est ab Eriberto Archiepiscopo, qui Corpus Diui Monæ transtulit ad Ecclesiam S. Vitalis: eique consentiunt Ferrarius in Catal. SS. Italiæ & Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Mediol Eccl., qui tamen perperam ait, translatum fuisse Corpus S. Monæ ad Basilicam Portianam. De secunda Traslatione facta a S. Carolo iam egimus supra; verùm de S. Mona in Mense Octobris alia mentio redibit.

QVARTO CALENDAS APRILIS.



ROmæ Sancti Victorini Martyris. Eius Ossa Mediolani in Ecclesia Sanctæ Praxedis Fideles religiosè venerantur.

MARTII 29.

EX Tabulis huiusce Ecclesiæ, quæ condita fuit anno MDLXXIX., sicuti narrat Glussianus in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 8.; etenim S. Carolus cùm esset Cardinalis Tituli S. Praxedis, iccirco, instituto hìc Virginum Capuccinarum Monasterio, Ecclesiam hanc S. Praxedi nuncupauit, condito etiam Sodalitio mulierum in Metropolitana ad aram eiusdẽ S. Praxedis, quæ sub huiusce Diuæ Virginis auspicijs multa pietatis opera exercent. De hac itẽ sacra Æde & Asceterio Capuccinarũ agit Carolus a Basilica Petri in Vita eiusdẽ S. Caroli lib. 7. cap. 41.

PRIDIE CALENDAS APRILIS.


Ediolani Sancti Mauricilij eiusdem vrbis Episcopi, cuius cineres antea collocati in Ecclesia Sancti Satyri, nunc in Ecclesia Deiparæ Virginis iuxta eandem Sacram Ædem condigno honore seruantur.

MARTII 31.

EX Actis Mediolanen. Ecclesiæ, ex Missalibus Ambrosianis seculo superiori impressis, ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, Vghello tomo 4., ex libro Successorum S. Barnabæ, ex Sanctuario Morigij (qui etiam in libro, cui titulus *il Duomo di Milano* cap 23. meminit S. Mauricilij) ex Actis Sanctorum scriptis ab eruditissimis Patribus Societatis Iesu Henschenio & Papebrochio, ex Actis Visitationum huiusce Ecclesiæ, denique ex libello, quem, collectis vndique monumentis, edidit Ioannes Baptista Corneus Chorididascalus in Metropolitana anno MDCXXXXVII.. Cæterùm de S. Mauricilio Mediolanensis Ecclesia nullum celebrat Officium, quemadmodum etiam de S. Laurentio, de S. Arsatio, S. Thoma, ac S. Theodoro; quorum veneratio in ijs tantùm Ecclesijs perennat, in quibus eorum cineres asseruantur. Antiquissimam verò Ecclesiam Diuorũ Satyri & Syluestri excitatam fuisse ab Ansperto Archiepiscopo auctor est Chalcus lib. 5. Hist. Mediol.: atque ab eodem Archipræsule ibidem collocatum fuisse Corpus S. Mauricilij, tum ab Ioanne de Deis in libro Successorum S. Barnabæ, tum ex Sanctuario Morigij didicimus; *collapsam verò vetustam illam ædem nostra ætas restituit* (inquit Chalcus) *pulchrioremque longè, & laxiorem fecit*.







CALENDIS APRILIS.



OMÆ Sanctæ 1. Theodoræ Virginis & Martyris: cuius Caput Mediolani in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum: Ossa verò in Ecclesia Sanctæ Praxedis magno cum honore coluntur. Item alterius Sanctæ 2. Theodoræ Virginis & Martyris, cuius Corpus Triuillij honorificè custoditur.

APRILIS 1.



1. X Tabulario vtriusq; Ecclesiæ addictæ Sanctimonialibus Capuccinis. De Ecclesia S. Mariæ Angelorum, & quando se Virgines illæ Ordini arctioris Regulæ S Claræ mancipauerint, atque a Cardinali Alphonso Litta Archiep. nouo Instituto ascriptæ fuerint, sacrisque eius Ordinis vestibus amictæ in Ecclesia Parochiali S. Carpophori Cal Aprilibus anno MDCLV., narrat Franciscus Riuola in Vita Cardin. Federici Borromæi Archiep. lib. 4. cap. 35, de Ecclesia verò S. Praxedis agit Morigius in Sanctuario.

2. Ex Tabulis Ecclesiæ primariæ celebris eius Oppidi, de quo plura scripsit Emmanuel a Laude, & meminit Blõdus in Lombardia. *Eo item spatio,* (inquit) *quod Brembum, Serium, Abduamque*

que amnes & Bergomenses intercedit montes, regio est Glarea Abduæ appellata. Infant & Castella Triuillium, Mozanica, & quæ supra sunt dicta, Ruminengum, Martinengũ, & Carrauagium prælio insigne omnium ætatis nostræ memorabili &c.

PRIDIE NONAS APRILIS.


MEdiolani Depositio Sancti 1. Ambrosij Episcopi & Confessoris, cuius studio, inter cætera doctrinæ & miraculorum insignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota fere Italia ad Catholicam Fidem conuersa est. Ibidem Beati 2. Marcellini eiusdem vrbis Episcopi, qui pauperes Christianâ singularique pietate iugiter fouit.

APRILIS 4.

1. HOc elogio commendatur S. Ambrosius hodie in Romano Martyrol., de cuius item Depositione agit Missale & Breuiarium Ambros. feriâ quintâ in Albis, quo die Mediolanensis Ecclesia eius Depositionis habet commemorationem. Eius pariter Depositionis meminit Baronius tomo 5. Annalium, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Liber Successorum S. Barnabæ, Galesinius & Ripamontius Dec. 1. Hist. Eccl Mediol. lib 5., denique Puricellus in Monum Basil. Ambros. num. 3., & in Dissertat. Nazar. cap. 53. vbi ostendit, quare Ecclesia Romana pridie Nonas, Mediolanensis verò ipsis Nonis Aprilis hanc Depositionem commemoret, docens num. 18., Romanam Ecclesiam *nomine Depositionis intelligere obitum Diui Ambrosij, Ambrosianam verò intellexisse sepulturã*. Quoniam igitur Ambrosius ex hac vita migrauit *ante medium eius noctis, quæ solemnem Paschatis diem antecedebat*, qui fuit pridie Nonas, eo die Ecclesia Romana meminit Depositionis; cùm autem die Festo Paschatis, teste Paulino, delatum est eius

Corpus ad Basilicam Ambrosianam sepulturæ causâ, iccirco Mediolanensis Ecclesia Nonis Aprilibus meminit Depositionis. Verùm expectemus doctissimorum virorum Henschenij & Papebrochij sententiam, qui se in Actis Sanctorũ spondent scripturos de certo die obitûs S. Ambrosij, cùm de eius Ordinatione agent: ac interea sequamur iudicium Romanæ Ecclesiæ, quæ est omnium Ecclesiarum Mater & Magistra.

Parentauere Diuo Ambrosio S. Bassianus Episcopus Laudensis, & S. Honoratus Episcopus Vercellensis; huic autem funeri minimè interfuisse S. Geminianum Episcopum Mutinæ ipsa temporum series liquidò indicat; nam superstite Ambrosio decessit Geminianus, in cuius locum suffectus est Theodorus eiusdem Ambrosij discipulus, quem Paulinus in Vita S. Ambrosij vocat Theodolum. Porrò illud mirandum est, ac narratur ibidem a Puricello, in Monum. nu. 49. & in Dissertat. Nazar. cap. 53., quòd cùm Corpus Diui Ambrosij sub Ara maxima Basilicæ Ambrosianæ componeretur, *Sancti Geruasius & Protasius* ibidem conditi, *in latus se mouentes, medium illum accepere. Hinc imagines illæ peruetustæ S. Ambrosij, Episcopali habitu consistentis in medio Sanctorum colobijs indutorum*. Hæc Puricellus ex Libro Successorum S Barnabæ. Quid autem sit *Colobium*, idem Puricellus explicat in eadem Dissertat. cap. 26. vnà cum voce *Biathanatos*: eiusdemque miraculi meminit etiam in Monum. Basil. Ambros. num. 49., itemque Bagatta tomo 2. in admirandis Orbis Christiani, vbi multa alia miraculosa de eodem S. Ambrosio narrantur: idemque contigisse S. Proculo Veronensium Episcopo ibidem legimus, cui, cùm humaretur, SS. Martyres Firmus & Rusticus *medium locum, ceu nobiliorem, reliquerunt*.

Brautius Elogio S. Ambrosij, quod hodie proponit Martyrol. Rom., distichon suum subiecit.

Respuit Ambrosij studio fere dogmata praua
Itala gens, Christi tota secuta fidem.

Bulzius verò tomo 2. Lararij Poetici ad diem quartum Cal. Nouembres, cùm Diuum Honoratum Vercellensem Episcopum laudat, eâdem operâ moriturum Ambrosium commendat. En Epigramma lepidissimum.

S. Ho-

S. Honoratus Episcopus Vercellensis Diuo Ambrosio Sacram Cererem ministrat.

Æger vt Ambrosius nostris abiturus ab oris,
Pastus eat sapida, quam dedit Æthra, dape;
Præsul Honoratus Cælo clamante iubetur
Ad decumbentem deproperare senem.
Is festinus abit: mæstamque ingressus in vrbem,
Porrigit occiduo liba suprema Patri.
Constet vt Ambrosium quàm plenè Numen honoret,
Nomine Honoratus mittitur & dapifer.

2. Ex Parte 6. Actorum Mediolanen. Ecclesię in Tabula Archiep. Mediolanensium num 47., Ripamontio Dec. 1. Hist. Ecclesiæ Mediolanen. lib. 9., Besutio in Hist. Pontific. Mediol., Villa in Libro de Septem Ecclesijs, cùm agit de Basilica Ambros., in qua Beatus quiescit, Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 74., ex Actis Sanctorum tomo 1. Aprilis. Quamquam autem illius nomen haud inueniatur in Breuiarijs ac Missalibus Ambrosianis: attamen de illius cultu ambigere non possumus, tum traditione & auctoritate Scriptorum, tum quia illius imago circunfertur cum publica veneratione a Societate Sancti Syri extra Portam Vercellensem, cuius ille est Patronus: quemadmodum aliæ Societates Sanctæ Crucis singulæ singulos habet Sanctos Archiepiscopos Mediolani in patronos.

NONIS APRILIS.



Ediolani Translatio Imaginis Beatæ Virginis Marię ad arcem Iouis, quam Gaspar Archiepiscopus solemni supplicatione transtulit.

APRILIS 5.

De hac Translatione nos egimus in libro 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. Porrò hæc Translatio facta est anno MDLXXXXII. die Dominico in Albis,

vt ex

vt ex Tabulario eius Ecclesiæ: item ex Libro M.SS. Ioannis Antonij Castillionæi, qui inscribitur *Gli onori Ecclesiastici di Milano*: & ex libro M.SS. Hieronymi Bonardini, cui titulus *il Sacro Tesoro &c.* qui Libri M.SS. asseruãtur in Bibliotheca Ambrosiana. In hac sacra Æde quotannis celebratur Festum huiusce Translationis die Dominico in Albis summâ Populi Mediolanensis frequentiâ ac pietate.

Arx verò Mediolani appellatur arx Iouis, quòd olim ibi pateret vna ex Portis vrbis nuncupata Ioui: quemadmodum sex aliæ Portæ reliquis Planetis dicatæ fuerant, si nostratibus Scriptoribus fides, præsertim Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 24. Arcem hanc Iouis deletam refecit Franciscus I. Sfortia Dux Mediolani, vti narrat Ripamontius Dec.3. lib.6. Hist. Patriæ: inchoauit autem Galeatius Vicecomes, vt ibidem Ripamontius memorat lib.2.

OCTAVO IDVS APRILIS.



Omæ Sancti Alexandri Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sanctæ Mariæ Passionis collocatum a Fidelibus adoratur.

APRILIS 6.

EX Tabulario Canonicorum Lateranensium, qui Templum hoc admirandæ magnificentiæ, quà structurâ, quà elegantiâ operis, religiosissimè colunt; eius verò Templi meminit Morigius in Sanctuario summâ cum laude. Porrò Corpus S. Alexandri custoditur in ara Saluatoris Crucifixi; ita enim Iesum appellare malumus Saluatorem, quàm Seruatorem, libenter descendendo in sententiam Cardin. Baronij in Notis Martyrol. Rom. ad diem nonam Nouembris. Hoc autem anno MDCLXXXXII. frons eius Templi magnificentissimè ædificatur.

SEPTIMO IDVS APRILIS.

Ediolani in Basilica Portiana Sancti Amatoris Confessoris.

APRILIS 7.

EX Tabulario eius Basilicæ, ex Visitationé S. Caroli, ex Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ. Hunc Sanctum Confessorem alij vocant *Amorem*, alij *Amatorem*.

QVINTO IDVS APRILIS.

Omæ Sancti 1. Fortunati Martyris, cuius Corpus hâc die solemni supplicatione translatum, Mediolani in Ecclesia Confratrum S. Luciæ conditum est. Triuillij Sancti 2. Hilarij Martyris ibidem quiescentis.

APRILIS 9.

1. COrpus S. Fortunati collocatum est in arca laminis argenteis distinctâ: eiusq; Festum ibi celebratur quotannis feriâ quintâ in Albis propter anniuersariam memoriam Translationis, quoniam dies Natalis ignoratur.
2. Ex Tabulis Ecclesiæ primariæ Triuillij, in qua hodie fit Officium Ritu duplici de S. Hilario.

QVARTO IDVS APRILIS.

Ediolani Sancti Herlembaldi, qui impauidè contra hæreticos decertans, palmam martyrij retulit gloriosam.

APRILIS 10.

S. Herlembaldus Ciuis Mediolanensis laudatur a Cardin. Baronio tomo XI. Annalium Ecclesiast., quòd strenuè pugnauerit contra Schismaticos, Nicolaitas, & Simoniacos in Ecclesia Mediolanensi turpiter grassantes. Diuum verò Herlembaldum ornauit Alexander II. Pontifex Maximus tradito vexillo (quemadmodum memorat idem Baronius ad annum MLXI.) *vt quoties hæreticorum vesania vltra modum insaniret, illud manu tenens, eos reprimeret &c.* Martyrio autem decoratum fuisse testatur Baronius ad annum MLXXVI: *Herlembaldus dux Fidelium, qui in Ecclesia Mediolanensi Catholici habebantur, resistens Hæreticis atque Schismaticis, necatus ab ipsis, gloriosum est martyrium consecutus.* Eius res gestas insigni volumine prosecutus est Puricellus, in quo plura leguntur testimonia de eiusdem Sanctitate, præter ea, quæ idem Puricellus scripsit in Monum. Basil. Ambros. num. 277., & in Dissertatione Nazar. cap. 90. In Templo S. Babylæ Mediolani posita est ara Diuo Herlembaldo, cuius Corpus tradit Corius parte 1. Hist. Mediol. tumulatum fuisse in Basilica S. Dionysij. Nescio autem, quomodo P.P. Henschenio & Papebrochio in Actis Sanctorum Diuus Herlembaldus exciderit; nisi fortè placuerit eum consociare cum Sancto Arialdo Leuita earundem hæresum hoste implacabili, cuius meminero ad diem quartum Cal. Iulij. Tanto attamen Martyri Ripamontius Dec. 1. Hist. Eccl. Mediol. lib. 10. immeritò maledicit: ideoq; videtur iustâ parœnesi emendandus. Eius item Martyris imaginem depictam vidimus, in Ecclesia Parochiali, in Pago Valerij vulgo *Varè*, Plebis Decij, sago militari indutam cũ stemmate Familiæ Cottæ, ex qua fertur ortum duxisse; subest Epigraphe, videlicet: *Sanctus Eurimbaldus Cotta.*



DECIMO OCTAVO CALENDAS MAII.


Ediolani Translatio Sanctorum 1. Leonis ac Marini Martyrum, & Sancti Arsatij Episcopi; quorum Corpora Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus solemniter transtulit, atq; in Basilica Protomartyris honestissimè collocauit. Item Mediolani Sanctorum 2. Lucilli & Maximi Martyrum, quorum Corpora ex Vrbe delata, in Ecclesia Sanctæ Catharinæ in Brayda hodie Fidelium venerationi exponuntur.

APRILIS 14.

1. EX Epigrapha ad Aram maximam Basilicæ S. Stephani, quam commendat Morigius in Sanctuario, ex Glussiano in Vita S. Caroli lib. *6.* cap. 11., ex Carolo a Basilica Petri in Vita eiusdem Sancti lib. *6.* cap. 1., ex Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ. Hæc Basilica nobilis est etiam Canonicorum Collegio, cuius meminit Pennottus in Hist. Tripartita.
2. Ex Tabulario Sanctimonialium huius Ecclesiæ, vbi hodie recolitur Translatio horum Sanctorum; de Brayda verò, eiusque Etymologia satis disputauimus in lib. 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis: agitque Morigius in Sanctuario de Ecclesia S. Catharinæ in Brayda.

DECIMO QVARTO CALENDAS MAII.


Ediolani Sancti 1. Galdini Cardinalis & Episcopi, qui concione aduersùs hæreticos expletâ, spiritum Deo reddidit. Item Mediolani Translatio

Sanctorum 2. Naboris & Felicis Martyrum, ac Sancti Materni Episcopi. Cliuati in Diœcesi Mediolanensi Festiuitas Sancti 3. Caloceri Martyris, cuius Corpus ibidem conditum est. Besutij Sancti 4. Nici Eremitæ, qui in illo Oppido magnam habet venerationem.

APRILIS 18.

1. MIror in Martyrologio Rom. honorem hunc Cardinalatus in Diuo Galdino missum fieri, cùm tamen alijs Sanctis Cardinalibus minimè negetur. Quòd enim Diuus Galdinus firmissimè Catholicæ Religionis vnitatem contra Schismaticos defenderit, illum Alexander III. Pontifex Maximus sacro murice decorauit, vt Ciaonius, Oldoinus, & alij testificantur. Quare in hac re accurationem typographorum, aut eorum, qui typographis præsident, amarem; nam Diuus Galdinus de Ecclesia Romana est optimè meritus, temporibus præsertim difficillimis, Federico videlicet Ænobarbo imperante.

Agunt autem de S. Galdino Martyrol. Rom., Breuiarium & Missale Ambrosianum tanto cultu, vt de illo Præfatio propria legatur, atque olim Dominicâ quâque secundâ post Pascha illius Festum celebraretur; vti videre est in Missalibus vetustis, quoniam eo die, concione expletâ, animam Deo reddidit. Item in Breuiarijs vetustis impressis anno MDCLXXXVII. & MCDLXXXX. superest Officium proprium de S. Galdino (quem Chalcus appellat Caldinum) Hymni autem de Diuo Galdino hæc prima est sedes:

Felix felici Præsule | *Confessoris eximij*
Ambrosij Ecclesia! | *Galdini dic præconia. &c.*

Præterea agunt de S. Galdino Baronius tomo 12. Annalium Ecclesiast., Liber Successorum S. Barnabæ, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Galesinius, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ripamontius Dec. 2. siue parte alterâ Hist. Mediol. Eccl. lib. 2., Calchus lib.

11. &

11.& 12. Hist., Alciatus lib 3. Hist., Catal. M SS., Besutius in Hist. Pontific., Morigius in Sanctuario, Vghellus tomo 4., Henschenius in Actis Sanctorum, Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 479. & seq. ac 543. & in Dissertat. Nazar. cap. 106., Glussianus in Vita S. Caroli, qui illius Corpus sub ara Confessionis in Metropolitana collocauit (de nomine autem Confessionis vide Baronium in Notis Martyrol. Rom die sextâ Iulij) Liber M.SS. Cœnobij Blaburensis in Diœcesi Constantiensi, vt apud Henschenium. De eodem S. Galdino hæc tradit Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 2.: *S. Galdini Corpus Pontificijs Insignibus, vel eorum saltem vestigijs ornatum ita in arca marmorea inuenimus, vt primò fuerat sepultum:* eiusque annulus Pontificalis seruatur in Sacrario Meridionali Metropolitanæ, eiusdem S. Galdini nos etiam meminimus lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. Claudit agmen Brautius:

Aptus ad imperium Galdinus murice fulsit:
Et bene Pastoris munere functus obit;

Nouissimè autem in libro sacrarum Ephemeridum Hieronymus a Basilica Petri mentionem fecit S. Galdini.

Porrò Cathari, in quos inuectus fuerat Galdinus, erant Hæretici, quorum impietas damnata fuit in Concilio Lateranensi III.; eorum autem alij erant Cathari veteres (quos Patarinos, Pateranos, & Publicanos vocatos fuisse ostendit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 545. alij erant Noui Cathari, quos confutauit Diuus Galdinus. Tum enim, cùm ille Metropolim Ambrosianam regeret, eorum hæresis furebat; nam ille migrauit ad Superos anno redempti terrarum orbis MCLXXVI.. De hisce verò Catharis hæc tradit Dominicus Grauina lib. 4. Catholicarum præscriptionum aduersùs Hæreticos. *Noui Cathari* (inquit) *circa annum Domini millesimũ centesimum sexagesimum sub Federico Imperatore orti sunt, Apostolorum vitam agere simulantes. Nuptias reprobabant: ad suam Sectam transeuntes rebaptizabant. Pædobaptismum negabant, item Purgatorium & suffragia: in igne baptizabant: Sacerdotium apud Catholicos defecisse asserebant: Christum non habuisse veram carnem, nec verè substantialiter in Eucharistia esse,*

esse dogmatizabant. Hæc pestis, orta Federico Ænobarbo Imperatore in Insubribus, diu sæuijt, vt dicemus infra, cùm de Sancto Petro Martyre agemus, tanto deinde odio Mediolanensium in Catharos: vt etiamnum pueri nostrates prauum hominem, & a Christianâ pietate abhorrentem, vocent *Iudæû Patarinum*. Verùm de Catharis Patarinis iterum ad diem tertium Calendas Maij.

In Libro quodam M.SS. in membrana, qui asseruatur in Tabulario huiusce Insignis Basilicæ S. Ioannis Baptistæ Modoetiæ, legi ea, quæ sequuntur de S. Galdino. *Decimo quarto Cal. Maij obijt Dominus Galdinus Venerabilis Archiepiscopus in pulpito peracta prædicatione*. Hæc in Calendario eius Libri; ex quo appâret, cùm librarius eum librum manu exararet, Diuum Galdinum nondum relatum fuisse in Sanctorum numerum. Funeri Diui Galdini adhuc superest illius munificentia in pauperes, eosque præsertim, quos, aut scelus, aut æris alieni copia, coniecit in vincula; siquidem ijs panes quotidie traduntur, ac vulgò appellatur *il Pane di San Galdino*.

2. Huiusce Translationis nullam aliam mentionem iniectam vidimus, nisi in Calendario Acephalo, quod videtur trecentis & ampliùs abhinc annis manuscriptum. Fortasse Minoritæ Conuentuales transtulerunt Corpora horum Sanctorum, cùm in eam Basilicam pedem intulere, annuente Leone Perego Archiep. Mediolani; de quâ re consule Vuadingum tomo 2. Annalium Franciscanorum ad annum MCCLVI. narrantem literas Leonis subsignatas eodem anno a scriba Petro Antilio decimo quarto Cal. Februarij.

3. Corpus S. Caloceri collocatum est Cliuati in Diœcesi Mediolanensi. Porrò S. Calocerum vnà cum Diuis Faustini & Iouita pertulisse Mediolani acerbissimos cruciatûs narrat Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ: illiusque nomini posita est Sacra Ædes in Regione Ticinensi vrbis, quam illustrat Castillionæus Parte 1. de Antiquitatibus Mediol. fasciculo 10.: ac de eodem Diuo Calocero agit Papebrochius, ijque Scriptores, quos Faynus in Notis Martyrol. Brixiensis citat hâc die.

Illud verò negotium facessit, quòd cùm Calocerus Albingauni Martyrium obierit (quamquam Carolus a Basilica Petri in

Hist.

Hiſt.Mediol.in Vita S.Caſtritiani *Martyrium ſuum Mediolani fuſo ſanguine illum abſoluiſſe* affirmet) ibique à Sanctimonialibus Eccleſiæ Calocerianæ eius Corpus cuſtodiri Ferrarius tradat: itemque Faynus doceat, magnam partem Corporis S. Caloceri aſſeruari Brixię in Templo S.Aphræ, illuc Albingauno a Sapricio translatam; quomodo eiuſdem Sancti Martyris Corpus iacere Cliuati poſsit? Nos in hac re ſequimur teſtimonium Caſtillionæi in Parte 1. faſciculo 6. de Antiquitat. Mediol., vbi hæc ſcribit. *Eluxit eiuſdem Angilberti* (nimirum Archiepiſcopi) *pietas erga Sãctos, tum etiam cùm ex Albingauni Oppido Corpus S. Caloceri Martyris in Cliuatenſem Ædem ab Aldechiſio conditam, ſummo ſtudio tranſtulit, ratus illud ibi cultum iri religione & ſanctiore cultu.* Sub iudice igitur lis ſit, an Calocerus Cliuati, an Brixiæ, vel Albingauni quieſcat. Quid ſi duo fortaſſe fuerint Caloceri? Sicuti Faynus duos Iouitas, & duos Fauſtinos Martyres tribuit Brixiæ. Niſi fortè dicere malimus, duos fuiſſe Caloceros diuerſis temporibus martyrio coronatos: vt ſuo Brixia & Albingaunum, ſuoque pariter gaudere poſſit Cliuatum: quin alterutra pars agat de repetundis.

4. Ex Calendario M.SS. acephalo, de quo ſupra, ex Gluſſiano in Vita S. Caroli lib. 2. cap. 11., ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex Carolo a Baſilica Petri in Fragmentis Hiſt. Mediol., ex Morigio in Sanctuario, ex Actis Sanctorum, quæ magno cum eruditionis prouentu ſcripſere Henſchenius & Papebrochius, ex quibus Hieronymus a Baſilica Petri in libro ſacrarũ Ephemeridum. In Calendario illo acephalo, atque in quodam Indice M.SS. Gualuanei Flammæ appellatur *Nicolaus*: illumque alij vocant *Nicum*, & alij *Niconem*. De nobili oppido Beſutij plura conſignauit monumentis Bonauentura Caſtillionæus in lib. de antiquis ſedibus Gallorum Inſubrum; de Clariſſima verò Beſutiorum Familia agit Morigius lib. 3. Hiſt. Mediol. cap. 5., ex qua Beatum Iacobum & Beatum Nicum prodiiſſe ait.

Cæterùm Corpus Beati Nici, quod antea S. Carolus in Altari incluſerat, in arca pulcherrimo opere elaborata compoſitũ, fuit translatum anno MDCLXXXV. tertio Cal. Maij honorificâ

ſuppli-

supplicatione. An autem Beatus Nicus socius fuerit S. Gerardi Modoetiensis, affirmare non audeo; nisi quis subscribat Vghello docenti, Diuum Gerardum Cœnobitam fuisse Ordinis Ambrosianorum, ac velit Gerardum & Nicum eiusdem religiosæ familiæ alumnos fuisse. Verùm super his nihil certi statuimus, tum quia ab Vghello dissentimus, tum quia nullum adhuc eius societatis vestigium in Modoetiensibus Monumentis inuenimus; de qua re agemus infra, cùm de S. Gerardo, die sextâ Iunij.

NONO CALENDAS MAII.

MEdiolani Sancti Maroli eiusdem vrbis Episcopi miræ abstinentiæ viri.

APRILIS 23.

MEminere S. Maroli Martyrol. Romanum, Missale & Breuiarium Ambros., Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Acta Sanctorum, Vghellus tomo 4. Italiæ sacræ, Ioannes de Deis in Libro Successorum S. Barnabæ, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5., item Glussianus in eiusdem Vita, Galesinius, Villa de Septem Ecclesijs Stationalibus, vbi agit de Basilica Nazariana, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Besutius in Hist. Pontific., Ripamontius in Hist. Eccl. Mediol. Dec. 1. lib. 6. Hallucinatur autem Ferrarius, cùm dicit, Festum S. Maroli celebrari in Ecclesia Mediolanensi mense Maio, refragantibus vtiq; Missali, Breuiario, & Calendario Ambrosianis. Natalem pariter S. Maroli Galesinius reijcit in diem vigesimam secundam Aprilis; adeo eius Antistitis dies Natalis & spatium Pontificatûs in controuersiam venit. Acta siquidem Mediolanen Ecclesiæ & Breuiarium Ambros. annos quindecim, tredecim Donatus Bossius in Chronicis, Robertus in secunda parte appendicis ad Galliam Christianam, & Panuinius in Chronol. Eccles. nouem, demum alij quatuordecim annos Pontificatûs Marolo tribuunt; de quo agit etiam Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 61. & 66.

Diuum Marolum fuisse natione Syrum (vti complures nostros Antistites exteris regionibus debemus) apertè tradit Chalcus lib. 3. Hist. Mediol., Ripamontius loco supra memorato, Puricellus cap. 66 num. 8 citatæ Dissertationis: idque discimus a S. Ennodio, qui Diuum Marolũ Epigrammate laudauit.

Marolus, extremæ potator Tigridis oræ,
Qui iubar in madidis viderat hospitijs.
Quem labor in proprio Syriæ solidau. rat axe,
Orditur vatem dotibus innumeris.
Peruigil, intentus, ieiunus, prouidus, ardens:
Quod morem tenuit, sat fuit officio &c.

Quo in carmine S. Ennodius inter alias innumeras dotes Diui Maroli abstinentiam commendat, *eumque solidatum in axe proprio Syriæ* confitetur. Hasce pariter dotes Brautius indicat in Martyrologio Poetico.

Conspicuus Marolus multa virtute Cathedram
Cogitur excelsi Doctor adire throni.

Nouissimè Hieronymus a Basilica Petri in Libro sacrarum Ephemeridum commendauit S. Marolum.

QVARTO CALENDAS MAII.



Rauennæ Natalis Sancti 1. Vitalis Martyris, Ciuis Mediolanensis, Patris Sanctorum Geruasij & Protasij, qui cùm Beati Vrsicini Corpus sublatum honestate debitâ sepelisset, tentus a Paulino Consulari, post equulei tormenta iussus est deponi in profundam foueam, & terrâ ac lapidibus obrui: talique martyrio migrauit ad Christum. Mediolani Sanctæ 2. Valeriæ Martyris, coniugis eiusdem Sancti Vitalis, quæ a rusticis hominibus Syluano sacrificantibus,

pro Fide mactata, Christi hostia effici meruit. Ibidem Sanctorum 3. Aurelij & Diogenis, quos eadem Sancta Valeria Cælo potiùs peperit, quàm Mundo.

APRILIS 28.

1. RAuennæ igitur Vitalis occubuit. At quæ causa Diuo Vitali Rauennam proficiscendi? Consularis vir fuerat Vitalis, bello item addictus: eâ de causâ contulit se cum Paulino Rauennam. Id testatur Philippus in libello, quem Diuus Ambrosius inuenit vnà cum Corporibus Sanctorum Geruasij & Protasij, & Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Caij Archiep.. *Cùm Vitalis* (ait) *Consularis vir esset, venissetque cum Paulino Præfecto Rauennam, accidit, vt medicus quidam, Vrsicinus nomine, Ligur, Christianæ confessionis causa ad supplicium duceretur &c.* cuius Vrsicini meminit Martyrol. Rom, & Officia propria Genuensis Ecclesiæ &c. Hieronymus Rubeus citatus a Puricello in Dissertat. Nazar. cap 6. ex quorundam sententiâ tradit, Vitalem fuisse commilitonem Hirenæi Tribuni, cuius vxorem Theclam S. Apollinaris Episcopus Rauennæ pristinæ saluti restituerat, non sine admiratione Vrsicini Medici, qui artem omnem in sanandâ Thecla perdiderat. S. Vitalis meminere Martyrol. Rom., in cuius Notis plures Scriptores enumerantur de eodē Sancto agentes, item Breuiarium & Missale Romanū, necnon Breuiarium ac Missale Ambrosianum. Præterire verò hoc in loco non possum elegantissimum Epigramma Bulzij in Parte 1. Lararij.

Medicus (nimirum S. Vrsicinus) *a S. Vitale animatus pro Fide occumbit.*

Lina tegunt oculos: poscit iam colla securis:
Vir timet: & nutat victa timore Fides:
Vitalis dictis animat iam penè negantem:
Hicque Fidem testans mox animatus obit:
Vir erat hic Medicus: melior fuit ille Machaon;

Nam Medicus Medici nouit is esse viri.
Emoriens iam iam Medicus, Vitale medente,
Scire cupis valeat quàm bene? Viuit adhuc.

Multiplici autem carmine in laudem S. Vitalis edito certat Brautius cum Bulzio.

Vitalis prolis, Vitali scriptus in Albo,
Vitalis vitam vocis iniuit ope.
De causa martyrij S. Vitalis.
Occisum Medicum quoniam Vitalis humauit,
In fouea saxis obrutus occubuit.
Vitalis Medico titubanti fortiter vna
Tormentum vires vox dedit omne pati.

Quandoquidem S. Vitalis Diuum Vrsicinum pauore cruciatuum perculsum ad patientiam martyrij confirmauerat. Cæterùm miror, ab Alphonso Villega in Viris Sanctorum Diuũ Vitalem appellari Rauennatem, cùm etiam ipse Rubeus Rauennatis Historiæ scriptor Vitalem fuisse Ciuem Mediolanensem fateatur: idque discimus ex omnibus Scriptoribus nostratibus, qui Diuum Vitalem laudibus efferunt, cui etiam elogium scripsit Picinellus in Elogijs extemporalibus. De Sancto Vitale autem agunt ij omnes Auctores, quorum nomina mox producemus in commendatione S. Valeriæ, eiusque filiorum infantum.

2. Diua Valeria itidem fuit Mediolanensis, cuius mentionem facit Martyrol. Rom., Breuiarium & Missale Ambrosianum; nam de SS. Vitale & Valeria hodie peragitur Officium ab Ecclesia Mediolanensi. Scripsere de ijsdem Vghellus, Henschenius & Papebrochius in Actis Sanctorum, Ripamontius Dec. 1. lib. 1 Hist. Eccl. Mediolanen., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Acta Mediolan. Ecclesiæ, Galesinius, Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Morigius lib. 2. cap. 7 Hist. Mediol., Liber M.SS. Sacrarij Basilicæ Franciscanæ, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caij, Besutius in Hist. Pontific., Liber Successorum S. Barnabæ, Isidorus Isolanus in Panegyrico Mediol., Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 6. & 8. Bulzius lepidè cecinit, vt solet, in suo Lazario.

S. Valeria Martyrum Geruasij & Protasij parens
a rusticis Syluano immolantibus necatur.

Dum transit Matrona grauis quà rustica pubes
Syluarum vano dat sacra fœda Ioui.
Plebs violenta ruit munita ligonibus: atque
Matronam, repetens verbera dira, necat.
Impia erat proles, meliores cædere plantas
Sueta: nec hac melior fructibus Arbor erat.

Brautius suum distichon adiungit in Martyrologio Poetico.

Coniugis audito generosa Valeria letho,
Certat, iter per idem, Martyr adire virum.

Extat adhuc Mediolani sacra Ædes Diuæ Valerię, ad quam olim die primo Rogationum Triduanarum supplicatum ibat Clerus Populusque Mediolanensis: vbi illius Corpus in Confessione iacet vnà cum infantibus Aurelio & Diogene.

3. Ex Calend. M.SS. acephalo, ex Rubeo lib. 1. Hist. Rauennatis, ex Ripamontio, Carolo a Basilica Petri, Vghello, Actis Sanctorum, & Puricello supra citatis: item ex Sanctuario Morigij, ex Vita SS. Vitalis & Valeriæ, cuius auctor est Leuita Riferra, denique ex Litanijs Sanctorum, vt in libello Rogationum Triduanarum, in quibus, cùm habetur Statio in Ecclesia Sanctæ Valeriæ, enuntiantur nomina Sanctorum Aurelij & Diogenis, quorum Corpora vnà cum matre ibidem iacent.

Porrò S. Valeria, præter Protasium & Geruasium martyrio nobiles, maturo nondum vtero, inter pœnas & tormenta, enixa est Aurelium & Diogenem: cuius rei testes sunt picturæ perantiquæ, cùm Rauennæ (cuius vrbis Diuus Vitalis est Patronus) tum Mediolani, atq; in hac Insigni Basilica Modoetiensi, in qua picta est imago Diuæ Valeriæ complectentis geminos infantes, radiatis ceruicibus, & fascijs constrictos. Id quoque testificatur Morigius in Sanctuario & in Summario lib. 1. cap. 12., & Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 8. num. 5, Corius Parte 1. Hist. Mediol., & Riferra affirmans, in sacra Æde S. Valeriæ Mediolani fuisse olim Epigrapham literis cubitalibus scriptam, totidem verbis:

Qui giace il Corpo di Santa Valeria
con due figliuoli Aurelio e Diogenio.

Quæ

Quæ Epigrapha paucis abhinc annis est restituta; licèt Arturus a Monasterio refragetur, qui in Notis Gynecæi mulierum Sanctarum malè docet, Corpus Diuæ Valeriæ translatum fuisse Coloniam anno MCLXIV., Nouissimè in nostram sententiam descendit vir doctissimus Hieronymus Fabri in Parte 1. libri, qui inscribitur *Le Sagre memorie di Rauenna &c.* Quæ omnia indicant veritatem publicæ traditionis; quamquam consentire nolit Carolus a Basilica Petri, & Ripamontius. Nomina Sanctorum Aurelij & Diogenis continentur etiam in indice Gualuanei Flammæ supra memorato, & in alio item Indice M.SS. anni MDXVI., qui asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana, demum in Indice Alphabetico nominum Sanctorum, quæ in Catal. Sanctorum Italiæ descripsit Ferrarius.

TERTIO CALENDAS MAII.



Ediolani Sancti Petri Martyris, Ordinis Prædicatorum, ab hæreticis ob Fidem Catholicam interempti.

APRILIS 29.

QVamquam de S. Petro Martyre scribam quoque infra; cùm de eiusdem Translatione agam: attamen illius martyrium iuuat hìc cum vniuersali Ecclesia commemorare, magnâ Mediolanensis Ecclesiæ lætitiâ, quæ plures Cælites suos videt ab omni Ecclesia coli, videlicet Barnabam Apostolum, Sebastianum, Vitalem, Petrum, Geruasium, Protasium, Naborem, Felicem, Nazarium, Celsum, Ambrosium & Carolum, quos omnes anniuersario Officio veneratur. Diui Petri meminit Missale, Breuiarium, & Martyrologium Romanum, item Breuiarium ac Missale Ambrosianum cum Præfatione propria, Baronius in Notis Martyrol., qui multos citat Scriptores, & præsertim S. Antoninum Florentiæ Archiepiscopum in Chronicis, Martyrol Comense, Acta Sãctorum, Galesinius, Besutius in Hist. Pontific., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Morigius in Sanctuario, Ripamontius in Dec. 2. Hist.

Hist. Mediol. Ecclesiæ, Chalcus lib 15. Hist. Pat., Tattus Dec. 2. lib 9. Annalium Comensium, qui etiam plures Auctores citat in Notis Martyrol. Comensis, Michael Piò, Marchesius, Bagatta tomo 1. admirandorum, & alij Scriptores, cùm nostrates, tum Ordinis celeberrimi Prædicatorum. Quæstio, vulgò Processus, descripta in membrana, habita super nece S. Petri Martyris, magnâ ex parte asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani, vbi coniurationis origo & coniuratorum nomina leguntur. Plura de Diuo Petro carmina scripsit Bulzius: nos illius extremum attexemus Epigramma.

Ad tumulum S. Petri Martyris vltro lampades accenduntur.

Nulla micat lampas; lychnis admouerat ignem
Nullum etenim segnis dextera iussa manus.
Martyris at merito ne sint ingloria cultu
Pignora, splendorem sponte lucerna vomit.
Et vomit, & seruat rutilantia lumina lampas
Pensilis, vnde suo Martyr honore nitet.
Ast vtcunque Petro niteat, seu palleat expers
Igne vitrum, nunquam luce erit absque Petrus.

Venustissima sunt quidem etiam alia carmina, quæ Bulzius scripsit in laudem Diui Petri, cui Brautius quoque sua disticha subijcit.

Hæresis agnomen Petro dedit hæresis hosti
Martyris: & Martyr quo foret, ipsa dedit.

De querimonia Diui Petri ad Christum, & Christi responsio.

Vexatus Christo, quid feci Christe? querendo
Petrus ait; retulit, quid, Petre, Christus ego?

Dicitur autem Diuus Petrus ab hæreticis interemptus, nimirum a Catharis, quorum supra meminimus; eos enim acerrimè insectatus fuerat Petrus, cùm Mediolani Inquisitoris munere amplissimo fungeretur. Etiam Oldradus Triffinus tunc Prætor vrbis (antequã Diuus Petrus Martyrium anno MCCLII. perferret) igne illos puniuerat: sicuti monstrat Epigraphe, quæ illius statuæ equestri subest in latere meridiano Basilicæ, quam vulgus appellat *Plateam mercatorum*, quemadmodum

lib. 13. Hist. narrat Chalcus: eaque in silice insculpta præfert hos versûs

MCCXXXIII. Dominus Oldradus de Trexeno
Pot: (hoc est Potestas) *Mediolani.*
Atria qui tangis, solij regalia scandis,
Ciuis Laudensis Fidei tutoris & ensis,
Præsidis hæc memores Oldradi semper honores
Qui solus struxit, Catharos, vt debuit, vssit &c.

Eandem laudem tribuit Oldrado Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 546., quo in loco memorat martyrium Diui Petri, & Epitaphium, quod Diuus Thomas Aquinas sepulchro tanti Martyris inscripsit, vnicum tantummodò versiculum suis inserens monumentis. Nos integrum Epitaphium afferemus, dolentes magnopere, quòd illud in aduersa parte lateritiæ pilæ, quà sinus maior Basilicæ Eustorgianæ patet, literis aureis cubitalibus lydio in marmore minimè sit cælatum, tum ipsius Martyris, tum Angelici auctoris causâ; etenim fere omnes, qui ad sepulcrum S. Petri sumptuosissimo opere elaboratum accedunt, marmoream eam tabulam negligunt, Epitaphium illud prorsus ignorantes. Est autem eius sententiæ.

Diui Petri sepulchrum
Diuus Thomas Aquinas,
Cùm in Galliam proficiscens
Anno MCCLXV. inuisisset,
admiratus tantum Martyrem, dixit:
Præco, lucerna, pugil, Christi, Populi, Fideique
Hic silet: hìc tegitur: iacet hìc mactatus iniquè.
Vox ouibus dulcis, gratissima lux animorum
Et Verbi gladius, gladio cecidit Catharorum.
Christus mirificat: populus deuotus adorat:
Martyrioque Fides Sanctum seruata decorat;
Sed Christus noua signa loqui facit: ac noua turbæ
Lux datur: atque Fides vulgata refulget in Vrbe.

Felicissimus igitur Martyr Petrus, qui suarum laudum præconem habuit Angelum Aquinatem.

Porrò hic dies non est Natalis S. Petri; nam ad Superos euolauit septimo Idûs Aprilis: vt nos in nouissima Breuiarij Ambrosiani

stiani emendatione correximus, cùm in Lectione Matutini falsò dicerentur illa, videlicet: *martyrij cursum confecit tertio Calendas Maij*. Quare autem eius dies Festus Translatus sit in hunc diem, nouimus teste Chalco lib. 15. Hist. Patriæ. *His rite peractis, Petrum, Martyris cognomento addito, ex eo quòd recentissimo martyrio affectus foret, Cælo dicauerunt, templaque & aras poni etiam iusserunt. Colitur etiam in præsenti præcipua religione: sed tertium Calendas Maias ei adscripsere, vt celebrior anniuersaria eius memoria maneat; quoniam si diem cædis, vt plerisque omnibus factum fuit, sacrassent, plerumque merito honore caruisset, cùm in Quadragesimam frequenter incidat, qua Ambrosiana Ecclesia nullum Festum admittit.* Subscribit eruditissimo Chalco Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 26. num. 17.

Quo autem in loco interemptus est Diuus Petrus, ibi Illlustrissimus Comes Bartholomæus Aresius, Præses Excellentissimi Senatûs Mediolani, excitauit magnificentissimo opere ac sumptu Templum & Cœnobium Dominicanorum: atque sub ara maxima venerantur Fideles locum cædis, sumentes inde ad morborum leuamen arenam inexhaustam, madidam olim Martyris sanguine. Is verò locus appellabatur *Ferona* (si fides Chalco) *situs inter Barlassinam, Boystumque, ac Medam & Seuisum Vicos*. Feronam enim vocatum illud nemus censeo, quemadmodum syluam proximam Medeæ, vbi nunc surgit Pagus Medæ (de quo supra) a Feronia nemoris Dea, quam memorat Virgilius lib. 7. Æneidos:

& viridi gaudens Feronia luco.

Martyrium quoque, vt infra dicemus, passus est ibidem Beatus Dominicus socius Diui Petri, sicuti narrant Surius, Chalcus, & Besutius in Hist. Pontific. in Vita Leonis Peregi Archiep.. Sicarius verò atque vnus ex coniuratis se Deo dicauere, nempe Daniel Glussianus, & Petrus Balsamus interfector, qui *Charinus vulgò dicebatur*. *Vnus ex coniuratis* (ait Chalcus) *Daniel Glussianeus, pœnitentia sceleris ductus, Ordinem defuncti Religiosi ingreditur: seque totum disciplinæ eius dedit: atque ex officio conscios nominauit. Charinus autem ex fuga Forum Liuium se contulit, vbi facti sui pariter pertæsus, eandem Religionem ingreditur:*

greditur: & tanta acerbitate se sponte macerauit: vt calestis gratia emerita, & reconciliati Numinis Diuini manifesta signa viderit; & propterea memoria eius consecrata, & marmoreo sepulchro, quod adhuc extat, honestata fuit; quod item memorabimus infra ex fide doctissimi Patris Papebrochij. Sica, quâ mactatus fuit Diuus Petrus, hodie, thecâ argenteâ inclusa, osculis Fidelium offertur, confluentibus vndique populis veneratu is Sanctissimum Martyrem in Ecclesia S. Petri Martyris Barlassinæ, de qua agit in Sanctuario Morigius: effuso pariter in vrbe Populo Mediolanensi ad colendum in Basilica Eustorgiana Diui Petri sepulchrum, & Caput adhuc incorruptum, de quo paulò pòst.

PRIDIE CALENDAS MAII.



Omæ Sancti Victoris Martyris, cuius Corpus Brembatum in Diœcesim Mediolanensem translatum est, vbi piâ veneratione honoratur.

APRILIS 30.

PAgus Brembati in agro Bergomate contentus, cognomentum accipit a præterfluente amne, cui nomen Brembus: eiusque meminit Gaudentius Merula lib. 2. antiquit. Gall. Cisalp. cap. 16., & Blondus in Lombardia; Donatus quoque Caluus in Ephemeride Bergomensi vol. 1. memorat Brembatum. Inibi duæ Ædes sacræ perpulchræ, quas ego aliquando vidi: altera superior est, quam Diuis Faustino & Iouitæ dicatam Illustrissimus Iacobus Viola Episcopus Laodiceæ consecrauit, altera inferior sacra Diuo Victori fere in cryptâ iuxta flumen. Huc verò S. Victorem, cuius celebris est memoria in Martyrol. Rom. die octauâ Maij, se fugâ subduxisse persequenti Maximiano Imperatori fama est, & cùm se in eam speluncam abderet, emollitum fuisse miraculo silicem, Martyris manû, digitosque esse intra marmor admissos: ita vt impressa


cautes

cautes perennes aquarum guttas adhuc in labrum subiectum demittat, ad abigendos morbos planè medicas.

Porrò Corpus S. Victoris, de quo agimus, effossum fuit ex Cœmeterio Diui Calixti vnà cum vase sanguinis ac sepulchrali lucerna. Verùm cùm hæc sacra Ædes nuncupata sit alteri Victori qui Mediolani martyrium passus est, vereor, ne deinceps colentium Oppidanorum religio hallucinetur, rata eum esse Victorem, cui Ecclesia sacrata est; quem errorem frequentissimè induci in populos ab homonymia attestatur Ioannes Ferrandus in disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. 4. artic. 1.. Cæterùm Pagus Brembati continetur in Plebe Verdelli, quæ ditata est sacris lipsanis: eaque seruantur præcipuè in Ecclesia Verdelli Maioris, Osij inferioris, & Capriati. Hâc autem die memoraui Translationem huius S. Victoris, cùm Brembatenses nunquam mihi certum illius diem significauerint; vt proxima quidem esset Festiuitas diei Festo alterius S. Victoris: neque tamen cum illo confunderetur, erroris vitandi causâ, quem infra damnabimus.







MAIVS.

CALENDIS MAII.



SEduni in Gallia Passio Sancti Sigismundi Regis Burgundionum, qui in puteum demersus occubuit, ac postea miraculis claruit. Eius Corpus Mediolanum Translatum, in Ecclesia Sanctæ Mariæ Fauentis Ægris conditum est.

MAII 1.



ECclesia, quæ ædificata est in impluuio Ædium Canonicalium Basilicæ Ambrosianæ, licèt in præsens vulgò vocetur Diui Sigismundi: attamen olim appellabatur S. Mariæ Græcæ, corruptâque voce *Fabagræca*, sed germanâ, *S. Mariæ Fauentis Aegris*, de qua scribit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num 533. Rem dilucidè explicat Ripamontius Dec. 1. lib. 5. Hist Mediolanen. Ecclesiæ. *In meridiem est ædicula Virginis Deiparæ, quam Fabagræcam vulgus appellat, sed vetus inscriptio, inditum id ex ægrotorum tutela cognomen docet, indeque periti Fauentem Aegris Mariam nuncupauere. Ibi sita sunt Corpora Sigismundi Regis & Pontificis Desiderij &c.* In hac ergo Ecclesia tumulatum fuisse Corpus S. Sigismundi tradunt quoque Morigius in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 19. & in Sanctuario, Villa

in libro de Septem Basilicis Stationalibus, Ioannes Franciscus a Basilica Petri, appellatus Carolus, posteaquam ascriptus est Ordini clarissimo Barnabitarum, in libello de aliquot Ecclesijs Mediolani, quem citat Puricellus in Monum. Basil. Ambr. num. 534.. Porrò Corpus S. Sigismundi iacet retro aram maximam vnà cum Corpore S. Desiderij Episcopi & Martyris: eiusque Caput asseruatur in Sacrario Canonicorum Basilicæ Ambrosianæ in theca ad speciem humani capitis elaborata, licèt Baldesanus in Hist. S. Mauritij lib. 2. Corpus & Caput S. Sigismundi alibi iacere asseueret.

De S. Sigismundo agit Martyrol. Romanum, Missale, ac Breuiarium Ambros (nam hodie Mediolanen. Ecclesia eius commemorationem facit in Laudibus & in Missis priuatis tantùm) Scriptores omnes, quorum testimonio vtitur Baronius in Notis Martyrol, , Gulielmus Baldesanus lib. 2. Hist. S. Mauritij, item Acta Sanctorum; queis adde Brautium sic canentem.

Cæde luit cædem nati cum coniuge, notis
Ex puteo signis tractus vbique micat.
De Clodouæo Rege Francorum occisore eiusdem
S. Sigismundi Regis & Martyris.
Vltorem cædis Diuini numinis, iræ
Ex facto, dispar pœna secuta, pari.

An verò Monasterium Maius Mediolani, in cuius ornatissimo & ditissimo Templo hodie magnificentissimè celebratur dies Festus S. Sigismundi, ab eodem S. Sigismundo excitatum fuerit, disputat Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 15.

Porrò hæc Ecclesia S. Mariæ Fauentis Ægris, non modò iccirco fortasse appellatur ob opem Deiparæ, verùm fortè propter S. Sigismundũ, cuius patrocinio Quartanarios sanari testatur S. Gregorius Turonensis cap. 75. de Gloria Martyrum.

SEXTO NONAS MAII.


Ritiani Sancti Faustini Martyris, cuius Corpus ibidem religiosè custoditum condigno honore colitur.

MAII

MAII 2.

TRitianum pagus est proximus Tritio, quod Oppidum est Metrocomia illius tractûs, & celebre est testimonio Gaudentij Merulæ lib. 3. antiquit Gallorum Cisalpinorum cap. 9., itemq; Sigismundi Boldoni in descriptione Lacûs Larij, ac propter exordium alterius fossę Nauigabilis, & arcem munitissimam (cuius meminerunt rerũ nostrarum Scriptores) Adduæ Flumini imminentem, & confinia Mediolanensis Prouinciæ tutantem. In huiusce igitur Pagi Æde sacrâ, quæ dicata est Diuo Macario, iacet Corpus S. Faustini inspectum à Curia Archiepiscop. Mediol. die 10. Maij anno MDCXLI. vnà cum Insignibus Reliquijs S Camilli Martyris, necnon SS. Viti, Maximi, Iustini, Cosmæ, Gaudentij, Paulinæ, atque Euphrasiæ. Cùm autem dies, tum Natalis, tum Translationis ignoraretur: hanc diem placuit Diuo Faustino dicare, quâ Tritianenses Sanctum Macarium Oratorij Patronum venerantur.

Quæret hìc aliquis, vtrùm nomen Faustini proprium sit, an appellatiuum? Hunc certè nodum explicabo; siquidem nomina Fausti, Victoris, Beati, Felicis, Fortunati, Benedicti, & alia eiusmodi esse plerumque appellatiua censeo. Cùm enim effodiuntur ex cryptis Corpora anonyma Sanctorum Martyrum, illis postmodum appellatiua nomina imponuntur. Ita Adaucti, qui fuit socius S. Felicis & Quatuor Coronatorum, nomina sunt appellatiua; item ancillæ cuidam, quæ Iberos trans Pontum Euxinum virtute miraculorum ad Christum conuertit, laudaturque in Martyrol. Rom. decimo octauo Cal Ianuarij, inditum fuit nomen Christianæ; quod appellatiuum esse doctissimus Baronius testatur in Notis Martyrol. eâ die ad literam *E.*. De hoc more imponendi Cælitibus ignotis nomina, eruditè scripsit Ferrãdus in Disquisit. Reliqu. lib. 1. cap. 5. artic. 1. & 2., docens primò, *nomina cælitum ignotorum exuuijs interdũ imponi solita*: disputans postea, *an, a quibus, & quomodo certa nomina ignotis & incertis Diuorum Reliquijs imponi possint:* ostendens denique, *a nominibus impositis ignotorum Cælitum exuuijs, earundem subinde multitudinem oriri*. Inde frequentissima sunt ea nomina Fausti, Christophori, Vincentij, Theophili,

phili, Victoris, Felicis, Fortunati, Benedicti, Amatoris, Macarij, Theodori, Amabilis, atque eiusmodi Sanctorum appellatiua, queis Pontifex Maximus & Episcopi dumtaxat possunt incertas Superûm Reliquias insignire.

QVARTO NONAS MAII.



MEdiolani Sancti Venerij Episcopi, discipuli Beati Ambrosij, cuius egregias virtutes Sanctus Ioannes Chrysostomus in Epistola ad eum scripta testatas reliquit.

MAII 4.

S. Venerij laudes celebrat Martyrol. Rom., in cuius Notis plurium Scriptorum testimonia afferuntur ad commendationem Diui Venerij, Missale & Breuiarium Ambros., Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Acta Sanctorum, Catalogi M.SS., Besutius in Hist. Pontific., Galesinius, Ferrarius in Catal., Vghellus tomo 4, Liber Successorum S Barnabæ, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Eccles., Villa de Septem Basilicis, Picinellus in elogijs extemporalibus, & Brautius in Martyrol. Poetico, alludens ad magisterium Ambrosij, cuius disciplinâ plurimùm profecit Venerius.

Discipulus Magni dignus Doctoris honore,
Fert graue sollicitus, ferre rogatus, onus.

Sed ante omnes S. Ioannes Chrysostomus, ac S. Ennodius commendant Venerium, & Baronius ad annum CDI. & CDV., qui ibidem affert literas a Diuo Ioanne Chrysostomo ad Venerium scriptas: easque intulit etiam Puricellus in caput 59. Dissertationis Nazarianæ; qui item capiti 66. eiusdem Dissertationis mandauit Epigramma S. Ennodij in laudem Diui Venerij, explicando ex mente eruditissimi Sirmundi primos versûs Epigrammatis, videlicet:

Forma pudicitiæ iuuenis sectanda Veneri
Venit, nominibus nil famulata suis;

Nimi-

Nimirum suo nomini non est famulatus Venerius, *quia pudicus erat, cùm Venerius vocaretur*. De Synodo autem Prouinciali Carthagine habito, cuius Patres legationem miserunt ad S. Venerium, egimus supra, cùm de scriba S. Ambrosij Paulino ageremus. Nouissimè Hieronymus a Basilica Petri in libro Sac. Ephemer. laudauit. S. Venerium.

Hodie Mediolanensis Ecclesia in Laudibus & in Missa commemorationem facit S. Gothardi Episcopi & Confessoris; quamquam olim a Liturgis Ambrosianis celebraretur illius Officium, translato S. Venerij Officio in diem sextam Maij; quemadmodum constat ex Calendario Psalterij Ambrosiani typis impressi anno MDXL., ex Missali Ambrosiano edito anno MCCCCLXXXX. & MCCCCLXXXVII.. Ego verò aliquando pro Apotheosi Diui Gothardi pugnaui, scriptis etiam literis ad Eminentissimum Cardinalem Cæsarem Fachinetũ Commendatarium Abbatiæ S. Gothardi Modoetiæ: cùm aliquibus Sanctus commentitius videretur. Ex eo autem errandi originem fluxisse puto, quòd Diuum Gothardum varijs nominibus appellatum video; siquidem eum pars vocat *Gothardum, Godeardum, Gotedardum*: pars *Godhardum*, *& Gotheardum* Cæterùm Diui Gothardi meminit adhuc Breuiarium & Missale Ambrosianum hâc die, Calendarium M.SS acephalum (de quo supra) Surius, Raderus in Bauaria Sacra i. ē Officia propria Ecclesiæ Genuensis *Tit.* de Lectione Martyrologij, Ferrarius in Catal. Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt, Galesinius in Martyrol., Canisius, Maurolycus, Molanus, Henschenius in Actis Sanctorum, Tattus Dec 2. lib. 2. Annalium Comensium, Ioannes Franciscus Castillionæus in eiusdem Vita; præ omnibus verò Cardinalis Baronius tomo XI. Annalium ad annos MXX. & MXXIII., quo anno Diuus Gothardus ad Concilium Moguntinum se contulit: cuius Acta prorsus exciderant, nisi miraculo S. Gothardus fœminam a Dæmone obsessam liberans, eius Concilij firmum & graue testimonium dedisset. Itidem Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino testatam facit Diui Gothardi Sanctimoniam; cui plurimæ Ædes sacræ, non in Italia modò, verùm etiam in Germania sunt dicatæ. Mediolani in Ducali Palatio sacram

Ædem

Ædem nuncupauit Diuo Gothardo Azo Vicecomes, quemadmodum memorant Ripamontius Parte 2. Hist. Eccl. Mediolanen lib. 9. & Corius Parte 3. Hist. Mediol. ad annum MCCCXXXIII., propterea quòd Azo laboraret podagrâ, cuius morbi auerruncum esse Diuum Gothardum censebat; quamquam eodem morbo correptus, viuere desijt, vt itidem Corius narrat ad annum MCCCXXXIX. Idem pariter Corius eâdem Parte, necnon Ripamontius lib 2. Dec. 3. Hist. vrbis Mediolani describit vasa argentea & crystallina, quæ Vicecomes eidem sacræ Aedi est elargitus.

Hodie pariter agitur Festiuitas S. Monicæ Matris Diui Augustini, quæ Sanctis Ambrosio & Simpliciano acceptissima, diù morata est Mediolani: vt Augustinus ex eâdem natus, Christo renasceretur. Verùm Mediolanensis Ecclesia nonnisi in Litanijs Sanctorum mentionem facit Diuæ Monicæ.

TERTIO NONAS MAII.



Ediolani Sancti 1. Geruntij Episcopi & Confessoris, qui acerrimè Barbaris obstitit, cùm Odoacre Rege Italiam essent ingressi. Ibidem Conuersio 2. Sancti Augustini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, quem Beatus Ambrosius Episcopus Fidei Catholicæ veritatem docuit, & hâc die baptizauit. Triuillij Translatio Corporis Sancti 3. Zenonis Martyris, atque aliorum plurium Sanctorum, quorum Reliquiæ ibidem religiosissimo cultu seruantur.

MAII 5.

SAnctimoniam Diui Geruntij testantur Martyrologium Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum, Acta Medio-

lanensis Ecclesiæ, Acta Sanctorum, Vghellus, Galesinius, Liber Successorum S. Barnabæ, Besutius in Hist. Pontific., Ferrarius in Catal., Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediol. Eccl. lib 7., Catal. M.SS., & alij Scriptores rerum Mediolanensium. Brautius quoque laudauit S. Geruntium:

Inuitus subijt, Summo mandante, coactus
Præsule, Præsul onus, quod patiendo tulit.

Porrò Diuum Geruntium prodijsse ex Familiâ a Basilica Petri (non autem ex Burrea, vti vult Vghellus) fama est, infulis, togâ, & sago clarissimâ: eaque vulgò appellatur *Bascapè*. Verùm Carolus a Basilica Petri Episcopus Nouariæ huic famæ refragatur in Fragmentis Hist. Mediolanen. Tit. *de Familia a Basilica Petri*, ratus cognomina Familiarum *non eius esse antiquitatis, & circa millesimum, vel ad summum nongentesimum salutis annum initium habuisse. Nam post Italiam a Barbaris occupatam antiqua familiarum nomina ita periere, vt neque in libris, neque in chartis, neque in inscriptionibus vlla appareant: sed solùm nomen hominis, de quo mentio est, legatur: vt existimari non possit, quomodo antiqua nomina familiarum ad posteriora tempora potuerint peruenire. Neque satis sciatur, quonam pacto hominem alium ab alio per ea barbara sæcula distinctum sit, nisi aliquando a patris, lociue nomine, aut verò aliquo proprio hominis agnomine; quæ quidem etiam ex lectione auctorum temporis illius cognoscere quisque potest, veluti apud eos, qui de Pontificibus & Cardinalibus scripsere. Apud nostros Tristanus Chalcus grauis auctor Historiæ Mediolanensis, anno demum circiter DCCCC. Anspertum Archiepiscopum Mediolani de Blasono dictum refert a vico illo Mediol.* (distat Vicus ille Modoetiâ quatuor millia passuum) *& post illum Andream Carcanum, deinde alios fere a locis nominatos. Quòd enim Superioribus sæculis Archiepiscopis familias horum temporum quidam assignant, a veritate Historiæ abhorret. Quæ si vera sunt, familiam quoque eandem a Basilica Petri S. Geruntio Archiepiscopo Mediolani adimere oportebit*. Hæc eruditissimus Præsul, quæ etiam scripsit in lib. 2. Nouariæ Sacræ part. 332.: atque inficiatur, familiam suam ideo vocatam a Basilica Petri, quòd oblatâ a nobili viro areâ domoque, vt conderetur Diuo Petro Apostolorum

Prin-

Principi Basilica, is deinde a Basilica Petri fuerit appellatus; sicuti censuit Ripamontius Dec. I. Hist. Mediolanen. Eccl. lib. 2.. Videat igitur Hieronymus a Basilica Petri in lib. sacr. Ephemer. hâc die, quid de Familia, de S. Geruntio & de Basilica S. Petri, vulgò Nazariana, senserit Carolus a Basilica Petri.

2. Conuersum fuisse Diuum Augustinum ac baptizatum Mediolani nemo ignorat: eiusque Conuersionis meminit Martyrol. Romanum, Breuiarium & Missale Ambrosianum, Officia SS. Augustinensium, & Cardinalis Baronius tomo 4. ad annum CCCLXXXVIII.; Brautius quoque de Conuersione & Baptismo S. Augustini hæc cecinit.

Ista dies Augustinum conuertit, & albis
Vestibus indutum purificauit aqua.

Etiam Bulzius Parte II. Lararij Poetici scripsit in hoc argumentum Epigramma ad diem 28. Augusti.

S. Augustinus Episcopus & Doctor
annos triginta tres natus baptizatur.

Tres & ter denos Rhetor vix attigit annos
Africus, obtinuit cùm tua castra, Deus.
Tunc hæsit Fidei: sacra est tunc lotus ab vnda:
Tutatur vita tunc calamoque Fidem.
Cùm Fidei hunc dederit, Christum quæ sustulit, ætas:
Sufficitur terris num Deus ille Deo?

Restat solummodo, vt statuamus, quo in loco fuerit baptizatus: & an ipse simul cum Diuo Ambrosio cælestem planè Hymnum alternis versibus extempore decantauerit, cui initium: *Te Deum laudamus &c.*

De loco Baptismi agamus primùm. Puricellus in capite vndequadragesimo Dissertationis Nazarianæ ex sententia Datij G. de cuius Chronicis disputauimus supra: ac in eodem capite scribit fusè Puricellus) putat, Diuum Augustinum baptizatum fuisse in Aede sacra S. Ioannis ad Fontes, pro quâ in Monum. Basil. Ambros. num. 300. nonnulla tradiderat, *altiorem tamen indaginem in aliud tempus & locum reseruans.* Gemina etenim quondam habuerat vtrinque Templum Metropolitanum Baptisteria, alterũ quidem S. Stephani ad Fontes Aquilonem spectans, vbi nunc Aedes dicata est Sanctæ Radegun-

dæ, alterum S. Ioannis ad Fontes ad Austrum vergens, dirutum anno MCDX., (seu veriùs anno MCCCXXXVI) vti memorat idem Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 33. num. 13.. Cuius fundamenta reperta sunt annis superioribus, cùm restaurarentur Equilia in Palatio Ducali; & quidem in Epigrapha incisa in Turri Ecclesię Ducalis S. Gothardi legere est postremos hosce versûs, nempe

Annis millenis trecentis terque denis
Sex secum adiunctis finitur Ecclesia Fontis;

Quia eo anno æquata fuit solo Ecclesia S Ioannis ad Fontes ob nouam ædificationem Ecclesiæ S Gothardi. Verùm cùm prope Basilicam Ambrosianam posita sit Sacra Aedes, paucis abhinc annis restituta ab Iosepho Raynoldo Cœnobij Ambrosiani Abbate, viro religiosissimo, & mei amantissimo, quam nonnulli nuncupatam olim fuisse Diuo Ioanni Baptistę affirmant: eaque in præsens a Baptismo S. Augustini cognomentum acceperit: quidni, etiam propter plurium Scriptorum testimonia, & Populi Mediolanensis antiquissimam traditionem, itemque labrum marmoreum, quod inibi in Sacrario seruatur (in quo fama est baptizatos fuisse anno CCCLXXXVIII. Augustinum, Alipium, & Adeodatum) dicamus, hanc fuisse Aedem S. Ioannis a Datio memoratam? Certè propter vnius Datij effatum neutiquam censeo a communi & inueteratâ opinione esse discedendum. Quid enim ille duo tantùm Baptisteria Mediolani fuisse affirmat? An non iuxta Basilicam Portianam, quæ olim fuit Cathedralis, quemadmodum fatetur Puricellus in Monum. Basil. Ambros. nu 5, collocatum fuerat Baptisterium? Id nos docet Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Castritiani. *Portianæ* (inquit) *altera Aedes S Gregorij nomine, rotundum ædificium satis amplum, vnica testudine, non vulgaris operis, & musiuis ornamentis decoratum, adiunctum erat, quod Baptisterium fuisse existimatur*. Quid si Augustinus in eo loco baptizari maluit, quem prope a cælesti voce admonitus *librum tulerat & legerat?* Eum enim Sacrâ Aede superimpositâ, ac Diuo Remigio Episcopo dicatâ, Pietas ac Religio Monachorum Cistertiensium in viridario Cœnobij Ambrosiani sacrauit: vti memorat

Ripamontius Dec. 1. lib. 5 Hist. Mediol. Ecclesiæ. Adde quòd S. Ambrosius Basilicæ suæ Ambrosianæ, quam paulò antè anno videlicet CCCLXXXVII. extruendam curauerat, studiosissimus, non longè ab eâdem Augustinum voluit baptizare. Eiusmodi igitur coniecturæ & traditio Scriptori Datio refragantur. De Baptisterio autem, quod ædificauit Mediolani S. Eustorgius II., scribemus ad diem sextam Iunij: ac profectò illud Baptisterium Eustorgianum multò pòst ædificatum fuit.

Venio nunc ad Hymnum *Te Deum laudamus &c.* quem vocat in controuersiam Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 39., vbi etiam citat auctores de Augustini Conuersione disputantes a num. octauo fere vsque ad calcem capitis. Numero siquidem nono videtur hic Hymnus ascribi vni Ambrosio: tum quia Datio fidem negat Puricellus (quem parũ fide dignum num. x. esse affirmat: eaque Chronica Datio quidem, non autem S. Datio Archiepiscopo tribuit, vti nos supra tradidimus) tum quia videtur *Hymnus ille ab Ambrosio compositus, & Fidelibus ad canendum traditus, deinde autem memoriæ itidem ab Augustino mandatus: ita vt hic statim a Baptismo eum alternis vnà cùm Ambrosio versibus decantare potuerit*: Attamen num. 18. vult ab Diuis Ambrosio & Augustino cælitùs inuentum, quòd *non immeritò hæc sententia credi potest, Ecclesiasticæ traditionis testimonio comprobata*; enumerat verò ibidem Scriptores, qui huic traditioni adstipulantur: nosque eidem subscribimus cum doctissimo Lorino, quem citat Cardinalis Bona cap. 16. §. 12. in Tractatu de Diuina Psalmodia Tit. de Canticis. Et quamquam in Breuiario Ambrosiano, qui impressus est typis Mediolanensibus anno MCDXL. per Antonium Zarottum hic titulus præfixus sit eiusmodi Hymno: *Te Deum laudamus*; nempe: *Hymnus editus per S. Ambrosium Episcopum ac Mediolanensium Patronum præcipuum in Baptismo Beati Augustini*: mendam tamen illam castigatam vidimus in Psalterio Ambrosiano edito typis anno MDXVI. per Zanottum de Castellione, & in alio item Psalterio Ambrosiano impresso per fratres Metios anno MDLV., item in Breu. Ambros. edito anno MCDLXXXVII.: & in alijs vetustis Ambrosianæ Psalmodiæ

Libris

Libris semper Hymnus ille Ambrosio & Augustino adiudicatur. Porrò cùm in Officijs proprijs Sanctorum Ordinis Eremitarum S.Augustini nouissimè emendatis, in sexta Lectione de Conuersione eiusdem Augustini, legantur hæc, videlicet: *Tunc Ambrosius, vt scribit Sanctus Datius, ob tanti viri Conuersionem Deo gratias acturus, Te Deum laudamus præcinuit, Augustino vicissim respondente, Te Dominum confitemur. Atque ita sacer ille Hymnus, quo assiduè Ecclesiastica Templa resonant, a viris Sanctissimis, alternis ad finem vsque contextus est*: sententiam illam, quâ Sancto Datio auctoritatem eius dicti ascribunt, nonnulli improbant: ac proinde mallent in eam formulam emendari nempe, *vt Datius scribit*; quandoquidem illa Chronica non sunt Sancti Datij, sed alterius Datij, vti antè indicauimus. Et sanè in Officijs proprijs Sanctorum Augustinensium impressis in vrbe Venetiarum anno MDCXXV. apud Iuntas nusquam legitur testimonium illud, nec S.Datij, nec Datij; ego in hac controuersia silentio me tuebor. Cæterùm Gauantus vir eruditissimus cap. 19. sect. 5. in Rubricas Breuiarij Romani negat illa Chronica esse Datiana: & videtur totum Hymnum *Te Deum laudamus* vni Ambrosio ascribere, cuius sententiam inserit Puricellus eidem capiti vndequadragesimo num. 11.; qui num. 17. respondet doctissimi Scriptoris Theophili Raynaudi eum Hymnum ne ipsi quidem Ambrosio tribuentis assertioni.

Porrò hunc Hymnum nunquam recitabant Ambrosiani in precibus horarijs; induxere in morem Archiepiscopi Ioannes Vicecomes & Franciscus Pizolpassus, teste Puricello in eodem cap. num. 22., mandando, *vt post Lectiones Matutinales diebus Dominicis, & alijs Festiuis & solemnibus cantetur illud suauissimum & delectabile Canticum & Symbolum Doctorum in Ecclesia Dei clarissimorum Ambrosij & Augustini, Te Deum laudamus &c.* Ioannes verò Vicecomes creatus fuit Archiepiscopus anno MCCCXXXIII. Pizolpassus autem MCDXXXIII.. Sed enim manum de tabula, vbi de hoc Hymno vbertim ac eruditè scribit P. Eustachius a S. Vbaldo Augustinianus nudipes.

3. Ex Tabulario Ecclesiæ Maioris Triuillij, vbi Dominicâ die, quæ

quæ propior est diei quintæ Maij, fit singulis annis commemoratio Solemnis huiusce Translationis, cuius apparatum, pompam, & cæremoniam legimus in libro typis Mediolanensibus impresso anno MDCXLV, qui hunc titulum præfert: *Li comuni trionfi ed allegrezze del Castello di Treuì*; & eiusdem Translationis meminit Emmanuel de Laude in Hist. Triuilliensi cap. vltimo.

PRIDIE NONAS MAII.



Ediolani Sanctorum 1. Victoris, Felicis, & Sociorum centum sexaginta Martyrum. Nouocomi Beatæ 2. Prudentiæ Virginis, Ciuis Mediolanensis, Ordinis Sancti Augustini, vitæ sanctitate illustris.

M A I I 6.

1. EX Actis Sanctorum, Martyrologio vetustiori Occidentalis Ecclesiæ, ex Libro Sacrarum Ephemeridum Hieronymi a Basilica Petri; nos de his agemus infra in Nonis Calendarum Nouembrium.

2. Monasterium Sanctimonialium Diuæ Marthæ Mediolani (de cuius laudibus scripsit etiam Octauius Inuitiatus ex Societate Iesu in Vita Venerabilis Archangelæ Panicarolæ eiusdem olim Cœnobij Antistitæ) fuit semper ager fertilis virtutum & Sanctimoniæ; nam præter Beatam Veronicam de Binasco, atque alias Beatas Virgines, de quibus meminero in Notis ad Calendas Nouembres, habuit etiam Beatam Prudentiam. Hæc ex eo Cœnobio, iussu Moderatorum, profecta, migrauit Comum: vbi plurima reliquit suæ pietatis & probitatis monumenta, vti in Martyrologio Nouocomensi hâc die, & in Actis Sanctorum, ex quibus Hieronymus a Basilica Petri transtulit Vitam B. Prudentiæ in Librum Sac. Ephemeridum. Porrò Prudentia obijt anno MCDLXXXXII.: eaque prodi-

uit

uit ex Familia de Casatis, fuitque consanguinea Beatæ Beatricis, si credimus Tatto auctori Comensis Martyrologij. Siquis autem viros illustres Gentis Casatæ nosse velit, interroget Historiam Chalci in indice Familiarum & Ciuium Mediolanensium &c.

NONIS MAII.

MEdiolani Translatio Sancti Petri Martyris, quando venerandum eius Corpus Ioannes Archiepiscopus ad Sancti Eustorgij Basilicam transtulit: atque ibidem nobiliore in tumulo collocauit.

MAII 7.

EX Breuiario Ambrosiano die 29. Aprilis, Martyrol. Galesinij hâc die, ex Libro Successorum S. Barnabæ in elogio Ioannis Vicecomitis Archiepiscopi, quod est centesimum secundum. Huius itidem Translationis fit mentio die 29. Aprilis in Actis Sanctorum (hæc verò Acta eo cognomento indicamus, quin semper eorum auctores eruditissimos Henschenium & Papebrochium nominemus) § 3. num. 21.: vbi ex testimonio Ambrosij Taegij fertur arca marmorea, in qua conditum est Corpus S Petri Martyris, stetisse *fere ducatis bis mille auri*. Caput autem eiusdem Sancti, adhuc post annos plurimos incorruptum, collocatum est in Sacello elegantissimo a tergo Odæi Eustorgiani, quod solemni supplicatione translatum est anno altero supra millesimum sexcentesimum quinquagesimum, vt ibi num. 22., *inclusum vase splendenti ex auro & crystallo, quod Prætoriæ quondam Turcicæ pro laterna fuerat*. Cæterùm § 2. num. 18. Charinus de Balsamo, vti antea meminimus, qui Beatum Petrum occiderat, dicitur fuisse post Sanctam vitam piè mortuus, & patratis subinde miraculis humatus in Sacrario Templi Dominicanorum Fori Liuij, in qua vrbe, ascriptus Ordini S. Dominici, pœnitentiam sceleris

ris egit. Balsamum verò pagus est septimo ab vrbe Mediolani lapide distans, proximus Modoetiæ. In eodem autem sarcophago, in quo iacet Corpus S. Petri Martyris, creditur etiam quiescere Corpus Beati Dominici, qui fuit S. Petri socius & collega martyrij: cuius meminit Dominicus Maria Marchesius in eruditissimo Diario Sanctorum Ordinis S. Dominici tertio Idûs Apriles.

OCTAVO IDVS MAII.



Mediolani Natalis Sancti Victoris Martyris qui natione Maurus, & a primæua ætate Christianus, cùm esset in castris Imperialibus miles, compellente Maximiano, vt idolis sacrificaret, in confessione Domini fortissimè perseuerans, primò grauiter fustibus cæsus, sed Deo protegente doloris expers, deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitùs læsus, nouissimè gloriosi martyrij cursum capitis abscissione compleuit.

MAII 8.

Agunt de S. Victore Martyrol. Romanum, Breuiarium, ac Missale Ambrosianum cum Officio & Missa proprijs, S. Ennodius lib. 8. Epistolarum Epistolâ 24. ad Faustum, necnon in Eucharistico, atque ibidem Sirmundus in Notis, Baronius tomo 11. Annalium ad annum CCCIII., Acta Mediolanensis Ecclesiæ parte 6 in Tabula Archiep. Mediol. num. 9., M.SS. in Sacrario Ecclesiæ S. Francisci Mediolani, Acta Sanctorum, Ripamontius Dec. 1. lib 2., Hist. Eccl. Mediolan., Ferrarius in Cat. SS. Italiæ, Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Liber Successorum S. Barnabæ & Besutius in Hist. Pontificali in Vita S. Materni Archiep., Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol.

in Vita eiusdem S Materni, Chalcus Hist. Pat. lib 1., Vghellus tomo 4 Italiæ Sacræ, Galesinius etiam in Præfatione ad volumen Homiliarum contextum ex Libris S. Ambrosij a Step hano Leinatio: immo ipse S. Ambrosius citatus in Notis Martyrol. Rom. a Baronio ad hanc diem vnà cum S. Gregorio Turonensi, Surio, Mombritio, Beda, Vsuardo, Adone, & Petro in Catal; queis adde Baldesanum in lib. 2. Hist. S. Mauritij, Puricellum in Monumentis Basil. Ambros. num. 19., Peregrinum Merulam in Sanctuario Cremonensi, & Picinellum in Elogijs extemporalibus. Bulzius quoque in parte 1. Lararij Poetici duplici Epigrammate Victorem cõmendauit, quòd *plumbum vt rorem experiretur*; cui etiam argumento allusit Brautius.

Innocuum Victor plumbum tulit igne liquatum,
Cui grauis in castris Principis imber erat.

Atque alia Brautius subtexit disticha, nimirum *de libertate dicendi S. Victoris, de inedia & tormentis eiusdem, ac de vaticinio ad Maximianum Imperatorem*; quæ legere iuuat in Martyrologio Poetico.

Cæterùm martyrium nomenque S. Victoris fuit adeo celebre: vt, non modò Mediolani quinque Ædes sacrę, inter quas magnificentissimum est Cœnobitarum Oliuetanorum Templũ, conditæ illius nomini sint, verùm etiam plurimæ in Diœcesi ac in Insubribus. Immo colitur etiam tanquam Patronus a Senensibus & a Volaterranis, vti docet Ferrarius in Catal. in Annotationibus; quibus quidem Volaterranis Calixtum II. Summum Pontificem ferunt dono dedisse Caput S. Victoris. Verùm, ne illum fuisse bicipitem dicamus (quando Caput S. Victoris asseruatur Mediolani in ipsius Basilica) affirmandum erit, aut tantam partem Capitis translatam fuisse Volaterras, vt Caput appellari possit (quemadmodum ostendit Vghellus tomo 1. Italiæ sacræ, docens, Caluariam S. Victoris fuisse dono datam, aut Caput alterius S. Victoris donatum fuisse & exportatum Mediolano: vbi, non vnum hunc Victorem, sed alios eiusdem nominis Martyres extrema pro Fide Christi supplicia perpessos fuisse auctor est literatissimus Florentinius: & nos infra in Notis Calendarum Nouembrium ostendemus. Certè in fronte læui sinus (secatur enim Templum

Victorianum in tres sinûs) Epigraphe in marmore incisa indicat, a Cardinali Federico Borromæo Archiepisc. aram maximam eius Basilicę consecratam fuisse Nonis Aprilis anno MDCII., atque ex tumulo Sanctorum Victoris & Satyri, *extracta eorundem Capita, in thecis argenteis Solemniter esse recondita.*

Quot verò turbæ inter Puricellum & Raphaelem Monetam Abbatem Oliuetanum pro Corpore S. Victoris superioribus annis sunt excitatæ! Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 19. affirmat, Diuos Victorem & Satyrum tumulatos fuisse in Basilica Ambrosiana, quà conditum est Diui Victoris sacellum, vulgò *Ad Cælum aureum*. Moneta vult contra in Libro, cui titulus: *Faces ad tumulum S. Satyri &c.* in ara Maiori Basilicæ Victorianæ fuisse a S. Carolo condita. Monetæ respondet Puricellus in Libro, qui inscribitur: *Sancti Satyri Confessoris, & SS. Ambrosij & Marcellinæ fratris tumulus e nocturnis facibus suæ luci restitutus.* Monomachiam igitur suam committant Puricellus & Moneta; nos singulari hoc certamine abstinebimus, pro Victore neutiquam dimicaturi: ne victi, ne victores, e pugna redeamus cum alterutrius malâ gratiâ. Porrò Ecclesia Volaterrana habet Officium de S. Victore proprium a Raphaele Volaterrano contextum, cuius Lectiones Matutinas inseuit Puricellus capiti quinto responsionis ad Monetam, vbi etiam multa affert de dono Capitis Diui Victoris.

SEPTIMO IDVS MAII.



MEdiolani Sancti 1. Ephenici, qui præclarâ Fidei confessione, martyrij palmam est consecutus. Ibidem Sanctorum Casti 2. & Polimij Diaconorum Sancti Ambrosij. In Creta insula Natalis Beati 3. Iacobi Sitoni, Ordinis Prædicatorum, Ciuis Mediolanensis, qui cælesti voce ad Gentes

Orientales, prædicandi Euangelij causâ, missus est. Item Mediolani in Basilica Nazariana 4. Translatio Reliquiarum Sanctorum Apostolorum, quæ a Sancto Ambrosio religiosissimè peracta est. Locati Translatio Sancti Felicis 5. Martyris, cuius Corpus ibidem iacet in Ecclesia Sancti Alexandri.

MAII 9.

1. S. Ephenici Martyris mentionem nusquam vidimus, nisi apud Papebrochium hâc die in Actis Sanctorum; fortasse est ex ijs Martyribus, quorum meminit Florentinius in Martyrologio vetustiori Occidentalis Ecclesiæ: eosque nominabimus in animaduersionibus Calendarum Nouembris.

2. Ex vetustis Missalibus Ambrosianis, ex Calendario acephalo M.SS., ex Actis Sanctorum (in quibus Henschenius & ex eo Hieronymus a Basilica Petri in Libro Sacrarum Ephemeridum affirmat, Castum & Polimium fuisse martyrio coronatos) ex Paulino in Vita S. Ambrosij. Puricellus quoque meminit eorundem Sanctorum, tum in Monum. Basil. Ambros. num. 302. & seqq., tum in Dissertat. Nazar. cap. 60. Hi autem Leuitæ sanctitate insignes prodierunt ex Schola S. Ambrosij, quo item præceptore vsi sunt Simplicianus, Eugenius S. Zenobij in Florentina Ecclesia Diaconus, Felix Bononiensis Ecclesiæ Episcopus, Venerius, Paulinus Episcopus Nolæ, Prouinus Comensis Ecclesiæ Antistes, præter Theodorum, qui Sancto Geminiano in Episcopatu Mutinensi successit, appellaturque Theodulus a Paulino in Vita S. Ambrosij. Horum item Sanctorum Diaconorum nomina descripta sunt in Indicibus antea memoratis, & laudantur a Godefrido Hermanno Canonico Bellouacensi in Vita S. Ambrosij, quam Gallico sermone scriptam typis Parisiensibus vulgauit anno MDCLXXIX. Corpora verò SS. Casti & Polimij quiescunt in

in Basilica Ambrosiana in ara Sacelli SS. Victoris & Satyri. Bartholomæus Aresius Ambrosiani Cœnobij Monachus, vir eruditus, in serie Chronologica Abbatũ eiusdem Monasterij in Elogio Domni Iuuenalis Oroboni, qui anno MDLXXXVI. secundùm præfuit Ambrosiano Cœnobio, hæc tradit. *Sanctorum Casti & Polimij, Diui Ambrosij Diaconorum, Corpora decenter parum humata, coram Cœnobitis suis, ingenti pietate, nec reuerentia, aut pompa minori, in arcula honestissimè ornata recollegit & condidit.* Hodie ijdem Cœnobitæ persoluunt Officium Solemne de SS. Casto & Polimio; nam ad aras operantur more Ambrosiano, & quandoque psallunt eodem ritu.

Horum quidem Diaconorum celebris quondam erat Festiuitas in Ecclesia Parochiali S. Mariæ ad Portam, sicuti monstrat etiam Missale Ambrosianum impressum anno MCDLXXXII. per Christophorum Ratisponensem, vbi in Calendario mensis Maij die nono indicitur eorum celebritas *ad Sanctam Mariam ad Portam.* Eius Festiuitatis meminit quoq; Ripamontius Dec. 1. lib. x. Hist. Mediol. Ecclesiæ (quamquam ibi perperam *Polinicem* ponat pro *Polimio*: sicuti Libro superiore narrauerat, Diui Felini & Feliciani Reliquias ab Obizone fuisse Aronam translatas, cùm Feliciani Legiodunum, Gratiani verò Aronam fuerint asportatæ, de quibus omnibus infra). Quare autem SS. Casti & Polimij celebritas anniuersaria in sacra illa Æde cultu Solemni celebraretur, tradit ibidem Ripamontius, memorando, tum ædificationem illius Ecclesiæ Parochialis, tum Reliquias inibi inuentas, cùm fundamenta a fabris aperirentur.

3. Ecclesia Mediolanensis debet insulæ Cretæ tumulum Beati Iacobi Sitoni: eiusdem Natales debet Creta Mediolano, in quâ vrbe natum esse testantur quotquot Auctores de illo scripserunt. Obijt in ea insula miraculis etiam post mortem clarus anno MCCXXIV. Ordini Prædicatorum ascriptus a S. Dominico, cuius iussu condidit Mediolani Cœnobium sui Ordinis anno MCCXVIII, quod deinde anno MCCXX. translatum fuit ad Eustorgianam Basilicam, vt ritè tradit Marchesius in Diario: cùm Beatus Iacobus minimè instituerit Monasterium Gratiarum Mediolani, cuius multò pòst

auctor

auctor fuit Beatus Iacobus Sextius. De Beato Iacobo Sitono, præter Marchesium, agunt Morigius in Hist. Mediol. lib. 1. cap. 56., Seraphinus Razius in Hist. Sanctorum & Beatorum Ordinis S. Dominici, Antonius Senensis Lusitanus in Chron. Ordinis Prædicatorum, & Michael Piò lib. 1. cap. 2. Sanctorum & Beatorum &c.

4 Basilica Nazariana hoc cognomen adepta est, postquam S. Ambrosius illuc detulit Corpus S. Nazarij Martyris, cùm antea vocaretur Basilica Apostolorum, cuius fit mentio in Martyrol. Rom. die decimâ Maij: eamque ædificandam curauit S. Ambrosius anno CCCLXXXII., vti animaduertit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 37. Hanc verò appellationem *Basilicæ Apostolorum* obtinuit, siue quia S. Ambrosius eiusdem conditor illam nuncupauerit Sanctis Apostolis, siue (quemadmodum vult Ripamontius cum alijs Dec. 1. lib. 2. Hist. Eccl. Mediolanen.) quia consecrata esset Diuo Petro Apostolorum Principi; ea verò est inter præclarissimas vrbis: eiusq; meminit Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanensis. Eius Translationis mentionem facit Paulinus in Vita S. Ambrosij; Glussianus in Vita S. Caroli lib. 5. cap 9. scribit nonnulla de Reliquijs Apostolorum in hac Basilica conditis, quas Româ Mediolanum detulit Simplicianus, suffectus postea in locum S. Ambrosij. Quænam autem fuerint hæ Apostolorum Reliquiæ, significat Carolus a Basilica Petri, cùm in Fragmentis Hist. Mediolanen., tum in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 6.. Etenim fuere brandea, seu velamina, de quibus fusè disputabo in Monumentis Basilicę Modoetiensis cap. 8., quo in loco agam de Reliquijs a S. Gregorio Papa ad Theodelindam Reginam Longobardorum dono missis. Certè Translationis huiusce memoriam fuisse quondam celebrem, ex eo conijcimus, quòd in vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio (de quo infra ad Calendas Nouembres) hæc leguntur: *Mediolano Apostolorum Ioannis, Andreæ, & Thomæ in Basilica ad Porta Romana*. Hæc autem Basilica prope Portam Romanam, est Basilica Apostolorum, quam *Romanam* vocat S. Ambrosius in Epistola vltima ad Marcellinam sororem suam. Porrò quid sit Brandeum explicat Dominicus Magri

in

in Libro, quem inſcripſit *Notizia de Vocaboli Eccleſiaſtici verbo Brandeum*; de quo item agit Baronius in Notis Martyrol. Rom. die decimâ quintâ Iunij.

5. Ex Tabulario huiuſce Eccleſiæ, quæ hâc die celebrat Officium Solemne de S. Felice, cuius Corpus effoſſum fuit ex Cœmeterio Cyriacæ; hæc autem Eccleſia vulgò appellatur Plebis, quia Plebanæ illius metrocomiæ eſt princeps.

SEXTO IDVS MAII.



Ediolani Inuentio 1. Sanctorum Martyrum Nazarij & Celſi, quando Beatus Ambroſius Epiſcopus Sancti Nazarij Corpus recenti adhuc ſanguine conſperſum reperit, atque ad Baſilicam Apoſtolorum tranſtulit vnà cum Corpore Beati Celſi pueri, quem idem ipſe nutrierat, & Anolinus in Neronis perſecutione ſimul cum eo gladio feriri iuſſerat. Ibidem alia item Translatio 2. Corporis eiuſdem Beati Nazarij Martyris, quod ſimul cum alijs Sanctorum Corporibus conditis in Baſilica Apoſtolorum, Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiſcopus hâc die Solemni ſupplicatione tranſtulit, atque in eadem Baſilica piè recondidit.

MAII 10.

1. IN Romano Martyrologio dicitur S. Ambroſius tranſtuliſſe Corpus S. Nazarij vnà cum Corpore Beati Celſi pueri ad Baſilicam Apoſtolorum. In Romano autem Breuiario die 28. Iulij dicuntur vtriuſque Corpora in vrbem trans-

translata. Eis tamen refragatur Puricellus in Dissertat. Nazariana cap 48. & 97. num. 8.; immo Ecclesia Mediolanensis hodie celebrat Officium de Translatione Diui Nazarij, nihil tamen agens de Translatione S. Celsi. Siquidem, vt ibidem ostendit Puricellus, inuenit quidem S. Ambrosius Corpora vtriusque, sed Celsi in antiquâ sede reliquit, vbi etiamnum in Templi sui ara Maiori requiescit: Nazarij autem Corpus solummodo ad Basilicam Apostolorum transtulit, quemadmodum Paulinus testis oculatus confitetur. Huiusce Translationis meminit Missale & Breuiarium Ambrosianum, & ij auctores, quorum testimonio nititur Puricellus. Scripsit Diuus Ennodius Hymnum in laudem S. Nazarij, cuius postrema carmina explicat eruditè Sirmundus: ac de Translatione S. Nazarij eos versûs interpretatur.

2. De hac Translatione agit Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 6., Glussianus in Vita pariter eiusdem S. Caroli lib. 5. cap. 9., & Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 48. num. 10., & cap. 150. Cùm autem S. Carolus inspexerit, atq; transtulerit Corpus Diui Nazarij, falsum omnino est, illius Corpus a Grodegando Episcopo translatum fuisse ad vrbem Mensem anno DCCLXXV.. Item cogor fidem abrogare Villegæ & Buccelino, qui in Sacrario Benedictino quinto Cal. Augusti hæc tradit: *Corpora Sanctorum Nazarij & Celsi asseruantur in Monasterio S. Germani a Pratis: Celsi tamen pueri partes perinsignes in Monasterio S. Celsi Mediolani*. Verùm fortasse in eodem Monasterio iacent Nazarius & Celsus, quos Ado in suo Martyrologio passos fuisse martyrium apud Ebredunensem vrbem pridie Idûs Iunias memorat; Ebreduno autem potuisse illuc transferri non infieior.

QVINTO IDVS MAII.



Antij in Diœcesi Mediolanensi Sancti Miri Eremitæ, venerandæ Sanctitatis viri, cuius Corpus iacet apud Surîcum ad Lacum Larium, vbi ab exteris

etiam populis, petendæ pluuiæ causâ illuc conuenientibus religiosissimè colitur.

MAII 11.

Cantium Pagus est in Plebe Licinofori, cuius meminit Gaudentius Merula lib 1. antiquit. Gall. Cisalpin. cap. 7. & Paulus Merula in Cosmographia vniuersali. Natum autem esse Cantij Diuum Mirum testantur Franciscus Ballarinus parte 3. Chronicorum Comensium & Papebrochius in Actis Sanctorum, qui affirmat eidem impositum fuisse nomen *Miri, quòd per miraculum editus fuisset ex annosa muliere*. Supereſt adhuc Cantij crypta in montis supercilio, vbi Mirus eremiticam vitam duxit: eique proxima est Ædes Sacra eiusdem nomini dicata, & Cantiensium pietate frequenter culta. Certa dies eius Natalis ignoratur; quamquam Surici feriâ quâque sextâ secundæ hebdomadæ Maij celebratur. De S. Miro meminerunt Acta Sanctorum, Martyrologium Comense hesternâ die, & die decimâ Septembris, ac die vigesimâ quintâ Octobris, atque Auctores omnes citati in eiusdem Notis a Tatto, Catalogus Beatorum Ecclesiæ Comensis, qui adiectus est Officijs proprijs Sanctorum eiusdem Ecclesiæ, & Bagatta tomo 2. admirandorum, necnon Hieronymus a Basilica Petri in Libro Sacrarum Ephemeridum.

Quod autem Beatus Mirus populorum preces exaudiat, quorum sitientes agri imbrium desiderio arescunt, testis est Benedictus Iouius, necnon Tattus in Notis Martyrologij Comensis ad diem sextum Idûs Maij. Nam vbi populi ad eius tumulū confugiunt, & aquam ex Fonte iugiter apud sacram Ædem Diui Michaelis in Pago Surici manante sumptam in auras effundunt, illico delapsi e nubibus imbres segetem irrigant morientem. Etiam Ciuitas Mediolanensis confugit ad Beatum Mirum conterraneum suum: eiusque pietas in Libris Officiorum Comensis Ecclesiæ testata est, vbi pag. 44. hæc tradita sunt monumentis. *In Ecclesia S. Michaelis nunc eidem Beato Imiro* (malim Miro) *nuncupata in Plebe Surici in Lario, de anno MDCXXXVII. ab eodem Episcopo* (nempe Lazaro Carafino)

rafino) *in Maiori Altari reposito; ad cuius Sepulchrum Ciuitas Mediolanensis tempore siccitatis ad pluuiam petendam, nunquam frustratis votis, nuntijs destinatis, opem implorat.* Singularem hanc Insubrum religionem erga Beatum Mirum commendauit suo in Poemate Iouius.

Ergo tuum numen nebulis, pluuiaque negatæ,
Præsidet: & subito permutat murmure Cælum:
Sole sub ardenti cùm sæua incanduit æstas,
Rusticus & riuos bibula deducit arena.
Insubri populo semper, sitientibus agris,
Relligio vetus est, tibi cerea mittere dona.

De Licinoforo autem agunt Nicolaus Reusnerus lib. 2. de Italia, Gaudentius Merula lib. 1. antiquit. Gall. Cisalpin cap. 9., & Chalcus lib. 1. ac 17. Hist. Patr.; *Incinum* vulgò appellatur. Quoniam verò incerta dies est obitûs S. Miri, vt in Notis Martyrologij Comensis, nos illi diem hanc vndecimam Maij assignauimus.

TERTIO IDVS MAII.



Ediolani Sancti Natalis eiusdem vrbis Episcopi: cuius memoria ob Sanctitatem eximiam, singularemque doctrinam, in benedictione est.

MAII 13.

EX Actis Mediolan Ecclesiæ, Breuiario & Missali Ambros., ex Besutio in Hist. Pontific., Vghello tomo 4. Italiæ sacræ, ex Actis Sanctorum, Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex Libro Successorum S Barnabæ, Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 47, ex Hieronymo a Basilica Petri in Libro sac. Ephemeridum, ex Ripamontio Dec. 1 lib 9; in cuius tamen Historiam irrepsit mendum; siquidem hæc legi. *Natalis in Eustorgiana Basilica est situs, quam ipsam, aut a fundamentis erexit, aut profano veterum cultu dicatam Soli, expiauit, atque transtulit in Martyris illius nomen & religionem.* Typographo certè mendam

ascribo;

ascribo; nam sepultus est S. Natalis in Templo S. Georgij ad Palatium (vt præter alios omnes Scriptores testificatur etiam Villa in Libro de Septem Basilicis Stationalibus) neque Diuus Natalis expiare potuit Templum illud, cùm iandiu Gentilitas Mediolano exularet, seculo siquidem octauo Metropolim Ambrosianam administrabat.

Multò minùs Natalis auctor fuit Eustorgianæ Basilicæ, sed Eustorgius Archiepiscopus, qui, non Martyr, sed Confessor occubuit, quemadmodum patebit infra die decimâ octauâ Septembris. Cùm autem inter Sanctimoniæ, & virtutum insignia S. Natalis doctrinâ præstaret: doctusque esset sermonis linguæ Latinæ, Hebriacæ, & Græcæ: ac scripto Catholicæ Fidei hostes confutasset, ideo Brautius in suo Martyrologio Poetico Sanctum Antistitem commendauit.

Eximius Præsul, sacros depromere sensus,
Eloquio linguæ triplicis, aptus erat.

Alterius verò S. Natalis meminit Luitprandus Diaconus Ticinensis in Aduersarijs num. 153., quæ Notis illustrauit Laurentius Ramirez de Prado, totidem verbis. *Natalis Toletanus ab exilio rediens, dum Mediolani commoratur, pulso in exilium Sanctissimo Dionysio, a Catholicis Mediolanensis Episcopus eligitur; qui licèt se gesserit vt Vicarius illius, rebus tam præclarè gestis floruit: vt in numerum Sanctorum relatus fuisse dicatur. Obijt XIII. mensis Maij Anno CCCLIV. vir Sanctus & doctus.* Vtriusque igitur Sancti Natalis dies Festus incidit in hunc diem decimum tertium Maij; verùm de Natali Toletano, quòd a Catholicis subrogatus fuerit in locum S. Dionysij, timeo, vt auctor fidem inueniat. Superstite enim Dionysio, quid Natalis Toletanus Mediolanensis Ecclesiæ Antistes designaretur? Ego nec quicquam affirmare audeo, quòd apud Scriptores nostrates eius rei monumenta nondum repererim: absonumque existimem, vt, exulante S. Dionysio, alter Episcopus crearetur: nec refellere volo propter testimonium Luitprandi. Quod si verum esset, ob Sanctimoniam duorum Natalium, Mediolanensis videlicet ac Toletani, quorum alter fuerit Archiepiscopus, alter Vicarius, maximum vtique decus Mediolanensi Ecclesiæ accederet. Certè, ipso Luitprando

teste nu. 166. in Aduersarijs, *a temporibus Apostolorum maxima consuetudo, & quadam fraterna societas fuit inter Ecclesiam Toletanam & Mediolanensem*. Neque verò negauerim, in diptycis Toletanis hunc inueniri Natalem Episcopum; sed enim cùm Ioannes Tamayo Salazar in Martyrologio Hispano ad diem decimum tertium Maij sequatur Chronica Dexteri vnà cum Aduersarijs Luitprandi, nolo Biuarium lacessere, si fidem abrogem Dextero: neque Pennottum, si præstem. Huiusce quidem Diui Natalis Toletani nulla mentio est in Tabulis Mediolanensibus, quæ non sunt vllâ ratione emendandæ, vti monet Auctor Martyrologij Hispani in Notis ad hunc diem; quamquam deinde animaduertat, Natalem nostratem alium esse a Toletano: cùm nostras Mediolanensi Ecclesiæ præsideret anno DCCXLVII.: Toletanus verò dicatur in eiusdem Martyrologij Notis obijsse anno CCCLIV.. Claudit denique Tamayo hanc disputationem dicens: *hoc animaduertendum duxi: quid credendum, doctis relinquo*. Si enim Mediolanensi Ecclesiæ viri docti hunc quoq; Sanctum Natalem adiudicauerint: gaudebo, Episcopum Toletanum, non modò creatum fuisse Mediolanensem Episcopum, verùm magnâ cum dignitate Metropolis Ambrosianæ S. Dionysij exulis vices gessisse. Eodem siquidem tempore Toletanam Ecclesiam gubernabat, & Vicarij Mediolanensis munere fungebatur: nec graue erat Archipræsuli tantæ Ecclesiæ, qualis est Toletana, Vicariatûs honorem obire: vt suarum ouium oblitus cum Insubrum Grege moraretur. Attamen hisce Luitprandi Aduersarijs refragantur tempora; nam si anno CCCLIV diem suum obijt S. Natalis Episcopus Toletanus: atque ex Annalibus Ecclesiast. Baronij, ex Hist. Mediol. Caroli a Basilica Petri in Vita S. Dionysij, ex Chronologia Gordoni, S. Dionysius in exilium actus est anno CCCLV., quomodo S. Natalis Toletanus, anno superiori mortuus, vices Dionysij gerere potuit? Subscribimus igitur sententiæ Henschenij in Actis Sanctorum, putantis hęc esse commenta Tamayo, quem hâc animaduersione idem Henschenius castigat: *si quis delectetur hisce inuentiunculis, adeat Tamayum, aliosque ab eo citatos, quos non lubet hìc proferre*.

PRI-

PRIDIE IDVS MAII.


Ediolani Sanctorum 1. Victoris, Nemôris, Felicis, & Rustici, qui ibidem martyrium consummarunt. In Syria Sanctorum Martyrum Victoris & Coronæ sub Antonino Imperatore: ex quibus Victor a Sebastiano Iudice varijs & horrendis affectus est cruciatibus: quem Corona vxor cuiusdam militis cùm cœpisset Beatum prædicare ob martyrij constantiam, vidit duas coronas de Cælo lapsas, vnam Victori, & alteram sibi missam: cùmque hoc audientibus cunctis testaretur, ipsa quidem inter arbores scissa, Victor verò decollatus est. Horum Corpora Mediolanum 2. translata, in Basilica Eustorgiana condita sunt. Item Mediolani 3. Translatio Sancti Victoris Martyris, quando Beatus Maternus Episcopus Sacrum eius Corpus non procul a martyrij loco tumulauit. Figini in Diœcesi Mediolanensi 4. Translatio Reliquiarum Insignium, inter quas maximè honoratur Corpus Sancti Felicis Papæ & Martyris.

MAII 14.

1. EX Actis Sanctorum, ex vetustiori Martyrologio Occidentalis Ecclesiæ, ex Libro Sacrarum Ephemeridum Hieronymi a Basilica Petri, ex Notis Calendarum No-

uembris infra, vbi Auctores alios nominabimus, qui Quadringentos quatuor Martyres cum S.Cirico passos affirmant.

2. Scio Corpora Sanctorum Victoris & Coronæ, quorum martyrium hodie in Romano Martyrologio commemoratur, a Ferrario in Tabula Catalogi Sanctorum Italiæ, cui titulus *Corpora Sanctorum diuersis locis assignata*, ascribi etiam vrbibus Auximo & Feltriæ, neque tamen ab eodem Auctore negari Basilicæ Eustorgianæ. In illa enim Basilica, ara S.Eugenij geminas vtrinque fenestellas habet, quæ arcæ marmoreæ aspectum admittunt, vbi iacent horum Sanctorum Martyrum Corpora, pictis etiam eorundem imaginibus, inscriptisque nominibus *Victoris & Coronæ*. Illa autem hìc iacere docent Morigius in Hist. Mediol. lib.2. cap.8 & in Sanctuario, Villa de Septem Ecclesijs Stationalibus, Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num.19., necnon alij Scriptores, denique Missale Ambrosianum impressum Mediolani anno MCDLXXXII. per Christophorum Ratisponensem; ibi enim in Calendario mensis Aprilis hæc indicantur, videlicet: *Victoris & Coronæ Martyrum ad Sanctum Eustorgium*. Ideo in nomenclatura Sanctorum, die tertio Litaniarum Triduanarum, in S. Eustorgij inuocantur nomina Sanctorum Victoris & Coronæ.

Hodie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium de SS.Felice & Fortunato Aquileiensibus, quorum illustre martyrium memoratur in Romano Martyrol. tertio Idûs Iunij; eorum autem Corpora humata esse Aquileiæ, Mediolani, & Vicentiæ Ferrarius tradit. Quod si verum est, Corpora SS. Felicis & Fortunati iacentia in Basilica Franciscana Mediolani erunt Fratrum Aquileiensium, quorum celebratur hâc die memoria: sin autem, aliorum Martyrum eiusdem nominis, de quibus scripsimus supra die vigesimâ sextâ Februarij.

3. Ex Martyrologio Galesinij, ex Molano, Actis Sanctorum, ex Calendario acephalo M.SS., ex antiquis Missalibus Ambrosianis, demum ex consuetudine plurium Ecclesiarum S. Victori dicatarum, quæ hodie eius Martyris celebrant Translationem.

4. Ex Tabulario Ecclesiæ Parochialis Figini in Plebe Canturij, vbi asseruantur Tabulæ recognitionis, quâ approbauit eas

Reli-

Reliquias Marius Antoninus Vicarius Generalis Curiæ Archiepiscop. die 23. Septembris anno MDCXXV., item ex Libro impresso Mediolani anno MDCXLV., qui inscribitur: *Li Comuni trionfi del Castello di Treuì*. Cùm autem duo Maximi Pontifices huiusce nominis fuerint, qui martyrio sunt coronati, quis eorum Figinum delatus sit, nondum inueni. Illud quoque constat hunc non esse diem martyrij, sed Translationis, quando Felix I. passus est martyrium tertio Calendas Iunij, Felix verò II. quarto Cal. Augusti; cuius quidem Corpus Gregorius XIII. recondidit in Templo Sanctorum Cosmę & Damiani Romæ, sicuti legimus in Martyrol. Rom. eodem die quarto Cal. Augusti. Itaque nonnisi Caput & Ossa S. Felicis I. Papæ & Martyris Figinum sunt translata; licèt ipsius Corpus iacere in Basilica S. Petri ad Vaticanum plures doceant Auctores. Et quidem tabulæ recognitionis tradunt, *ossa plura cum aliquibus fragmentis & Caput integrum S. Felicis Papæ & Mart.* inspecta fuisse: vt asseruarentur in Ecclesia Parochiali S. Michaelis Figini, quæ alijs sacris Lipsanis ditata est. Tanta igitur hæc est pars Corporis S. Felicis I.: vt Corpus vocari possit, aliæque partes reliquæ in Vaticana Basilica etiam Corporis cognomentum queant admittere.

DECIMO QVARTO CALENDAS IVNII.

Mediolani Translatio Sanctæ Candidæ Virginis & Martyris, cuius Corpus in Ecclesia Sanctimonialium Sanctæ Marthæ honestissimè asseruatur.

M A I I 18.

Ex Tabulario Cœnobij S. Marthæ Mediolani, vbi hodie recitatur Officium Duplex de S. Candida De hoc Cœnobio plura scripsit vir disertissimus Octauius Inuitiatus ex Societate Iesu in Vita Venerabilis Archangelæ Panicarolæ eiusdem Monasterij Antistitæ, & Puricellus in Autographo, quod

quod nondum typis editum asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana, cui titulus: *Cronica del Monistero di S. Marta*, denique Scriptores omnes, qui res gestas Beatæ Veronicæ de Binasco literis consignauere. De Ecclesia verò S. Marthæ agit Morigius in Sanctuario.

DECIMO QVARTO CALENDAS IVNII.

ROmæ Sanctorum Candidi & Clementis Martyrum, itemque Marcellæ Virginis & Martyris, quorum Corpora Mediolanum delata, in Ecclesia Sanctimonialium Beatæ Mariæ de Victoria honorifico cultu ac veneratione decorantur.

MAII 19.

EX Tabulario huiusce Ecclesiæ, vbi hodie coluntur hi Sancti Martyres Officio Ritûs Duplicis: ea autem magnificentissimè restituta est, atque pretiosâ supellectile locupletata ab Eminentissimo Cardinali Aloysio Homodeo seniore: vt meritò Epigrapha in eadem sacra Æde collocata narret ciuibus Purpurati eius Principis munificentiam; est autem eiusmodi.

Aloysius S. R. E. P. Cardinalis Homodeus
Ædem hanc a suis Maioribus excitatam
ad maiorem Assumptæ Virginis cultum
exornauit Anno MDCLXIX.

Tradit Morigius in Sanctuario, cùm Federicus Ænobarbus Mandasset Papiensibus, vt eam regionem vrbis Mediolani, quæ Ticinensis vocatur, delerent (quemadmodum narrat Acerbus Morena) Papienses nihilominus tribus Templis pepercisse, ad quæ Virgines & Matronæ sub tutelâ Deiparæ Virginis confugerant. Namq; Virgunculæ ad sacram Ædem Annuntiatæ, quam ad *Vecchiabiam* appellant, siue *Vetabiam*: Viduæ ad Ecclesiam vulgò *Veterum* Purificatæ Virgini con-

secratam.

secratam; nuptæ verò mulieres ad Templum hoc Virginis in Cælum Assumptæ, cui nomen *a Victoria*, tanquam ad intemeratum asylum secesserant. Si vera scribit Morigius, paucissimas mulieres se in illas Ædes abdidisse putamus; quandoquidem eædem propter locorum angustias frequentissimum vulgus muliebre admittere non poterant. Sanè plurimi ciues, imminente vrbis excidio, si fides Chalco lib. 10. Hist. Pat., ad vicinas vrbes & oppida se contulerant: *ignaua verò multitudo circa Patriæ mœnia hæsit, nouis tabernaculis ex storia, crate, tabulis, sarmentoque excitatis apud ædes suæ cuiusque regioni propinquas*; lectissimæ autem Virgines & Matronæ ad ea Templa confugerant: ne furori hostico essent obnoxiæ, & cum reliqua multitudine in suburbanis tabernaculis squaloris & sordium plenæ versarentur.

VNDECIMO CALENDAS IVNII.

ROmæ Sancti Christophori Martyris, cuius Corpus ex Vrbe Guanzatum in Diœcesim Mediolanensem delatum est: vbi condigno honore custoditur.

MAII 22.

ECclesia Parochialis Guanzati intér alia sacra Lipsana, queis est ornatissima, habet Corpus S. Christophori effossum ex Cœmeterio Priscillæ vnà cum ampulla cruoris eiusdem Martyris, cuius Festiuitas ibidem quotannis feriâ secundâ Pentecostes celebratur; aliarum verò Reliquiarum, quæ ex Cœmeterijs Calixti & Pontiani depromptæ sunt, dies Festus agitur quinto Cal. Nouembris, quo die translatæ sunt. Sancto autem Christophoro sacellum in ea Ecclesia excitatum est, cuius Parochus Bernardinus Guffantus, vir eximiè pius, alias addidit munificè Reliquias, SS. videlicet Martyrum Hilarij, Modesti, Benedicti, Donati, Constantij, Victoris, Clementis, Antonij, Vincentis, Paulini, Ianuarij, Seuerini, Constantiæ, Piæ, & Dorotheæ.

DECIMO CALENDAS IVNII.



Ancti Desiderij Episcopi & Martyris, cuius Corpus Mediolani, in Ecclesia Sancti Sigismundi conditum est.

MAII 23.

Hodie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium de S. Desiderio Episcopo Lingonensi: verùm cuius Desiderij Episcopi & Martyris Caput hâc die prostet in Basilica SS. Naboris & Felicis, vulgò S. Francisci, & cuiusnam Desiderij Episcopi itidem & Martyris Corpus asseruetur in sacra Æde S. Sigismundi intra claustra Domorum Canonicalium Basilicæ Ambrosianæ, prorsus ignoro, quamquam multos Scriptores de hac re consuluerim. Et quidem in Martyrologio Romano fit pariter hodie mentio alterius Desiderij Episcopi Viennensis, *qui Theodorici Regis iussu, lapidibus obrutus, martyrio est coronatus*: eiusdemque Sancti Episcopi meminit quoq; Martyrologium Romanum die vndecimâ Februarij, quæ est Translationis, cùm hodierna sit eiusdem Natalis, teste Adone & Baronio in Notis Martyrologij. Sedenim quis affirmet, Corpus Viennensis huiusce Desiderij fuisse translatum Mediolanum? Quippe ad eum diem tertium Idûs Februarias hæc docet Baronius in animaduersionibus Martyrologij, videlicet. *Agit de eodem* (nempe Desiderio) *Beda 23. Maij, qua die Martyrio occubuit: nam hac die Viennam in suam sedem pristinam venerandum eius Corpus translatum est.* An verò Lingonensis Desiderij Corpus Mediolanum delatum sit, minimè constat. Quis igitur hic Desiderius, & cuius Ecclesiæ Episcopus? Quis ille sit, adhuc incompertum est: & plures alij Episcopi sunt, quorum sedes ignorantur, sicuti infra monstrabo.

Illud certè liquet ex antiqua traditione, atque ex Scriptoribus, quos antea nominauimus Calẽdis Maij pro Corpore S. Sigismundi,

mundi, iacere in hac Ecclesia, a tergo aræ maioris, Corpus S. Desiderij Episcopi & Martyris. Eò tamen animus meus inclinat, vt censeam Lingonensis fortasse Desiderij Lipsana in hac Ecclesia esse condita, siue quia Lingo vrbs sita sit in confinio Burgundiæ, itaut inde eius Corpus (si non integrum, saltem tantum, vt Corpus appellari possit) vnà cum Corpore S. Sigismundi Regis Burgundionum huc allatum sit: siue quia *Ecclesia Mediolanensis* (inquit Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediol. Eccl. lib 6.) *cùm S. Desiderius natione Ligur fuit, amplexa Prouinciale decus, eundem prosequatur anniuersario precum Officio*, & sanctitatis miræ, & sacrarum fortasse Reliquiarum causâ.

NONO CALENDAS IVNII.



Ediolani Sancti Robustiani, qui martyrio coronatus, triumphum meruit in Cælis.

MAII 24.

De hoc Martyre nihil aliud reperi, nisi id, quod Baronius, atque Galesinius indicauere. Eius quidem mentionem facit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ; qui tamen fatetur, se in tabulis Mediolanensis Ecclesiæ, quas citant Baronius & Galesinius, nihil de S. Robustiano legisse. Verùm de Robustiano agemus iterum in Notis Calendarum Nouembrium, contenti interea Brautij carmine Robustianum a robore commendantis.

Egregius Martyr præstabat robore tanto,
Tortorum quantum vis superare nequit.

OCTAVO CALENDAS IVNII.



Ediolani Sancti Dionysij Episcopi, qui ab Imperatore Constantio Ariano in Cappadociam pro Fide Catholica relegatus,

ibîdem propiore martyribus titulo ſpiritum Deo reddidit. Eius Sacrum Corpus a Sancto Aurelio Epiſcopo Mediolanum tranſmiſſum eſt ad Beatum Ambroſium Epiſcopum: cui piæ actioni Officium quoque Sancti Baſilij Magni acceſſiſſe traditur.

MAII 25.

Diui Dionyſij Sanctimonia celebris eſt apud S. Athanaſium, S.Hilarium, S.Ambroſium, S.Ennodium, Bedam, Vſuardum, Adonem, Seuerum, Luciferum Calaritanum, & Mombritium. De illo præterea agunt Martyrol. Romanum, Miſſale Ambroſianum cum Miſſa propria, Breuiarium Ambroſianum cum Hymno proprio, item Baronius tomo 3.& 4. Annalium, Acta Mediolanenſis Eccleſiæ (quæ corrigenda eſſe ad hanc diem monet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ) Galeſinius, Alciatus lib 4 Hiſt.Mediol., Bonauentura Caſtillionæus in Vita eiuſdem M.SS., Chalcus lib 2 Hiſt.Pat., Ripamontius Dec.1.lib 2. Hiſt.Eccleſiaſt.Mediol., Carolus a Baſilica Petri de Metropoli Mediolanenſi num. 8. ac in Hiſtoria Mediol.in Vita eiuſdem, Beſutius in Hiſt. Pontific. Liber Succeſſorum S.Barnabæ, Catal. M.SS. Acta Sanctorum, ex quibus Hieronymus a Baſilica Petri in Librum Sacrarum Ephemeridum, Vghellus tomo 4., Ioannes Antonius Caſtillionæus in Faſciculo 1. Partis 1. de Antiquitatibus Mediol., Anfoſſius lib. de Sacrarum Reliquiarum cultu §.16.num.5.& §.33.num.35., Bagatta in tomo 2. admirandorum, Puricellus citans Hilarionem Monachum in Vita S.Laurentij Littæ capite 33. num. pariter 33., denique Abbas Placidus Pucinellus in Zodiaco Mediolanenſis Eccleſiæ. Celebris eſt Mediolani Baſilica Dionyſiana, de qua ſcribit Puricellus in Monum. Baſil. Ambroſ. nu. 228: in Diœceſi verò plures Eccleſiæ S.Dionyſij nomini ſunt dicatæ. Corpus illius nunc iacet ſub ara Confeſſionis Baſilicæ Metropolitanæ (vulgus a ſubterranei loci obſcuritate

Scurolum appellat: viri docti *Confessionem* vocant, de qua agit Baronius in Notis Martyrol. Rom. Pridie Nonas Iulij ad literam *E.*) illic reconditum a S. Carolo, vti narrat Glussianus in eius Vita lib. 5 cap. 2, vnà cum Corpore S. Aurelij, qui Diui Dionysij Corpus Mediolanum detulit, de quo scribemus infra in mense Nouembri. Porrò S. Dionysij Corpus ab Oppido Cassiani, quod Adduæ Flumini adiacet, (alij Abduam vocant) ad Dionysianam Mediolani Basilicam Eriberto Archiepiscopo translatum est, inde ab Hippolyto II. Estensi Archiepiscopo ad Metropolitanam exportatum fuit, sicuti discimus ex libello sæpius impresso typis, cui titulus: *Antichità della Chiesa di S. Dionigi, & origine del nome di Cassano sopra l'Adda.* Dionysiani autem Templi meminit quoque Villa de Septem Basilicis Stationalibus, Castillionæus paulò antè memoratus, Morigius in Sanctuario: atque de eo nos nonnulla tradidimus in libro 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis, & supra scripsimus die decimâ tertiâ Martij.

S. Ennodius Ticinensium Episcopus eleganti Hymno Diuum Dionysium commendauit, vti videre est in eiusdem carminum lib. 1., & docet Sirmundus in Notis ad eadem carmina; Est autem illud exordium Hymni.

Dionysio Christus dedit
Quot bella, tot victorias:
Exul piorum ciuis est,
Vrbis supernæ particeps.

Addit sua carmina Brautius:

Stemmate præclaro Præsul Dionysius ortus;
Post Fidei pugnas, exul ad astra migrat.

Quamquam autem Cardinalis Baronius tomo 3. Annalium Ecclesiasticorum ad annos CCCLV. & CCCLVI., ac Tritemius in Historia Monasterij Hirsaugiensis appellent Sanctum Dionysium Martyrem; attamen cùm Diuus Ambrosius in Epist. 82., illum *in exilij locis propiore Martyribus titulo vitam exhalauisse* asseueret (quæ disertè sententia illata est in Romanum Martyrologium) eundem Sanctorum tantummodò Confessorum Albo ascribimus, illo etiam nomine, quòd Mediolanensis Ecclesia S. Dionysium Confessionis tantùm titulo insignem

gnem est venerata, deprompt is sacris precibus ex Communi Confessoris Pontificis, vt videre est in Breuiarijs Ambrosianis antiquissimis, itidemque hoc seculo impressis. De nomine tamen *Confessoris* agam infra die quartâ Septembris; cuius etiam meminit Baronius tomo 4. Annalium ad annum CCCLXXI. explicans illam vocem, ac docens, Diuum Eusebium Episcopum Vercellarum verè fuisse Martyrem; licèt eundem S. Ambrosius, & S Gregorius Turonensis inter Confessores annumerent. Citat autem Baronius Epistolam 82. & Orationem Diui Ambrosij in Auxentium pro Martyrio S. Dionysij, in quibus tamen nihil eiusmodi legitur, nisi quòd *propiore martyribus titulo* decesserit, & quòd *in exilio causa Fidei defunctus sit*.

Cæterùm porphyreticum illud vas, in quo olim Corpus S. Dionysij conditum fuit simul cum Corpore S. Aurelij (de quo infra mense Nouembri) nunc inseruit aquæ Baptismali Basilicæ Metropolitanæ; quod tradit Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap 33. num. 33. ex fide Francisci Castelli.

SEXTO CALENDAS IVNII.



Ediolani Translatio Sanctorum Corporum in Basilica Beati Simpliciani quiescentium, quæ Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus honorificentissimè transtulit, atque ibidem religiosissimè recondidit.

MAII 27.

HÆc Basilica Insignis *priscis temporibus Mariæ, cæterisque Beatis Virginibus dicata, postea verò Sancti Simpliciani nomine appellata est*. Anno igitur MDLXXX. Monachi Cassinenses, qui cultu egregio eam Basilicam tuentur, *aræ maximæ locum alium designauerant, quod mouendum cùm*

esset,

esset, mouendæ necessariò erant Reliquiæ, quas continebat, eo quidem loco conditas anno salutis MDXVII.. Hæc Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 2.. Itaque S. Carolus ea Corpora transtulit, magnificentissimo apparatu & pompâ, cui Supplicationi interfuere Abbates plurimi Cassinenses infulati, Episcopi item Prouinciales infulâ ornati, tum Hippolytus Rubeus Episcopus Ticinensis, & Cardinalis Gabriel Paleottus Archiepiscopus Bononiensis. Circunlata autem per vrbem fuere Corpora Sanctorum Martyrum Sisinij, Martyrij, & Alexandri (de quibus paulò pòst agemus) & Corpora Sanctorum Archiepiscoporum Simpliciani, Geruntij, Benigni, atq; Ampelij &c. Huiusce celeberrimæ Translationis meminit Baronius tomo 5. Annalium Ecclesiasticorum ad annũ CD., itemque in Notis Martyrologij die 29. Iunij, Auctor Libri Successorum S. Barnabæ in Elogio S. Geruntij & S. Benigni, Breuiarium Ambrosianum die octauo Iulij, Glussianus in Vita S. Caroli lib 6. cap 14., Carolus a Basilica Petri loco supra citato, immo idem ipse S. Carolus in suis literis Pastoralibus, quas legimus in Actis Mediolanen. Ecclesię parte 7 col. 1096.; eas autem iuuat legere: tum vt intelligas dignitatem Mediolanensis Ecclesiæ, tum magnificentiam Translationis. Eius verò singularem pompam narrat legentibus Epigraphe in marmore incisa, atque ianuæ, quæ ab Odæo Cœnobitas in Sacrarium inducit, imposita. Ea est eiusmodi.

D. O. M.
Diuis
Simpliciano, Geruntio, Benigno, Antonino,
Ampelio Archiepiscopis Mediolani,
Vigilio, Sisinio, Martyrio, & Alexandro Martyribus,
Sacer locus instauratus,
Quorum Reliquias ex altari veteri in hoc,
Gregorio XIII. Pontifice Maximo,
Philippo II. Hispaniarum Rege,
Carolus Borromæus Mediolanensis,
Gabriel Paleottus Bononiensis
Archiepiscopi & Cardinales,
Episcopi vndecim Synodi Mediolanensis,

Sera-

Seraphinus Mediolanensis huius Cœnobij Abbas,
alijque sexdecim Abbates Cassinenses
Pontificijs Insignibus ornati,
Ciuitatis Prouinciæque omnibus Ordinibus
Solemni pompa comitantibus,
humeris suis transportauerunt
VI. Cal. Iunij
An. MDLXXXII.

Porrò appellantur Episcopi Synodi Mediolanensis, quia tum S. Carolus Concilium Prouinciale sextum habuerat.

QVINTO CALENDAS IVNII.



Ediolani Sancti 1. Senatoris Episcopi virtutibus & eruditione clarissimi. Ibidem Translatio 2. Corporis Sancti Calimerij eiusdem vrbis Episcopi & Martyris; quod, vnà cum Corporibus Sanctorum in Basilica Sancti Stephani quiescentibus, Federicus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus, celebrato Concilio Prouinciali Septimo, summâ veneratione transtulit.

MAII 28.

1. DE S. Senatore agunt Martyrol. Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum, Catal. M.SS., Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Liber Successorum S. Barnabæ, Galesinius, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Carolus a Basilica Petri de Metropoli Mediolanen. num. 11., Acta Sanctorum, ex quibus Hieronymus a Basilica Petri in Libro Sac. Epthemeridum, Vghellus tomo 4., Baronius in Annalibus Ecclesiast. tomo 6., Besutius in Hist. Pontific., Ripamontius Dec. 1. lib. 6. Hist. Ecclesiæ Mediolanen. Officia Sanctorum Ecclesiæ Comensis

mensis in quarta Lectione Matutinarum precum de S. Abundio die secundâ Aprilis, ante omnes verò S. Ennodius; queis adde Ioannem de Monte M. SS., Manipulum Florum M.SS., Michaelem Pizolpassum M.SS. in Biblioth Ambros., Isolanum in Panegyr. Mediol., Morigium de Nobilitate Mediol. lib 3., & Pucinellum in Zodiaco Mediol. Ecclesiæ.

An autem hic Senator Antistes Mediolanensis ille idem sit, cui S. Ennodius literas scripsit, vt initio libri 3. Epistolarum eiusdem Diui Ennodij videre est, negat Sirmundus in suis animaduersionibus, sed docet alium esse Senatorem, verùm *incertum, cuius sedis fuerit Episcopus, quòd Senatoris nomen illo seculo gessere complures.*

Pulcherrimum quidem est Epigramma in laudem Senatoris huiusce; etenim in primo distichô Senatoris nomini alludit: secundò commendat ingenij animique dotes, tertiò doctrinam, quâ mysteria Prophetarum abdita enucleauit: demum ait, Senatorem fuisse missum ad Orientales plagas (vti verè nomine Sancti Leonis Magni legationem obijt ad Theodosium II. Imperatorem: habuitque legationis suæ Collegas Diuum Abundium Comensium Episcopum, Asterium, & Basilium). Quamobrem ingeniosè claudit Diuus Ennodius Epigramma; tunc enim Oriens cùm vidisset *peregrinum lumen* Senatoris, veluti supernæ virtutis radijs illucescentibus, alium penè Solem est veneratus: atque

Hæsit ad aspectum lampadis alterius.

Picinellus item commendat in Athenæo Diuum Senatorem, ac pariter Brautius in suo Martyrologio Poetico.

Natalem virtute Senator Episcopus vrbem,
Et quasi lux alias luce repleuit oues.

Haud equidem ignoro, Senatorem illum, quem S. Leo ad Legationem Byzantinam misit, dici Romanum a Baronio in Notis Martyrol. Rom. ad diem sextum Cal. Octobris sub litera *F.*; verùm nostrates Scriptores vno ore affirmant, illum eundem fuisse hunc Senatorem, de quo agimus, & quidem Patriâ Mediolanensem, qui fortasse oriundus Româ sit, sed ortus Mediolani, aut ortus Romæ, & oriundus Mediolano. Illum sanè Diuus Eusebius in Epistola Synodica ad S. Leonem Magnum

missâ appellat *Compresbyterum suum*, quemadmodum *Abundantium* (siue Abundium) *Coepiscopum suum*: vt alter, ad Prouinciam, alter ad Ecclesiam Mediolanensem pertinere videretur.

Illius Corpus requiescit Mediolani in sacra Æde Diuæ Euphemiæ (de qua vide Morigium in Sanctuario) ab eodem Senatore in area domûs paternæ ob memoriam Chalcedonensis Synodi ædificata: ibique adhuc perennat illius munificentia in pauperes. Id apertè Ripamontius affirmat Dec. 1. lib. 7. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ. *In Basilica* (inquit) *Euphemiana sepulchrum sibi legit Senator, & pecuniæ summam legauit, ex qua pauperibus quotannis fieret benignè: manetque hodie liberalitas & institutum, arbitra Societate, quæ Societas Diui Senatoris appellatur &c.* Cæterùm Sanctum Senatorem Villanij, quæ Familia Mediolani nobilis est, & Septalij Natalibus pariter clari, suum esse dicunt: *distrahitur* (ait Ripamontius) *Senator Septalios inter & Villanios contentione non leui &c.* de quâ consule Ripamontium loco paulò antè indicato.

2. Corpus S. Calimerij, vti monet Donatus Bossius in Chronico, *regnante Francisco Sfortia Vicecomite* (Primo videlicet huius nominis) *Mediolani Duce inuentum fuit in puteo quodam sub adytis eiusdem Templi, qui locus vulgò Scurolum dicitur*. Deiectus nempe fuerat in puteum, quemadmodum de S. Calemero, siue Calimero, scribemus infra die vltimo mensis Quintilis. De hac igitur Translatione agunt Riuola lib. 4. cap. 9. in Vita Cardinalis Federici Borromæi, & Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 30. Bernardino autem Fayno respondebimus item infra affirmanti in Brixiensis Ecclesiæ Martyrologio, Corpus S. Calimerij, aut saltem magnam partem eiusdem, conditam esse Brixiæ. De Ecclesia autem S. Calimerij scripsit S. Ennodius Epigramma, quod intulit Puricellus in caput trigesimum supra memoratum, quoniam S. Laurentius Basilicam S. Calemeri restituit.

Hanc quoque Translationem memorat Cæsar Parona in Libro de Concilio Prouinciali Septimo, vbi translata dicuntur vnà cum Corpore S. Calimerij Corpora Sanctorum Auxani, Mansueti, & Martiniani Archiepiscoporum, ac Corpora S. Protasij

Martyris, necnon S. Martiani Eremicolæ; quos omnes commendauit Sociacus vnà cum Cardin. Federico Borromæo transferente in Libro 1. Epigrammatum.

QVARTO CALENDAS IVNII.



IN Valle Anauniæ Sanctorum Martyrum 1. Sisinij, Martyrij, & Alexandri, qui tempore Honorij Imperatoris, persequentibus Gentilibus, martyrij coronam adepti sunt. Airoli, in Valle Lepontiorum, in Diœcesi Mediolanensi, S. 2. Maximini Martyris, cuius Corpus illuc Româ translatum Fideles religiosè colunt.

M A I I 29.

1. VAllis Anaunia in Diœcesi Tridentina continetur: vnde hi Martyres Anaunenses dicuntur, sicuti animaduertit Baronius in Notis Martyrol. Rom., in quibus plures citat Scriptores, præsertim S Augustinum, S. Gaudentium Episcopum Brixiæ, S. Vigilium Episcopum Tridentinum, Bedam, Mombritium, Lipomanum, & alios. Horum nobis Corpora donata fuisse ab eodem S. Vigilio testatur Baronius ad annum CD. in Annalibus. Eaque dono accepit S. Simplicianus Archiepiscopus; *queis deinde S. Carolus Borromæus addidit gloriam: cùm illa in publicum efferret apparatu tanto, quantum Vrbis & Viri nomen claret*. Hodie igitur nô solùm agitur Natalis SS. Sisinij, Martyrij, & Alexandri: verùm etiam eorundem apparitio miraculosa commemoratur, cùm hâc eâdem die, trium Columbarum specie sumptâ, insidentes malo currûs Mediolanensis (*Carrocium* olim appellabant, de quo auctores nostrates & Cremonenses scripsere) opem nostris ciuibus aduersùs Federicum Ænobarbum tulere. Id loco miraculi fuit; memoraturque a S. Carolo in literis

Paſtoralibus paulò antè indicatis,cùm de illorum Translatione ageremus: ac proinde quotannis Præfectus, atque Ædiles vrbis, comitantibus artificum Collegijs, beneficij memores ad Baſilicam S. Simpliciani die Dominico procedunt,qui eorundem Natali eſt propior. Miraculum illud narrat etiam Puricellus in Monum. Baſil. Ambroſ. num.550.; eos verò Martyres commendat Brautius.

Horrida tempeſtas, Sanctorum cæde patrata,
In ceram vertit ſaxea corda prius.

Horum igitur Sanctorum Martyrum Natalem anniuerſariâ celebritate agit Mediolanenſis Eccleſia cum Miſſa propria; meminit autem Baronius tomo 5. Annalium, vbi etiam affertur Epiſtola S. Vigilij (quam deſcripſit Ioannes de Deis,atque intulit in Librum de Succeſſoribus S.Barnabæ in Elogio S. Simpliciani) Item meminit Liber M.SS. Sacrarij in Baſilica Franciſcana Mediolani, Acta Sanctorum, Beſutius in Hiſt. Pontif., Chalcus lib.3. Hiſt. Patriæ, Ripamontius Dec.1. lib. 6 Hiſt. Mediolanen. Eccleſiæ. Eos verò Martyrij laureâ redimitos putamus anno sal. CD.. Si enim Vigilius donauit illorum Corpora Simpliciano, & Simplicianus perfunctus eſt annos tres Pontificatu Mediolanenſi poſt obitum Ambroſij, quem anno CCCLXXXXVII. conſtat ad aſtra migraſſe, fas eſt,eos, quarto ſeculo exeunte, martyrio fuiſſe coronatos, vt vult Mombritius,non autem anno CDIII ,vt affirmat Sigebertus; quod animaduerti hâc die in ora paginæ Martyrologij Italici.

2. Corpus S. Maximini effoſſum fuit ex Cœmeterio Cyriacæ, ac dono datum Eccleſiæ Parochiali Airoli anno MDCLXII.; incluſum verò eſt in capſulis affabrè elaboratis, quas argenteæ laminæ diſtinguunt. Porrò Vallis Lepontiorum,vulgò *Valle Leuentina*, eſt in dominatu Heluetiorum, de qua ſcribit Bonauentura Caſtillionæus in libro de antiquis ſedibus Gallorum Inſubrum,& Gaudentius Merula lib.2. de antiquit. Gallorum Ciſalpinorum cap.12.,qui Leopontios populos appellat, atq; ex teſtimonio Plinij ex Græcia oriundos eſſe affirmat. Hæc autem Vallis Lepontiorum, ſiue Leopontiorum, olim dono data fuerat ab Athone Epiſcopo Vercellenſi Metropolitanæ Baſilicæ Mediolani, cuius adhuc quatuor Canonici Ordinarij

Comi-

Comitatu siue Comarchiâ fruuntur, vti Vghellus narrat tomo 4. Italiæ sacræ. Hæc pariter legi in Calendario M. SS. Libri Orationum Ritûs Ambrosiani, de quo memini antea ad diem decimam octauam Aprilis, nempe. *Secundo Calendas Ianuarij Sancti Syluestri Papæ. Obijt Atto Vercellensis Episcopus, qui dedit centum Presbyteris Decumanis Valles de Bellenia & Leuentina,* siue Vallem Lepontiorum & Breuniam. Hæ tamen Valles in præsens parent Heluetijs, reliquo tamen honorificæ Comarchiæ titulo, quo Canonici illi quatuor insigniuntur, sublatis iandiu Decumanis.

An verò hic sit dies Martyrij, an Translationis S. Maximini, penitùs ignoro. Censeo Lepontios consuluisse Martyrologium Romanum, in quo cùm hodie repererint S. Maximinum Treuirensem Episcopum, in eodem planè collocauisse Martyrem suum Maximinum. Tueri se vtique possunt Romani Martyrologij exemplo, vbi Pridie Idûs Februarij tres Modesti commemorantur, vnus Carthagine, alter Beneuenti, tertius Alexandriæ. Hæc verò ibidem ad literam *E.* animaduertit Baronius: *Tot Sanctorum eiusdem nominis* (videlicet Modestorũ) *sub vna die coaceruationem ea de causa a Maioribus aliquando factam animaduertimus, quòd Natalis alicuius Martyris dies incertus esset: vt est exemplum de S. Columba Cordubensi, cuius quandiu Natalis dies latuit, eadem die, qua agitur Solemnitas Columbæ Senonensis, eius commemoratio celebrari consueuit.* Hìc tamen mos neutiquam arridet Gauanto (cuius sententiam mox afferemus) neque Henschenio in Actis Sanctorum.

TERTIO CALENDAS IVNII.



Ediolani Sanctorum 1. Petri & Laurentij Martyrum. Cusâci Sancti 2. Vincentij Martyris, cuius Corpus illuc Româ delatum, singulari veneratione colitur.

MAII 30.

1. IAcebant olim hæc Corpora in Ecclesia S.Romani (de qua nonnulla scripsi in libro 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis) verùm licèt nunquam reperta fuerint, negare tamen fidem non possumus traditioni, & Calendario acephalo M.SS.. Eorum dies Festus indicitur *ad S. Babylam* in Calendario Missalis Ambrosiani editi anno MCCCCLXXXII. per Christophorum Ratisponensem, quoniam Ecclesia S.Romani proxima est Templo Diui Babylæ. Certè in alijs item Missalibus vetustis hodie Solemnitas Sanctorum Petri & Laurentij indicatur; atque aliqua alia monumenta supersunt, quæ in Notis Calendarum Nouembrium proferentur. Hæc autem Corpora fortasse Diuino consilio latent: vt opportunè ad maiorem Dei gloriam detegantur. Neque verò, quia eorum Corpora delitescunt, commemorationem tacere debemus: alioqui etiam omittenda fuisset mentio S. Benedicti Archiepiscopi Mediolanen., S Robustiani Martyris, necnon S. Clatei Episcopi Brixiensis & Martyris, quorum Corpora scimus tumulata fuisse Mediolani: cùm tamen certum sepulturæ locum ignoremus in Basilica Ambrosiana pro Benedicto & Robustiano, in Franciscana pro Clateo.

2. Cusâcum Pagus est non ignobilis in Plebe Cesani, cuius meminit Ripamontius Dec. 3. lib. 3. Hist. Mediolani, ob arcem inibi excitatam, sub vrbem fere ipsam, vel ad Principum oblectamenta, vel ad tutelam. In eius Ecclesia Parochiali Corpus S. Vincentij honorificè custoditur vnà cum vasculo sanguinis eiusdem Martyris inspectum in Curia Archiep. subsignatis tabulis die 24. Ianuarij anno MDCLXXXV.. Eius autem Festiuitas celebratur quotannis die vltimo Dominico Maij, fortasse quia Nono Calendas Iunij, in Romano Martyrologio descriptum est nomen S. Vincentij, qui in Portu Romano Martyrium obijt. Siquidem frequenter aliqui confugiunt ad Romanum Martyrologium, cùm diem Natalis ignorant; quem tamen morem improbat eruditissimus Gauantus in Comment. in Rubricas Breuiarij Romani sect 8. in Præfatione, animaduertens, posse ob Homonymiam suboriri errores

in populis. Ipsius disertè verba huc inseram: ne Præfecti Ecclesiarum incuriæ damnentur. *Sed in genere* (ait Gauantus) *occurrit quæstio de Communi, quo die celebrandum erit Festum illius Sancti, de quo nescitur dies obitus, neque Translationis, neque insignis manifestationis, & eiusmodi; & tamen alijs de causis celebrari debet eius Festum cum Maiorum consensu? Antiquiores celebrabant illius Festum in die, quo in Martyrologio Festum alterius Sancti eiusdem nominis occurrebat; quod notauit Baronius in Martyrologio die 12. Februarij sub litera E., vbi trium Modestorum fit mentio. Et hic quidem ritus placet, nisi vbi timetur error in populis, qui credant, eum, quem colunt, esse eundem, qui in Calendario Romano descriptus est. Quod non sine graui peccato fit hodie alicubi, vt audio, suadentibus tale quid ijsdem de Clero, vt fiat concursus ad eorum Ecclesiam, vbi requiescit Corpus Sancti eiusdem nominis: quo casu tutius esset, celebrari Festum illius alio die, puta Translationis, vel proximiori. Inuigilent autem Episcopi, ad quos attinet Sacras approbare Reliquias, ne inducatur hic abusus, neue inductus toleretur.* Quamobrem nos Gauanto suffragamur, quandoquidem hic error latiùs serpit, vti videre est in hoc Martyrologio; eum verò etiam Henschenius reprehendet infra, cùm ad Notas diei vigesimæ quartæ Iulij peruenero, vbi de S. Seruiliano scribam.

PRIDIE CALENDAS IVNII.



AQuileiæ Sanctorum Martyrum 1. Cantij, Cantiani, & Cantianillæ fratrum, qui, cùm essent ex illustri Aniciorum progenie, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, ob Christianæ Fidei constantiam capite plexi sunt; quorum Reliquiæ Mediolani in Basilica Metropolitana conditæ, magnam habent venerationem. Item Mediolani 2. Translatio Sancti Ioannis Boni

eiusdem vrbis Episcopi, cuius Corpus Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus, dirutâ Sancti Michaelis Ecclesiâ, in Basilicam Metropolitanam honorificè transtulit.

MAII 31.


1. HOrum Sanctorum fratrum Martyrum meminit Martyrol. Rom., Breuiarium & Missale Ambrosianum cum Missa propria; quos Ecclesia Mediolanensis hoc seculo hodie venerari cœpit, cùm aliàs die decimâ quartâ Iunij illorum celebritatem perageret, vbi nos fusè de ijsdem agemus. Eorundem quoque meminit Baronius tomo 2. Annalium ad annum CCCIII., Acta Sanctorum, Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Eccl. Mediolanen., & Morigius in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 8., cui titulus *Del numero de' Corpi Santi, che sono in Milano*; ijs adiunge Brautium.

Ter geminos Fratres, illustri stemmate claros
Inseruit superis passio sancta choris.

2. Ex Breuiario Ambrosiano die decimâ tertiâ Februarij, ex Carolo a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 6 cap. 3., ex Glussiano in eiusdem S. Caroli Vita lib. 6. cap 15., ex Libro Successorum S. Barnabæ in Elogio S. Ioannis Boni, & alijs Scriptoribus. Collocatum verò est in Sacello proprio (quod in præsens magnificentissimum excitatur) sub ara. E regione ardet iugiter lychnus pensilis argenteus ingentis, & pulcherrimi operis, munificentiâ ac pietate singulari Reipublicæ Ianuensis erga Conciuem suum Diuum Ioannem Bonum, de quo in mense Ianuario scripsimus.







IVNIVS.

CALENDIS IVNII.



PErusiæ Sanctorum Martyrum Gratiani & Felini, qui sub Decio varijs tormentis cruciati, Martyrij palmam gloriosâ morte perceperunt. Eorum Corpora Aronam translata, in celebri Ecclesia eisdem sacrâ, condigno honore condita sunt.

IVNII I.



IN Martyrol. Romano *Gratinianum* legimus pro *Gratiano*, & alibi *Filinum* pro *Felino*; nos Breuiarium, Missale Ambrosianum, & Maiorum appellationem sequimur vocantium *Gratianum & Felinum*. Hisce Martyribus ædificatum fuisse in nobilissimo Oppido Aronæ ad Lacum Verbanum Templum Insigne a Thealdo Castillionæo Archiepiscopo Mediolani, auctor est Bonauentura Castillionæus in libro, cui titulum fecit *Gallorum Insubrum antiquæ sedes*: isque appellat illud Oppidum *Alonam*. Porrò Thealdus præerat Ecclesiæ Mediolanensi, Sancto Gregorio VII. Pontifice Maximo: diemque suum obijt Aronæ, ibidem etiam tumulatus: eiusque cadauer paucis abhinc annis effossum est, cùm fundamenta cuiusdam propugnaculi iacerentur ad mœnium tutelam; nam illud Oppidum,

pidum, arce præruptâ & munitissimâ, totius Verbani tractum custodit. Verùm Carolus a Basilica Petri in lib. 1. Nouariæ Sacræ aduersatur Castillionæo; eius enim Cœnobij, atque adeo Ecclesiæ, conditorem fuisse Obizonem (quamquam alij volunt fuisse Erimbertum) testatur in hæc disertè verba, docens *Falcum Obizonem Comitem Angeræ* (quod Oppidum insigne est è regione Aronæ, nosque commendauimus lib. 2. de Origine & statu Bibliothecæ Ambrosianæ) *Monasterium & Ecclesiam hìc fundasse, Abbatiaque & Monachis S. Benedicti in eo alendis amplas donasse facultates; id autem fecisse ad grauem culpam purgandam. Aiunt enim, cùm Otho I. Imperator contra Romanos pugnasset, vt Leo contra Ioannem, seu Benedictum, in Apostolica Sede cōstitueretur, quod anno salutis DCCCCLXXXIV. factum scribitur, Obizonem cum eo militantem in piaculum illud incidisse, vt porticum Basilicæ S. Pauli incenderet ac dirueret: mox verò emendationis causa, præsertim manu & brachio dextere debilitatum, Monasterium constituisse, ac magnificè dotasse: tum etiam allatis Perusia Corporibus Sanctorum Martyrum Gratiani & Felini, quæ ab Episcopo sua ac Imperatoris auctoritate impetrauerat egregiè locum decorasse; ex quo tempore Monachorum inhabitatione, & Sacrarum Reliquiarum veneratione postea locus est frequentatus: vt iam, insigni etiam arce in rupe contra Angeranam constructa, celebre Oppidum factum sit &c.* Addit idem Auctor, hanc *Abbatiam primarijs viris commendari posteriori tempore solitam. Diu post Familiam Ferreriam Vercellensem tenuit Familia Borromæa, donec S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus illam dimisit: ac Patribus Societatis Iesu tradi curauit &c., qui Aronæ Diuino cultui, ac incolarum vtilitati, salutique certis conditionibus adiectis inseruirent.*

Huiusce Abbatiæ, quâ Diuus Carolus, nondum ex ephebis egressus, fuit insignitus, meminit, tum Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 1. cap. 2. & Glussianus lib. item 1 eiusdem Vitæ cap. 2., tum Ripamontius in lib. 2. de Pontificatu S. Caroli, *qui cùm sensisset, Diui Gratiani Monachos ad Aronam, cuius ipse Templi Abbas siue Commendatarius erat, neglecta vetere disciplina, solutè ac licenter agere, componendis atque in pristina instituta formandis eorum moribus adiecit animum, remque*

tantam

tantam in illa ætate confecit, quomodo vel quilibet alius grauissimus censor exequeretur &c. Hoc verò Sacerdotium familiare a Comite Iulio Cæsare patruo ad eum peruenerat. Cæterùm Carolus a Basilica Petri affert Epigrapham, quæ in Templo Aronensi insculpta est, videlicet.

Sanctorum Martyrum Gratiniani & Felinì
Corpora sub Decio Cæsare passa,
Imperatore Othone I.
Diuinitus e Perusia huc adducta,
Aede instaurata, ad hanc aram piè translata,
& hìc condita
Anno sal. MCCCCLXXXIX.
Sedente Innocentio VIII. Pontifice Max.,
Io: Gal. Sf. Vicecomite Duce Mediol. VI.,
Io: & Vital. Borromæis Aron. Comitibus,
Hier. Calagrani Papien. cubicul. secreti
Cœnobij Præfecti iussu & impensa.

Est enim (inquit Ioseph Vicecomes lib. 2. de Missæ Ritibus cap. 14. (*Arona Borromææ nobilitatis & dominatus pars non leuis, Verbano Lacu interlita, & cùm cæterà illustris, tum quòd S. Carolum notæ probitatis & beneficentiæ virum edidit in lucem.* Quamuis autem Bonauentura Castillionæus *Aronam* siue *Oronam*, hoc est montanam ex sententia Merulæ appellatam putet: attamen neque illa displicent, quæ Carolus a Basilica Petri in eodem libro 1. Nouariæ Sacræ consignauit monumentis, secutus sententiam P. Ambrosij Mazentæ ex Clericis Regularibus S. Pauli. Siquidem censet vterque, Angleriæ Oppidum, vulgò *Angera, dictum esse ab Angerona, quæ Dea voluptatis habita est: vt Romani, siue loci amœnitate, siue alia causa moti, ei nomen illius Deæ dederint &c.* cùm verò *locus, qui vnus erat vltra Lacum in aduersa ripa Monasterio constituto, & paulatim etiam altero Oppido & altera arce, quemadmodum penè videtur vnus collis in duas rupes diffisus, & vnum Oppidum in duo, vt egredienti Lacui, & Flumen* (Ticinum videlicet) *emissuro, locum daret: ita etiam nomen fuerit diuisum: vt ille Angera, hic verò Rona appellaretur;* ex quo cognomine in vnum coeuntes geminæ voces nomen pariunt *Angerona*.

Porrò de Sanctis Gratiano & Felino agunt Martyrol. Rom., Breuiarium ac Missale Ambrosianum, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ripamontius Dec. 1., lib. 9. Hist. Mediol. Eccl., Corius in Hist. Mediolanen, Morigius in Sanctuario, Marcus Antonius Rossa ex Societate Iesu in Vita Gratiani Ponzoni Archipresbyteri Aronæ, & vetus M.SS. Collegij Aronensis PP. Societatis Iesu: ex quo Alphonsus Gallaratus vir eruditus ex eadem Societate meditabatur eorundem Sanctorum Martyrum res gestas scribere: verùm vix opus fuit aggressus, cùm mors nobis illius lucubrationes inuidit. Etiam Brautius Sanctos Martyres Gratianum & Felinum laudauit:

Imbelles, vt dira pati, videre potenter:
Qui nobis, clamant, talia ferre dabit?

Insigniter autem illustrat Oppidum Aronæ S. Carolus Borromæus, in cuius arce editus est in lucem; quod postea Natale cubiculum transtulit in proximum Montem, ædificato in honorem S. Caroli Templo, sacrisque cellulis ibidem extructis, Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus; quod nos in calce ferè lib. 2. de statu & origine Bibliothecæ Ambrosianæ narrauimus. In eiusdem Montis tumulo collocandus est enormis Colossus Diuo Carolo, qui nunc elegantissimè ex cupro elaboratur.

QVARTO NONAS IVNII.



Omæ Sancti Bonifacij Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Marci venerabiliter asseruatur.

IVNII 2.

TEmplum hoc Diui Marci clarum est, tum tabulis pictis & sacrâ supellectile, tum Cœnobio Insigni Augustinensium, quod pluribus in locis Seculorum Augustinianorum Torellus egregiè laudauit. Ex hoc Asceterio, veluti ex equo Troiano, prodiere viri ornatissimi, & doctissimi, quorum agmen nouissimè honestauerunt Hieronymus & Dominicus

nicus Fratres Valuassorij, hìc Episcopus Grauinæ, ille Pisauri. Dominicus autem dono dedit Corpus S. Bonifacij; cuius celebritatem reiecimus in hunc diem, donec Patres huiusce Cœnobij, factâ Translatione, diem certum eidem assignent. Porrò Morigius in lib. 1. Hist. Mediol., & in Sanctuario testatur hoc Templum Diuo Marco Euangelistæ conditum fuisse a Mediolanensibus anno MCCLIV, cùm anno superiore pestis Mediolani fuisset grassata; cui consentit etiam Ioannes Henricus a Pflaumern in Mercurio Italico in Topographia Mediolani.

In hoc itidem Templo quiescit Corpus Beati Lanfranci Septale in sarcophago marmoreo affabre elaborato: cuius res gestas indicat sequens Epitaphium.

Hic sita sunt ossa Beati Lanfranci Septalæ
Mediolanensis Patricij,
qui ob magnum virtutum splendorem
toti Augustiniano Ordini Præfectus Primus
ita se gessit
vt omnia penitùs collapsa in pristinum statum redegerit.
Obijt anno Dom. CIↃCCLXIIII.

Neque ibidem obscurus est tumulus Blancæ Aureliæ Medicææ, vti imposita sepulchro Epigrapha narrat eius Virginis virtutes egregias, cuius meminit Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus in libro de Amore virtutis.

Blanca Aurelia Medicæa
Nob. Mediol. Hier. F.
summæ pietatis virgo,
cuius eximias animi dotes,
multò faciliùs admirandas,
quàm satis dignè laudandas
Posteri quoque venerabuntur,
Hìc sita est.
Vix. Ann. XXXVI. decessit Prid. K. Octob.
MDCXXI.

Cæterùm cùm vitiosi parietes huiusce Templi ruinam facturi viderentur, cœpit illud elegantiùs & magnificentiùs restitui Anno MDCLXXXX.

PRI-

PRIDIE NONAS IVNII.


Isciæ in Illyrico Sancti 1. Quirini Episcopi, qui sub Galerio Præside pro Fide Christi (vt Prudentius scribit) molari saxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus est: sed lapide supernatante, cùm circunstantes Christianos, ne eius terrerentur supplicio, neue titubarent in Fide, diu fuisset hortatus, ipse vt Martyrij gloriam assequeretur, precibus a Deo, vt mergeretur, obtinuit. Eius Sacrum Corpus, vastatâ Pannoniâ, delatum Romam primùm, deinde Mediolanum translatum, in Basilica Vincentiana a Fidelibus deuotè adoratur. Item Mediolani Sancti 2. Clatei Episcopi Brixiensis, qui sub Nerone Imperatore ibidem Martyrij palmam adeptus, a Christianis in Cœmeterio Martyrum tumulatur.

IVNII 4.

1. HOdie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium de S. Quirino, cuius laudes commemorat Martyrol. Rom., Breuiar. Ambros., Raderus tomo 1. Bauariæ Sacræ, Bagatta tomo 1. admirandorum & alij, quos inter Brautius

Martyris egregij præclara referre Quirini
Facta, per Illyricum Siscia clara docet.

cui suam quoque Poesim annectit Bulzius, alloquens Præsidem Galerium, cùm S. Quirinus molari lapide mersus supernataret: *Mar-*

Martyris ad collum fallit mola pendula; collo
Nam cupit, o Princeps, esse monile tuo.

Illud autem negotio non vacat, quomodo Corpus S. Quirini Mediolanum delatum fuerit; nam sunt, qui illius Corpus ascribant Sacræ Ædi Transtyberinæ Deiparæ Virginis Romæ: sed fortasse alterius Quirini est, cùm duo Quirini passi sint Romæ, vt in Martyrol. Rom. legimus die 25. & 30. Martij. Molanus hunc Siscitanum in Bauaria collocat, quod animaduertit Baronius in Notis Martyrol. ad hanc diem, addens Molano Cuspinianum. Alij Oppido Corrigiæ in Diœcesi Regiensi Corpus Diui Quirini adiudicant: sed falsò, vti neruosè disputat Ioannes Antonius Castillionæus Fasciculo 4. Partis 1. Mediolanensium antiquitatum, vbi docet, a Gregorio IV. Pontifice Maximo donatas fuisse Reliquias S. Quirini, non autem Corpus, Conrado Comiti Corrigiæ: atque in testimonium affert diploma Innocentij II. Summi Pontificis ad Lenducium Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ Corrigiensis. Quòd autem in Notis Baronius tradit, per Angelbertum Archiepiscopum Mediolanensem translatum fuisse Corpus S. Quirini Mediolanum, quod etiam affirmat Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Eccl. Mediolanensis, aduersatur Breuiarium Ambrosianum, in quo eam Translationem Eriberto Archiepiscopo contigisse nouimus: idque etiam indicat Galesinius. Tuetur hæc omnia validis argumentis Castillionæus Fasciculo III. memorati operis: ibique Molano & Cuspiniano refragatur, nisus etiam testimonio Raderi in Bauaria sacra, qui hæc scribit: *Corpus Diui Quirini Romam, inde Mediolanum transuectum, in S. Vincentij Æde positum, hodie magna religione colitur*. Cùm autem Mediolani Diuo Vincentio tres Ædes sint dicatæ, eâ in Æde quiescit Corpus S. Quirini, quam a Pratis circuniacentibus *S. Vincentij in Prato* appellamus, de cuius antiquitate & conditore ibidem fusè agit Castillionæus.

2. S. Clateum coronatum fuisse martyrio, humatumque Mediolani testificatur hisce planè verbis Faynus in Martyrologio Brixiano. *Brixiæ S. Clatei Episcopi & Martyris. Is mortuo Anatalone* (de quo scribemus die 25. Septembris) *oues Brixia-*

nas

nas regens, sub Nerone, Anolini Præsidis iussu, Mediolani ab Idololatris fustibus percussus, neci deinde obiectus, ibidem martyr efficitur & sepelitur. In hanc verò sententiam plurium Scriptorum testimonio vtitur; queis accedunt Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Mediol. Eccl., Besutius in Hist. Pontific., & alij. Quo autem in loco sepultus fuerit Mediolani Clateus, ita vt tumuli sedem certam indicare possimus, non liquet: attamen, cùm Caio Mediolanensis Ecclesiæ Antistite, martyrium obierit, eundem humatum fuisse verosimile est *in prædio Castritiano, in quo Caius Cœmeterium dedicauerat, vbi Martyres sepelirentur*; quod discimus ex Tabula Archiepiscoporum Mediol. Ecclesiæ in 6. Parte Actorum eiusdem num. 3., & ex Libro Successorum S. Barnabæ in Elogio S. Caij. Vbi autem hoc prædium Castritianum fuerit, si quæras, respondebo, inibi fuisse, vbi nunc Polyandrion vetus fert Ambrosianam & Frãciscanam Basilicam, de quo nonnulla scripsimus in lib 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. *Sanctus autem Castritianus* (vt ex Libro Successorum S. Barnabæ) *vnà cum Philippo fratre donauit Beato Caio ad sepeliendum Martyres prædium suum*. Et licèt Morigius in Sanctuario censeat, Diuum Clateum tumulatum fuisse in Basilica Ambrosiana: eadem nihilominus in hoc Cœmeterio continetur. Galesinius tamen in literis ad S. Carolum scriptis (vt in Biblioth. Ambros.) die 2. Iulij anno MDLXXV. ait, ex Martyrol. M.SS. Diuum Clateum iacere in Basil. Franciscana.

§. Clatei meminit Martyrologium Romanum & Brixiense, in cuius Notis Faynus plures affert Scriptores, item Breuiarium Ambrosianum die 27. Septemb. in Lectione S. Caij, demum Brautius, qui ope Clatei vrbem Brixiam, confractis Idolis, ad Christum fuisse conuersam ostendit.

Confregit statuas, Clateo Pastore iubente,
Et Christo nomen Brixia læta dedit.



NO-

NONIS IVNII.

ROmæ Sancti Florentij Martyris, cuius Corpus Varisij in Ecclesia Annuntiationis pio cultu Fideles venerantur.

IVNII 5.

ECclesiam hanc tuentur Patres religiosissimi seuerioris obseruantiæ S. Francisci, quos vulgò Reformatos vocamus. Hic verò S. Florentius non ille est, cuius hodie meminit Martyrologium Romanum; siquidem hic passus est Romæ: alter verò coronatus est martyrio Perusiæ, ibique sepultus in Ecclesia Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ, si credimus Ferrario in Catalogo SS. Italiæ. Sedenim confugit fortasse aliquis ad Martyrologium Romanum, inuitis Gauanto & Henschenio: atque ideo celebratur Florentius Romanus, cùm memoratur alter Florentius Perusinus; nisi fortè hic dies sit Translationis Florentij Romani, quæ eâ de causâ celebritatem illius Nonis Iunijs assignet.

OCTAVO IDVS IVNII.

MEdiolani Depositio Sancti 1. Eustorgij II. eiusdem vrbis Episcopi, qui Sanctum Laurianum, ab vltima Pannonia profectum, Fidei mysterijs instruxit, & baptizauit. Modoetiæ Sancti 2. Gerardi Confessoris, viri admirandâ in pauperes charitate conspicui; cuius Corpus ibidem in Ecclesia suburbana Sancti Ambrosij honorifico sepulchro conditum est: vbi confluentium vndiq; populorum veneratione colitur.

IVNII 6.

1\. COmmemorant sanctimoniam Eustorgij II. Missale & Breuiarium Ambrosianum, necnon Acta Mediolanensis Ecclesiæ, item Martyrol. Rom., Baronius in Annalibus Ecclesiast. ad annum DIV., Cassiodorus in Epistolis, Catal. M.SS., Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Besutius in Hist.Pontific., Ripamontius Dec 1.lib.7. Hist.Mediolanen. Ecclesiæ, Vghellus tomo 4., Chalcus lib.3. Hist. Pat., Galesinius, Morigius lib.2. Hist. Mediol., Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ: ante omnes verò S. Ennodius Epigrammate 149 commendat Eustorgium, de quo hæc tradidit monumentis Sigonius lib 16. de Imperio Occidentali: *Probo inde & Clementino Consulibus, Eustorgius Secundus ad Ecclesiam Mediolanensem gubernandam ascitus, ad Fontem Baptisterij a se constructum, mirifico artificio, aquam per tectum Templi adduxit*. Sanctus Ennodius ad hunc Fontem, teste Sirmundo, allusit: atque lemma Epigrammatis est eiusmodi: *De Fonte Baptisterij S. Stephani* (de quo egimus supra in die Conuersionis Diui Augustini) *& aqua, quæ per columnas venit*. Mirificum fuit igitur opus huiusce Baptisterij: & olim in Baptisterijs fuisse quatuor columnas auctor est Ioseph Vicecomes lib.1. cap.11. de antiquis Baptismi Ritibus, quem tamen miramur nihil inibi scripsisse de Baptisterio S. Stephani Mediolani, quod conditori Eustorgio debemus, de quo tamen scripsit Puricellus cap.33. num.12. in Vita S.Laurentij Littæ. Quamquam etiam idem S.Laurentius, in cuius locum suffectus fuerat Eustorgius, nobile Baptisterium ædificauit Mediolani (si fides Puricello in Vita eiusdem S. Laurentij cap. 29.) quod laudatur a S.Ennodio in Epigrammate quinquagesimo sexto. Etiam a Brautio laudatur S.Eustorgius.

Gracia priuatum, misit Romanus ab Vrbe
Pastor, vt in magna pasceret Vrbe gregem.

Cæterùm tres mendæ corrigendæ sunt in Vita S. Eustorgij II. Primam intulit in suum Martyrologium Galesinius, Ferrarius in Annotationes sui Catalogi, & Bulzius in Lararium Poeticum, tradendo, Corpora Sanctorũ Regum Magorum deuecta

fuisse Mediolanum ab Eustorgio II., cui propterea augustum Templũ fuerit extructum: cùm Byzantio exportata huc fuerint ab Eustorgio I., cuius nomini nuncupata est sacra Ædes, sicuti docebimus infra die decimo quarto Calẽdas Octobres.

Secundam idem Ferrarius & Puricellus capite supra citato num. 4. reprehendunt, quæ plurimos auctores, & ipsam quoque Tabulam Archiepiscoporum Mediolanensium in Actis Mediolanen. Ecclesiæ vitiat: nempe quòd Eustorgius II. discipulus fuerit S. Ioannis Damasceni: cùm Damascenus viueret anno DCCXXVII., & Eustorgius Metropolim Mediolanensem administraret anno DXIII., quemadmodum Puricellus ostendit cap. supra memorato num. 3.

Tertiam ego emendaui in nouissima Breuiarij Ambrosiani editione; cùm enim omnes auctores affirment, *Florianum ab vltima Pannonia Mediolanum profectum, domi exceptum fuisse a Beato Eustorgio, Baptizatum, ac Ordini Leuitico ascriptum, qui deinceps Ecclesiæ Hispalensis Episcopus fuit*: nos, pro *Floriano*, *Laurianum* reposuimus, quem martyrio coronatum fuisse, Totila Gothorum Rege, docet Vasæus in Notis Martyrol. Rom. die quarto Nonas Iulij, & Tamayus in Martyrologio Hispano eâdem die. Hic autem Laurianus fuit Ecclesiæ Hispalensis Episcopus, Sanctitate martyrioque clarissimus, de quo infra quarto Nonas Quintilis. Puricellus verò Laurianum ignorans cap. supra citato num. 14. nusquam inter Episcopos Hispalenses Florianum se inuenisse confitetur, sed tantùm Florentium Confessorem: ac propterea, vetusti Breuiarij Ambrosiani tenax, hortatur Hispalenses: vt hunc *Florianum Fastis suis Episcopalibus adijciant*. Et reuera in tabulis Hispalensium Episcoporum nunquam inuenies Florianum, sed Laurianum Eustorgij II. Mediolanensis Archiepiscopi disciplinâ ad Euangelij scientiam institutum. Porrò hic Eustorgius vocatur II., alterius Eustorgij senioris causâ, cuius die decimâ octauâ Septembris mentionem inijciemus.

2. Modoetia Oppidum est clarissimum in Insubribus, vulgò *Monza*, de quo Paulus Diaconus meminit, Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiast. tomo 8., Blondus in Lombardia, & alij Scriptores plurimi, tam nostrates, quàm exteri; quod

Oppidum licèt alijs nominibus appelletur, nobis tamen placuit vulgari appellatione vti. De eo scribemus fusè in Monumentis Basilicæ Modoetiensis, succisiuas horas in eum laborem impendendo.

De Sancto Gerardo Ciue Modoetiensi agit Diuus Carolus in Actis Visitationum, libri Missales Romani vetusti M.SS. in Bibliotheca Insignis Basilicæ S. Ioannis Baptistæ Modoetiæ, & Calendarium M.SS. (in quo est agenda Mortuorum secundùm Modoetiensem Ecclesiam) vbi diei sextæ Iunij hæc ascribuntur. *Obijt Beatus Gerardus Magister Hospitalis pauperum de Modoetia MCCVII.*, Bonincontrus Morigius in Hist. Modoetiensi M.SS., Paulus Morigius in Summario rerum memorabilium Mediolani lib. 1. cap. 12. & 13., atque in Sanctuario, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanen., Bartholomæus Zucchius, Ioseph Ferrarius in Panegyrico S. Gerardi, Calendarium acephalum M.SS, Alexius Ledesmus in illius Vita, Tattus Dec. 2. lib. 7. Sacrorum Annalium Comi, Breuiarium Ambros. vulgatum typis anno MCDLXXXVII., Bagatta tomo 1. admirandorum, denique Vghellus tomo 4. Italiæ sacræ, qui affirmat, S. Gerardum præfuisse Cœnobio S. Ambrosij ad Nemus; cuius tamen Præfecturæ nullum adhuc vestigium vidimus, licèt Morigius in memorato Summario illum Cœnobitis Ambrosianis annumeret; præterquam quòd si Ambrosianorum Ordo institutus est anno MCCLXXIV. (sicuti infra indicabo) quomodo illius Ordinis Præfecturam gerere potuit S. Gerardus, qui anno MCCVII. abijt in Cælum? Diuus Carolus Borromæus in Visitatione Modoetię inspexit Corpus S. Gerardi: eiusque Beati Cardinalis precibus permotus Gregorius XIII. Pontifex Maximus concessit Ecclesiæ Modoetiensi: vt hâc die Ritu Duplici recitaret Officium de S. Gerardo, quemadmodum Ferrarius docet in Notis Catalogi Sanctorum Italiæ, qui illius tamen diem Festum perperam tribuit Idibus Iunijs; eodemque errore lapsus Brautius Idibus item Iunijs ascripsit celebritatem S. Gerardi, eundem laudando, quòd suo insistens pallio intumescentis Lambri (id Flumen Modoetiam intersecat) torrentes vndas traiecerit.

Veste,

Veste, Fide plenus, tumidi vada cæca Gerardus
Traiecit Lambri, non madefactus aquis.

Ritu autem Duplici celebratur Officium, quoniam Modoetiensis Ecclesia Ritu Romano psallit: eiusdemque Ritûs originem & perennitatem in Oppido Modoetiæ, eiusque Curiâ, ostendemus in Monumentis Basilicæ Modoetiensis.

Cùm verò S. Carolus in cultu Sanctorum esset religiosissimus, proinde prouinciam tradidit Carolo a Basilica Petri: vt in illius cultum inquireret; rem igitur narrat in Fragmentis Historiæ Mediolanensis. *Quæ quidem, aliaque Sanctissimi viri* (nempe Gerardi) *venerationis monumenta, testimoniaque nos a Beato Carolo Archiepiscopo iussi Actis legitimis collegimus anno MDLXXXII.. Cùm enim religiosissimus Antistes eum virum ita coli absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate suspicaretur, rem, vt erat, probari voluit: & ad Summum Pontificem detulit: ex cuius responso cultum Beati Gerardi perseuerare, vti priùs, decreuit.* Hæc Carolus a Basilica Petri; Acta verò S.Gerardi, iussu Diui Caroli confecta, edita sunt typis Mediolanensibus anno MDCXIII.: nosque vbertim agemus de illo in Monumentis Basilicæ Modoetiensis in eo capite, in quo scribemus de Sanctis Modoetiensibus.

Porrò duæ Ecclesiæ in hoc Oppido dicatæ sunt S.Gerardo, altera vrbana iuxta Lambrum intra ædes proprias eius Diui, quas ille in Nosocomium vertit, altera in suburbijs: easque adimus primo die Rogationum Triduanarum, vtrobique opem S. Gerardi implorando, vt in libello edito Mediolani anno MDCXIII. typis Archiepiscopalibus iussu Cardinalis Federici Borromæi Archiepiscopi, cui titulus *Litaniæ Modoetiensis Ecclesiæ*. Suburbana verò S. Gerardi est etiam Sacra Diuo Antistiti Ambrosio: verùm cœpta est vulgò appellari S. Gerardi, postquam illic floruit cultus eiusdem Diui, cuius Corpus retro aram maiorem conditum est. Tumulus inibi marmoreus, sumptuoso opere elaboratus, munificentiâ ciuium Modoetiensium, continet arcam ex Lapide Cariarensi, quæ colentium oculis obijcit Ossa Diui Gerardi. Tumulo subest Epigraphe in hanc sententiam.

Sancto Gerardo de Tinctoribus,
humilitatis & pudicitiæ singularis viro,
mirificæ charitatis in pauperes,
quibus fouendis publicum valetudinarium extruxit,
prædijsque locupletauit,
miraculorum gloria clarissimo,
tanto Ciui, tam benemerito,
Patri Patriæ
Monumentum hoc priore multò illustrius
Modoetia beneficiorum memor
Poni mand. Anno MDCXXII.

Ad suburbanam hanc Ecclesiam annuæ fiunt Supplicationes; non modò Insignis Capituli Clerique Modoetiensis venerantis hâc die Patronum suum, & Oppidanorum, verùm circuniacentium quoque & longè dissitorum Oppidorum, ad colendum Corpus S Gerardi, statis diebus, queis in annos singulos solent supplicantium in morem ad Sacram illam Ædem procedere. Quomodo autem in Pago Olgiati (cuius frequentem populum neque imbres ipsi cohibent, quin die Festo S. Marci quotannis huc se conferant) in Diœcesi Comensi, & in vrbe ipsâ Comi, Pietas Fidelium veneretur Diuum Gerardum, docet Tattus Dec. 2. Annalium Sacrorum Comi lib. 7. num. 66. & 67., & Ferrarius paulò antè memoratus. De S. Gerardo copiosissimè scribet Papebrochius in Actis Sanctorum, illius etiam tumulum & vultum in ære impressum, ac monumenta, & tabulas proferendo, quas vir ille per literas humanissimas ex me est percunctatus.

QVINTO IDVS IVNII.



ROmæ in Monte Cælio Natalis Sanctorum Martyrum Primi & Feliciani sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Hi gloriosi Martyres longæuam in Domino vitam ducentes, & nunc

nunc simul paria, nunc singillatim diuersa & exquisita perferentes tormenta, tandem felicis pugnæ cursum a Promoto Pręside Nomentano gladio animaduersi, consummauerunt. Sancti Primi Corpus cum Reliquijs Beati Feliciani Legiodunum in Diœcesim Mediolanensem fuit translatum.

IVNII 9.

HOdie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium de SS. Primo & Feliciano, de quibus agitur in Martyrol. & Breuiario Rom., in Catalogo SS. Italiæ Ferrarij, in Libro Successorum S Barnabæ, in Elogio Angiberti Pusterlæ, in Fragmentis Historiæ Mediolanensis, quæ scripsit Carolus a Basilica Petri, & apud Sigonium de Regno Italiæ ad annum DCCCXLVI.. Item in Brautio leges distichon primum in honorem S. Primi, alterum in laudem S. Feliciani.

Instar aquæ plumbum Primus bibit ore liquatum,
Intactusque feris, ense peremptus obit.

In S. Feliciani laudem.

Ieiunus fratri coniunctus amore pependit,
Par in agone pari, par in honore pari.

Horum SS. Martyrum Corpora pluribus in locis tumulata dici haud ignoramus: de quâ re scribemus infra Calendis Sextilibus, cùm de eorundem Translatione; quamquam de Corpore S. Primi tantùm disserendum est; nam Sancti Feliciani Reliquias solummodo habemus, vti ex Breuiario Ambrosiano liquet, quod etiam consentit Epigraphæ in tumulo S. Primi exaratæ. Quid autem fecerit Erembertus Comes de Corpore S. Feliciani, prorsus nescio. Et quidem Carolus a Basilica Petri ait: cùm Erembertus dicat, *se Romæ suscepisse Corpora SS. Primi & Feliciani, ac vnum se dicat in Legeduno recondidisse, alterum alibi collocasse videtur.* Legedunum verò appellatur etiam Legiodunum, vulgò *Legiuno*, qui locus est non longè a Lacu Verbano, de quo infra Calendis Sextilibus.

TER-

TERTIO IDVS IVNII.



Ediolani Sancti Barnabæ, qui a Spiritu Sancto, vnà cum Beato Paulo Doctore Gentium, ad opus Apostolicum, electus, cùm multas regiones, Euangelicæ prædicationis causâ, peragrasset, Mediolanum venit, vbi, iacto Diuini Verbi semine; institutâque Ecclesiâ, vberrimam animarum messem collegit: postremò Cyprum profectus, Apostolatum suum glorioso martyrio decorauit. Eius Caput, sacrique Cineres Mediolanum postea delati, in Basilica Sanctorum Naboris & Felicis collocati sunt: vt in ea vrbe quiesceret Barnabas, in qua pro Euangelio strenuè laborauerat.

IVNII II.

EX Actis Apostolorum, Martyrol. Romano, vbi in eius Notis afferuntur Scriptores de aduentu Barnabæ Mediolanum, ex Actis Mediolanen. Ecclesiæ, item ex Missali & Breuiario Ambrosiano, in quibus Missa & Officium proprium habetur, ex Baronio in Annalibus Ecclesiast. ad annum LI., ex Catal. M.SS., itemque plurimis Auctoribus etiam M SS., quos citat Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 2., Bonauentura Castillionæo in Vita M.SS., ex Francisci Plateæ M.SS. in Bibliotheca Ambros., Corio & Chalco in Hist. Mediol., Ripamontio Dec. 1. lib. 1. Hist. Mediol. Eccl., Vghello tomo 4., ex Libro Successorum S. Barnabæ, ex Martyrologijs Brixiano & Comensi, in quorum Notis plures Scriptores nominantur, ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex Carolo a Basilica Petri, tum in

Hist.

Hist. Mediolani, tum de Metropoli Mediolanensi num. 5., ex Galesinio in Martyrol. & in literis nuncupatorijs ad Homiliarium Leinatij, ex Præfatione Cæremonialis Ambrosiani, ex Merula in Sanctuario Cremonensi, Puricello in Vita S. Laurentij Littæ, ex Libro M.SS. in Sacrario Basilicæ Franciscanæ Mediolani, ex Alciato lib. 2. Hist. Mediol., ex Hieronymo Septala, & Iacobo Philippo Opicello de Fonte S Barnabæ Mediolani, ex Epigrammate, quod S. Mirocles subiecit imagini S. Anatalonis discipuli S. Barnabæ, de quo infra in mense Septembri, ex Cardinali Federico Borromæo Archiep tomo 4. concionum, ex Pucinello in Zodiaco, Picinello in Elogijs extemporalibus. ex omnibus denique Scriptoribus nostratibus, præter, Bulzium, Brautium, & alios, qui Diuum Barnabam laudibus in Cælum extulere.

Quòd verò Diuus Barnabas Mediolanensem Ecclesiam instituerit, satis constat ex Scriptoribus supra memoratis, atque ex ijs, quæ supra indicauimus tertio Idûs Martias. Superest adhuc in Porta Ticinensi Fons, super ædificatâ Ecclesiâ a Ciuitate Mediolani, quo nostros primùm Ciues S. Apostolus baptizauit, cuius meminit Vicecomes vol 1. cap 4. de antiquis Baptismi Ritibus, & doctissimus Casalius cap. 5. de veteribus Christianorum Ritibus. Illum Fontem Cardinalis Cæsar Montius Archiep. in Synodo 32. cap. 9. *Metropolitanæ vniuit*. At S. Carolus Borromæus in Concilio Prouinciali 4. Tit. *de diebus Festis* hæc statuit: *Dei munere beneficioque cùm Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli Barnabæ primùm Fidei mysterijs imbuta, tum aliæ pleræque huius Prouinciæ Ciuitates Euangelij lumine illustratæ, causam omnes Festi illius diei præcipuè colendi habent &c.* vbi S. Carolus mandat, coli diem Festum S. Barnabæ in Prouincia Mediolanensi de præcepto.

Itaque ex hoc Decreto S. Caroli intelligimus, finitimos quoque populos a Diuo Barnaba ad Euangelij Fidem vocatos fuisse; *Præterea* (inquit Carolus a Basilica Petri in Libro de Metropoli Mediolanen. num. 5.) *traditum est a Maioribus, mandatumque literis, non solùm in Mediolanensi, sed in alijs quoque Prouinciæ Ecclesijs, Brixiensi, Bergomensi, Taurinensi*, Diuum

Barnabam Euangelium prædicasse: *confirmantque Templa in ipsis vrbibus, & alijs regionis locis eidem dicata, tum Mons etiam S. Barnabæ prope Alpes, de quo Bonauentura Castillionæus*. Additque idem Auctor, *regionem Ligusticam a Diuo Barnaba primò fuisse illustratam*; quod etiam patet ex Epigrammate, quod S. Protasius Archiep. Mediolani (de quo redibit mentio in mense Nouembris) posuit ad Fontem S. Barnabæ.

Beate
Barnaba, te Ligures aduectum nuper in oras
Audijt hortantem cœtus & ritè lauantem.

Siquidem Iornandes ad annum DLX. appellat *Mediolanum Liguriæ Metropolim*: nec desunt, qui Mediolanum collocent in Liguria.

Iuuat hìc enumerare vrbes & populos, quos S. Barnabas, non modò in Insubribus & in Liguribus, verùm etiam in Heluetia & in Rhætia vocauit ad Fidem. Certè eas omnes vrbes, quæ olim parebant Ambrosiano Metropolitæ, & quæ nunc in eiusdem Prouincia continentur, verosimillimum est, a Diuo Barnaba fuisse Euangelij lumine, ab Idololatriæ cœcitate conuersas ad Dei veri & viuentis cultum. In Martyrologio Comensi hâc die legimus sequens Elogium. *Nouocomi Natalis S. Barnabæ Apostoli &c. Quo tempore Mediolanensem constituit & gubernauit Ecclesiam, Populos etiam Nouocomenses Ethnicam superstitionem eiurare, & veram Religionem amplecti docuit: in cuius rei testimonium & accepti beneficij monumentum ipsi hanc diem Apostoli martyrio consecratam a priscis vsque temporibus coluerunt*. Quod præstant quoq; Mediolanenses, etiam postquam Vrbanus VIII. Pontifex Maximus dies Festos ad certum numerum redegit: necnon die Festo S. Barnabæ Præfectus vrbis cum Ædilibus atque Collegijs artificum procedit ad eiusdē Apostoli Fontem, quo ille primùm Ciues expiauit.

Comenses igitur conuersionem suam acceptam referunt Diuo Barnabæ, quemadmodum Bergomates, quorum Ecclesiæ S. Narnum præfecit (de quo Martyrol. Rom. die 27. Augusti) & in Officijs proprijs Sanctorum Bergomensis Ecclesiæ eâdem die hæc recitantur in quarta Lectione, videlicet. *Narnus opibus, honoribus, & ingenij gloria Bergomi tum floruit, cùm Sanctus*

Barna-

Barnabas Apostolus, iactis Mediolani Christianæ Fidei fundamentis, ad propagandam Religionem Bergomum se contulit.

Brixienses pariter Diuum Barnabam Ecclesiæ suæ auctorem faciunt: quemadmodum legere est hâc die in eiusdem Martyrologio, nempe: *Brixiæ Sancti Barnabæ Apostoli, qui &c. Brixiam quoque adijt: vbi, cùm multos Idolorum cultores ad Christum conuertisset, Ecclesiam Brixianam sanctissimè fundauit: & in ea Anatalone eius discipulo sibi suffecto, Cyprum eius Patriam profectus &c.*

Etiam Cremonensem Ecclesiam a Diuo Barnaba Fidei mysterijs imbutam fuisse auctor est Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi. Taurinensem quoque Diui Barnabæ Apostoli prædicatione conuersam ad Christum fuisse affirmat Baldesanus in lib. 1. Hist. S. Mauritij.

De Nouariensi verò, alijsque vrbibus affinibus & Oppidis, hæc tradit Carolus a Basilica Petri initio libri 2. Nouariæ sacræ. *Christi Fidem Nouariensibus nuntiatam, & ab eis susceptam per id tempus non dubito, quo ad Mediolanenses peruenit. Ex primarijs enim vrbibus, & quæ Metropoles essent, existimare oportet in alias quoque vrbes & Oppida Apostolos & Apostolicos viros, cùm primùm fieri potuit, Sacrosanctum Euangelium afferri curasse &c. Ita Mediolano Euangelicæ veritatis nuntios citò Nouariam aduenisse, credibile est, in vrbem neque longè positam, & ad ipsam veluti caput pertinentem, atque moribus non dissimilem &c.*

Ecclesia quoq; Genuensis Euangelij prædicationem debet Apostolo Barnabæ, teste Baronio in Annalibus Ecclesiast. ad annum CDLI.: *Genuensis* Ecclesia, *nemini cedens antiquitate, sicut Mediolanensis, a S. Barnaba Apostolo se accepisse Euangelium gaudet, & SS. Martyrum Nazarij & Celsi consuetudine gloriatur: atque Sanctis quoque Episcopis Syro, Romulo, Valentino, Felice, atque Salomone, siue Salonio, magis magisque facta conspicua nitet &c.*

Diuum quoque Barnabam Heluetios & Rhætos prædicationis Apostolicæ causâ adijsse, testatur Bucelinus in Libro, qui inscribitur *Constantia* ad annum Christi vndequinquagesimum. *Sed & S. Barnabas Apostolus in districtu Diæceseos nostræ prædicando aliquandiu substitit, & ipse meritò inter Tutelares Constantiæ*

tantiæ nostræ recensendus, a quo in Rhætia etiam aliquandiu ad Montem Lucumonis considente, ille ipse mons deinceps S. Barnabæ est appellatus.

Hæc de Vrbe Constantiæ & de Constantiensi Diœcesi Bucelinus: de Rhætia verò & Heluetiâ idem auctor hæc habet in Libro, quem de Rhætia scripsit, ad annum Christi LII.: *Barnabam quoque Apostolum a Petro Mediolanensibus Episcopum ordinatum Rhætiam & Heluetiam curasse & visitasse, dubium nemini esse debet; de quo primo suo Pontifice Mediolanenses meritò gloriantur.* Quamobrem Insubres, Ligures, Heluetij, & Rhæti, præter alias gentes ad Christum conuersas, Barnabæ prædicatione, Fidem Euangelicam sunt amplexi.

Quo autem anno S. Barnabas Christum Mediolanensibus annuntiauerit, plurimùm inter Scriptores certatur. Gordonus in opere Chronologico ad annum LI. hæc tradit. *Barnabas, stabilitis Cypri Ecclesijs venit in Italiam, & Mediolanensem erigit Ecclesiam, ex traditione certa illius Ecclesiæ, licèt de anno erectionis non omnino constet.* Monstrat tamen annum Eminentissimus Baronius in Annalibus Ecclesiast., cui consentiunt Ripamontius, Faynus in Notis Martyrol. Brixiensis, Tattus in Notis Martyrol Comensis, & Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 2; isque annus fuit a Partu Virginis quinquagesimus primus, Ecclesiâ Romanâ multis antè annis constitutâ. En testimonium Baronij. *Cæterùm post hæc tempora cùm Barnabas vnà cum Marco in Cyprum profectus est, visitatis, quæ ibi erant, Ecclesijs, in Italiam nauigasse non negarim. Nam & in Liguria prædicasse Euangelium, nobilissimamque Mediolanensium Ecclesiam erexisse, ac longè latèque Christi Fidem feliciter propagasse, firmæ traditiones, eiusdemque Ecclesiæ monumenta, complurium Scriptorum testimonijs confirmata, fidem indubitatam faciunt.*

Quòd autem Romæ S. Barnabas Euangelium nuntiauerit, a veritate prorsus alienum videtur eidem Baronio, tum in Annalibus, tum in Notis Martyrol. Rom. hâc die, itemque doctissimo Cardinali Bellarmino, cuius argumenta intulit Puricellus in caput 2. num 7. Dissertat Nazarianæ. Quare aduersa testimonia sunt apocrypha: ideoque corrigenda est Præfatio Ambrosiana in Missa S. Barnabæ vnà cum Actis Mediolanensis Eccle-

siæ

siæ Parte 6. in Tabula Archiepiscoporum Mediolanen. num. 1. *Magnum & inuidendum est decus* (inquit Tertullianus lib. præscript. aduersùs hæreses 132.) *posse euoluere ordinem Episcoporum suorum ita per Successores ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem*; Quod planè decus Mediolanensem Ecclesiam nobilitat, auctore Barnaba Apostolo, atque eiusdem discipulis & Successoribus Anatalone & Caio; de quibus infra in mense Septembri. De Capite verò & Cineribus S. Barnabæ conditis in ara maxima Basilicæ Franciscanæ agemus die decimâ quartâ Septembris, cùm de illorum Translatione. Quantùm autem similia sint veris ea, quæ P. Innocentius ab Ecclesia tradit lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 7. in Vita S. Syri Episcopi Ticinensis, videlicet S. Syrum prædicauisse Euangelium Mediolani, antequam illuc S. Barnabas aduenire, disces vtique ex ijs, quæ Puricellus docuit in Dissertat. Nazariana cap. 20. num. 8. & 18. atque cap. 31. num. 5.

PRIDIE IDVS IVNII.



ROmæ viâ Aureliâ Natalis Sanctorum Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij militum, qui in persecutione Diocletiani & Maximiani sub Aurelio Præfecto ob Christiani nominis confessionem detrusi in carcerem, & scorpionibus lacerati, capite truncati sunt. Sanctorum autem Basilidis, Cyrini, & Naboris Corpora a Sancto Carolo Cardinali Archiepiscopo recognita, Mediolani in Templo Sancti Celsi decenter recondita sunt.

IVNII 12.

DE hisce Martyribus agunt Martyrol., Missale, & Breuiarium Romanum. Quod autem iaceant Mediolani in Templo Celsiano, ostendit Glussianus in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 11., licèt Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ tradat, Corpus S. Basilidis quiescere in Abbatia Cauanensi agri Parmensis. Suffragatur etiam nobis Morigius in Sanctuario, & in Hist. Mediolanen. lib. 2. cap. 8.; Carolus verò a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 1. ait, *reperta fuisse pauca tantùm ossa*; fortasse temporis edacitas alia consumpserat. Accedit Puricelli testimonium in cap. 115. Dissertat. Nazar. & in cap. 151., qui etiam in cap. 167. memorat munificentiam Cæsaris Marini Patricij Genuensis ornantis Sacellum, in quo recondita sunt Corpora horum Sanctorum Martyrum. Latus igitur læuum eiusdē sacelli incisam in marmore Epigrapham gerit.

D. O. M.

Nemur Basilides Romanæ robora pubis
Cæde ter in socia terque Cyrine cadis.
Vna tergemini cineres seruantur in vrna:
Cæsaris hæc pietas, Cæsaris ille furor.
Aucto ornatoque Sacello
cibarijs Sacerdoti decretis
Cæsar Marinus
Pat. Gen.
Corpora trium Martyrum
qui sub Maximiliano Cæs.
singulari constantia vitam perfuderunt
hoc in loco seruanda colendaque
curauit
Anno Domini MDCVIII.

Nemur verò dictus est pro voce *Nabor*, & Maximilianus Cæsar pro *Maximiano*. De Virgis autem spinosis, hoc est scorpionibus, vide Antonium Gallonium virum eruditissimum in Libro de SS. Martyrum cruciatibus.

DECIMO OCTAVO CALENDAS IVLII.



Ranslatio Reliquiarum Sanctorum Cantij, Cantiani, & Cantianillæ Martyrum, quæ sub ara Confessionis Basilicæ Metropolitanæ Mediolani a Sancto Carolo conditæ sunt.

IVNII 14.

QVamquam horum Sanctorum Martyrum celebritatem colat Mediolanensis Ecclesia eo die, quo memorantur in Martyrol. Rom. attamen hodie illos olim fuisse cultos satis constat ex Missalibus & Breuiarijs vetustis Ambrosianis; vnde meritò Ferrarius in Catal. SS., qui non sunt in Martyrol.Rom., hodie meminit huiusce Translationis. Illud tamen minimè caret molestiâ, quomodo Aquileiâ horum Martyrum Corpora transferri potuerint Mediolanum, quandoquidem Baronius in Notis Martyrol Rom. Pridie Cal. Iunij affirmat, *eorum Corpora veneranda condita fuisse Aquileiæ, de quibus Venantius Fortunatus his versibus:*

Aut Aquileiensem si fortè accesseris vrbem,
Cantianos Domini nimiùm venereris amicos.

Attamen Ferrarius nodum soluit in Catal. SS. Italiæ in annotationibus diei vltimæ Maij. *Hìc sanè mirandum* (ait) *quòd Mediolanenses tam asseueranter Corpora horum SS. Martyrum se habere affirment, cùm tabulæ Ecclesiæ Aquileiensis ea Aquileiæ asseruari dicant: in eaque Ecclesia Translatio ipsorum celebretur. Fortè Mediolanum non integra Corpora, sed Reliquiæ aliquot Insignes, quæ per Synecdochen Corpora appellentur, aduectæ sunt.* Hæc Ferrarius; certè in Lectione Breuiarij Ambrosiani hæc habentur: *eorum Reliquiæ Mediolanum translatæ, in Basilica Metropolitana reconditæ sunt.* Eas verò fuisse inspectas a S. Carolo, testis est Glussianus in Vita eiusdem S. Caroli lib. 5. cap. 2., licèt Corpora appellet, non Reliquias; in cuius sen-

tentiam discedit etiam Carolus a Basilica Petri in Vita pariter S.Caroli lib.5.cap.2., docens, sub ara subterranea Metropolitanæ fuisse tumulata a Diuo Carolo Corpora SS. Cantij, Cantiani, Cantianillæ, itemque Maximi Martyris, ac SS.Monæ, Dionysij,& Galdini, vnàque Reliquias S.Aurelij Episcoporum, ac S. Pelagiæ cineres; sedenim *cùm ijs Corporibus non modica pars Ossium desit, quorundam etiam Capita, credit, ea esse in alijs Ecclesijs, quæ eadem se habere Corpora prædicant.* Ex quibus monumentis conijcimus, hasce Reliquias esse huiusmodi: vt vocari possint Corpora, sed non integra.

Porrò hæc Sanctorum Cantianorum lipsana antè iacuerant in Basilica Dionysiana Mediolani, in qua etiamnum, die secundâ Rogationum in Litanijs, imploramus opem eorundem SS. Martyrum. Censeo autem, hasce Reliquias delatas fuisse Mediolanum a Diuo Ambrosio, cùm a Concilio Aquileiensi redijsset: Sermo quidem superest S.Ambrosij laudantis egregiè hosce Martyres, qui tamen ab aliquibus ascribitur Diuo Maximo Taurinensium Episcopo.

Etiam Veronenses putant, se habere Corpora SS. Cantianorum in Ecclesia S.Mariæ in Organis. Bergomates quoque vendicant sibi Reliquias SS. Cantianorum, si fides Donato Caluo tomo 1 libri, quem inscripsit *Efemeride Sagroprofana* pag. 50. col. 2. & tomo 3. pag. 58., vbi Caluus affirmat, in Sacra Æde Oppidi Seriati reperta fuisse Ossa SS. Cantianorum anno MCDLXVII. cum eiusmodi Epigrapha, videlicet.

IC ✠ XC.
Inclytis Martyribus
quorum hìc ossa sunt
Anicijs
Cantio, Cantiano, & Cantianellæ germanis
dicat. Anno Christi Domini MCDLXVII.
Ludouico Donato Pontifici Bergomensi
Georgius Nouariens. Primicerius
F. G.

Hæc deinde Ossa translata sunt in tumulum nobiliorem, vti sequens Epigraphe indicat.

Sanctorum Cantij, Cantiani, & Cantianellæ
Ossa

Ossa
De altari Maiori in hoc præsenti loco asportata fuerunt.
Reu. D. Io. Baptista Milano Bergomen. Episcopo
præsente
& regnante M. R. D. Archipresb.
Nicolao de Aduocatis Bergom. ciue
die XIV. Septemb. MDCVIII.

Porrò hi Sancti Martyres appellantur Anicij, quòd ex clarissimâ progenie Aniciorum originem duxerint, quemadmodum testatur Rom. Martyrol. Pridie Cal. Iunias, & Baronius in Notis ad eundem diem.

DECIMO SEPTIMO CALENDAS IVLII.


TRiuillij Translatio Miraculosæ Imaginis Beatæ Virginis Mariæ Lacrymarum, quam Federicus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus in Templum eidem Virgini Deiparæ ædificatum decorâ supplicatione transtulit.

IVNII 15.

TRiuillium nobilissimum Oppidum est, cuius incolæ donati sunt Ciuitate Mediolani, sicuti narrat Chalcus lib. 17. Hist. Pat.. De hac Translatione agit Riuola in Vita Cardinalis Federici Borromæi lib. 4 cap. 34., & Emmanuel a Laude in Hist. Triuilliensi, qui cap. 33. affert tabulas huiusce Translationis factæ anno MDCXIX.. Eius tamen Virginis celebritas colitur præcipuè Pridie Calendas Martias, quo die cœpit illustrari miraculis. Eruditissimus vir Carolus Franciscus Ceresolus Præpositus Verdelli in libro, cui titulum indidit *Tritonis Buccina* Elogium habet elegantissimum in effigiem hanc Deiparæ Triuilliensis, *quæ anno MDXXII. Pridie Cal. Martij ab hostili furore, obortis per plures horas diuinitus lacrymis & sudore, defendit Oppidanos.*

DECIMO SEXTO CALENDAS IVLII.


Ediolani in Basilica Portiana Sanctæ Dariæ, quæ Virginitatis lilio Christi bonus odor facta est.

IVNII 16.

EX Visitatione S. Caroli, Vghello tomo 4. Italiæ sacræ, de hac Basilica agit Ioannes Franciscus a Basilica Petri; Morigius lib. 2. Hist. cap. 21., Villa de Septem Ecclesijs Stationalibus, & auctor Mercurij Italici in descriptione Mediolani.

DECIMO TERTIO CALENDAS IVLII.


Ediolani Translatio Sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij fratrum, ex quibus priorem tandiu iussit Astasius iudex plumbatis cædi, quousque spiritum exhalaret, sequentem verò fustibus cæsum capite truncari. Horum Corpora, Domino reuelante, Beatus Ambrosius sanguine consperſa, & ita incorrupta reperit, ac si eo die fuissent interempti: in quorum Translatione cæcus pheretri tactu lumen recepit, & plurimi vexati a Dæmonibus liberati sunt. Translatio autem facta est a Sancto Ambrosio ad Basilicam Ambrosianam, quam ille recèns omnibus Sanctis Martyribus dedicarat.

IVNII 19.

SAnctos Geruasium & Protasium, non solùm Mediolanensis Officio & Missa proprijs, sed omnis Ecclesia veneratur: Romanæque Missæ *introitum Sanctus Gregorius composuit, quoniam eo die pax conciliata fuit inter Imperatorem Romanum & Regem Longobardorum:* sicuti docet Gauantus in Comment. in Rub. Breuiarij Rom. sect. 7. cap. 8. de Festis Sanctorum mense Iunio. Eorundem SS. Martyrum meminere Martyrol. Rom., atque ij omnes Scriptores, qui in eiusdem Notis citantur, Baronius tomo 2. Annalium, Galesinius, Vghellus, Bagatta in admirandis Orbis Christiani tomo 2., Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Eccl. Mediolanen., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Caij, Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Chalcus lib. 1. & 2. Hist. Pat., Lib. M. SS. Sacrarij Basil. Franciscanæ, Liber Successorum S. Barnabæ in Vita S. Caij, Corius parte 1. Hist. Mediol., Besutius in Hist. Pontific., nouissimè Puricellus, tum in Monum. Basil. Ambros., tum in Dissertat. Nazariana. Bulzius gemino Epigrammate hosce Martyres commendat, & quia *ante mortem omnia dederint pauperibus, & quia eorum necem suaserint impij Flamines.* Geminum item distichum Brautius edidit.

SS. Geruasij & Protasij Fratrum.

Vos natura pares, virtus & gratia dignos,
Martyrij meritò fecit honore pari.

De Inuentione Corporum illorum.

Ambrosius Doctor conspersa cruore recenti
Sanctorum Fratrum protulit ossa sacra.

Eorum autem Sanctorum Fratrum Corpora, non ex Basilica Faustæ (vt P. Mabillon in itinere Italico significauit) sed in Basilica Sanctorum Naboris & Felicis inuenta, transtulit S. Ambrosius ad nouam, quam ille SS. Martyribus ædificandam curauerat, nuncupaueratque, non autem S. Laurentio; in Basilica verò Faustæ collocauit ea Corpora, vt nocturnas ibidem peragerent Vigilias; quæ omnia vtiq; intelliget Mabillon eruditissimus, si euoluet Dissertationem Nazarianam Puricelli cap.

39.& seqq. Ambrosiana autem Basilica, quæ dicata est S.Laurentio, Florentina est, de qua idem Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 1., atque idem Mabillon in Itinere Italico pag. 167.

Hosce verò Sanctos Martyres Geruasium & Protasium obijsse martyrium Nerone Imperatore, negat Baronius in Notis Martyrol. ad hanc diem; quòd multis probat, tum ratione belli Marcomannici, tum quia plures Augustos eo tempore imperasse testatur Philippus in libello (quem iuxta capita SS. Martyrum reperit Diuus Ambrosius, atque illustrat Puricellus copiosè in Dissertat. Nazar. exorsus a cap. 7.) ac proinde conijcit Baronius, eos passos fuisse martyrium temporibus Marci Aurelij Antonini & Lucij Veri Augustorum; quod ipsum legimus in ora paginæ Martyrologij Italici. Respondet Baronio fusè Puricellus in eadem Dissertat. cap. 28. & seqq., confutans quoque Andream Alciatum, necnon Ferrarius in Notis Catalogi SS. Italiæ ad hanc diem.

An verò Corpora horum SS. Martyrum iaceant adhuc sub ara maxima Basilicæ Ambrosianæ Mediolani, quam idem Puricellus pluribus commendauit, cùm in Monum. Basil. Ambrosianæ, tum in Dissertat. Nazar., nemo est, qui in controuersiam vocet. Siquis autem illa putet, secutus nonnullorum testimonia, exportata fuisse Brisacum, aut aliò, eiurabit vtique sententiam suam, cùm legerit Vitam S. Caij apud Carolum a Basilica Petri respondentem Viues in lib. 22. cap. 8. de Ciuitate Dei, Castillionæum parte 1. Fasciculo 6. de Antiquit. Mediolanensibus, & Puricellum in Monum. Basil. Ambrosianæ num. 460.& seqq.. Porrò hunc diem, non esse martyrij, sed Translationis, discimus ex eodem Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 43. num. 9.: atque ostendi supra die 25. Martij.

Cæterùm SS. Martyres Geruasius & Protasius sunt Patroni minùs principales Mediolanen. Ecclesiæ; quod videre est in Actis eiusdem Ecclesiæ, nedum in Calendarijs, vbi Parte 8. col. 1213. ad tit. *Decretum de initio Concilij*, hæc leguntur, nimirum. *Nos Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis, ad Dei omnipotentis, Beatæque Mariæ semper Virginis, ac S. Ambrosij Confessoris, & Beatorum*

Mar-

Martyrum Protasij & Geruasij Patronorum nostrorum laudem; decernimus &c. Ea propter S. Carolus effigiem SS. Ambrosij, necnon Geruasij & Protasij in signis Archiepiscopalibus incidi iussit, quemadmodum narrat Glussianus in eiusdem Vita lib. 8 cap. 11 neglecto signo Gentis Borromææ; quo signo sequentes etiam Archiepiscopi hactenus vsi sunt. Sedet inibi Ambrosius inter Geruasium & Protasium, incisâ circùm Epigraphâ *Tales ambio defensores*; quæ sententia deprompta est ex Sermone, quem idem Ambrosius in Epistola ad S. Marcellinam sororem suam conscripsit.

NONO CALENDAS IVLII.



Pud Nolam Campaniæ vrbem Natalis Sancti Paulini Episcopi, quem doctrinæ & virtutum omnium laude florentem Sanctus Ambrosius Clero Mediolanensi ascripsit.

IVNII 22.

HIc vtique non est Paulinus qui Vitam S. Ambrosij scripsit, de quo supra diximus in Notis diei tertiæ Martij, vt bene animaduertit Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Ferrarius in Catal. SS. Italiæ: sed Paulinus alter Episcopus Nolæ multorum Sanctorum Patrum testimonio celebris, quemadmodum testatur Martyrol Rom, & Hispanum. Hunc autem ascriptum fuisse Clero Mediolanensi a S. Ambrosio testis est idem ipse S. Paulinus in Epistola ad Alipium, Breuiarium Ambros. hâc die, Cardin. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast. in obseruatione 1. in lucubrationes eiusdem S. Paulini, deniq; Puricellus in Dissertatione Nazar. cap. 49. num. 5. secundùm Vitam S Paulini editam a Rosuueydo parte 2. id ipsum confirmat, addens, *quòd illũ sibi Ambrosius, senectute iam graui, destinaret & cuperet successorem.* Et quidem S. Paulino Archiepiscopo exornari maximè potuisset

tuisset Ambrosiana Metropolis: quemadmodum eodem Mediolanensis Ecclesia Presbytero suo insigniter gloriatur. Duo Epigrammata profert Bulzius in Diuum Paulinum; ex his vnum placet afferre.

S. Paulinus hominem redempturus, se facit seruum.

Vt redimat captiuum hominem, dat prodigus aurum
Vir pius, & quicquid seruat opima domus.
Factus inops tandem, nudato & egentior Iro,
Sponte dat ingenuos vincula in Afra pedes.
Magnus homo hic Mistes, similis quia ille Tonanti:
Se pro homine & seruum fecit in orbe Deus.

Quam planè charitatem laudauit quoque Brautius in Martyrologio Poetico.

Paulinus postquam tribuit, quod habebat, egenis,
Se dedit in seruum, qui modò diues erat.

OCTAVO CALENDAS IVLII.


MEdiolani Translatio secunda Sanctorum Martyrum Fidelis & Carpophori, quando eorum Corpora Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus hâc die iterum transtulit, atque in Templo Insigni Sancti Fidelis solemniter collocauit.

IVNII 24.

IAm impositum fuerat fastigium recentis Templi, quod Sanctissimo Martyri, Ciuique Mediolanensi, Fideli S. Carolus condendum munificè curauerat: idque nunc est inter alia vrbis Templa magnificentissimum, quà structurâ & nitore, quà pretio Ecclesiasticæ supellectilis ac cultu assiduo Patrum clarissimæ Societatis Iesu. Dirutâ igitur veteri Ædiculâ S. Fidelis, Diuus Carolus ex ea in recens Templum intulit Corpora Sanctorum Martyrum Fidelis & Carpophori, quæ nunc reli-

religiosissimè in ara maxima custodiuntur. Id autem constat, tum ex Glussiano in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 10., tum ex Ripamontio Dec. 1. lib. 2. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, atque ex ijs, quæ exhibebimus infra die septimâ Augusti, cùm de S. Carpophoro scribemus. Præterea Epigraphe in marmore incisa, atque prope fores Domûs Professæ collocata, gratum Societatis Iesu animum significat.

S. CAROLO
CARDIN. S. R. E. ATQ. ARCHIEP. MEDIOL.
QVI SOCIETATEM IESV ROMÆ A SE DILIGI COEPTAM
PERPETVO PATROCINIO DEFENSAM
EX VRBE MEDIOLANVM ANNO CIↃ.IↃLXIII. PRÆMISSAM
IN TRIBVS SVÆ DIOCESIS ECCLESIIS COLLOCAVIT
SOCIORVM INDVSTRIA LABORIBVSQVE QVOAD VIXIT
AD IVVENTVTIS EDVCATIONEM ET POPVLI SALVTEM VSVS
BENEFICIIS MAXIMIS AVXIT
TEMPLI HVIVS FVNDAMENTA RITE IECIT
CORPORA SS. FIDELIS ET CARPOPHORI MART.
ARONA DEVECTA HVC SACRA POMPA TRANSTVLIT
DOMVS PROFESSORVM EODEM AVCTORE CONSTITVTA
GRATA MEMOR DEVOTA
PATRONO SANCTISS. PARENTIQ. AMANTISS.
OB INSIGNEM EIVS IN ORDINEM VNIVERSVM BENEVOLENTIAM
ET AMPLISSIMA IN SE MERITA
ÆTERN. MONVM. P. CIↃ.IↃC.XV.

QVARTO CALENDAS IVLII.



Pud Tridentum Sancti Vigilij Episcopi, qui cùm reliquias Idololatriæ penitùs extirpare conaretur, a feris & barbaris hominibus lapidum imbre percussus, pro Christi nomine martyrium impleuit. Eius Sacrum Corpus Medio-

Mediolanum delatum in Basilica Sancti Simpliciani piè sepultum est.

IVNII 26.

CORpus S. Vigilij iacere in Basilica S. Simpliciani, non modò ex Epigrapha supra memorata die 27. Maij discimus, verùm etiam ex membranis vetustis eiusdem Templi, ex Morigio in Sanctuario, & Villa de Septem Ecclesijs Stationalibus. Et quamquam Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ affirmet, illud conditum fuisse Tridenti: attamen partem Corporis ibi tumulatam, & partem Mediolanum delatam fuisse verosimile est: vt inibi Vigilius cum Sanctis Martyribus Tridentinis Sisinio, Martyrio, & Alexandro conquiesceret, quorum idem Corpora S. Simpliciano impertiuerat. Censeo autem, tum Simplicianum ipsum, tum S. Vigilium sepulturam sibi apud SS. Martyres elegisse, quòd putarent, Christiano prodesse homini post mortem, si eius Corpus apud Sancti alicuius Memoriam sepeliretur. Id planè Dungalus ex sententia S. Augustini affirmat, citatus a Puricello in Monum. Basil. Ambros. num. 19.: atque existimat, iccirco a S. Ambrosio sepultum fuisse S. Satyrum Fratrem prope S. Victorem. *Idcirco* (inquit Dungalus) *vt arbitror, Ambrosius suum Fratrem Satyrum, quem nimiùm dilexerat, iuxta Sanctum Martyrem Victorem sepeliuit &c.*, immo ipsemet Ambrosius iuxta SS. Geruasij & Protasij Corpora sepulchrum elegit. Id S. Marcellinæ Sorori suæ per Epistolam significauit: *succedant* (inquit Ambrosius de SS. Martyribus Geruasio & Protasio) *victimæ triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: illi sub altari, qui illius redempti sunt Passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi; dignum est enim, vt ibi requiescat Sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem &c.*

Porrò de Basilica S. Simpliciani agit Ioannes Franciscus a Basilica Petri, Morigius lib. 2. Hist Mediol. cap. 20., Villa de Septem Basilicis Stationalibus, & alij; Bulzius duplici Epigrammate S. Vigilium laudauit: itemque Brautius eidem Vigilio laudes tribuit geminas.

Sanctorum Frater, comitante Parente, Tridentum
Appulit: & iuuenis Pastor ouile regit.
De Zelo eiusdem S. Vigilij.
Armatus Fidei Zelo, simulacra Deorum
Comminuens Præsul, mersit in amnis aquas.

Sanctorum verò Fratrem, comitante Parente, Diuum Vigilium venisse Tridentum, ait Brautius, atque iuuenem rexisse Tridentinas oues, quòd cum S. Maxentia Matre, ac SS. Claudiano & Magoriano fratribus comitatus, se contulerit Tridentum: vbi, annos natus viginti, subrogatus fuit in locum Asterij Episcopi; vt legere est die 15. Martij, & hâc die in Catalogo Ferrarij Sanctorum Italiæ.

An autem S. Vigilius Tridentinus scripserit quinque Libros contra Nestorium & Eutychem Hæreticos, negat Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast., & Baronius in Notis Martyrol. Rom., in quibus citantur Scriptores de eodem agentes, licèt in Annalibus ad annum Domini CD. de hac re accuratissimè disputet. Faynus in Notis Martyrol. Brixiensis ad diem 26. Septembris eos Libros adiudicat S. Vigilio Episcopo Brixiæ. Nescio tamen, quo pacto Faynus Baronium in hac esse sententia asseueret: quandoquidem ille in Notis Martyrol., cùm plures Vigilios æquales memoret, litem dirimere neutiquam audet. *An autem ipsorum aliquis* (nempe Vigiliorum) *ea scripserit, nihil audeo temere affirmare.*

QVARTO CALENDAS IVLII.



MEdiolani Sancti Arialdi Leuitæ & Martyris, qui strenuè aduersùs Hæreticos pugnans, apud Lacum Verbanum martyrio coronatur.

IVNII 28.

EX Annalibus Ecclesiast. Cardin. Baronij tomo 11. ad annum MLXVI., vbi genus horrendum mortis describitur, quâ S. Arialdus per sicarios flagitiosissimos est interemptus;

tus. Eius autem Corpus, *cùm luminaribus cælitus missis occultatum detegeretur, in profundiorem Lacus Verbani voraginem demissum, ac tandem post decem menses ad ripam eiectum, adhuc integrum inuentum est, & armis a S. Herlembaldo Duce vindicatum*; de quo S. Herlembaldo scripsimus supra in mense Aprilis. Ferunt, mortales Diui Arialdi exuuias in Basilica S. Dionysiij fuisse tumulatas. Natus ille est ex nobili Alciatorum Familia: atque de eo agunt Calendarium acephalum M. SS., Scriptores rerum Mediolanensium, Carolus a Basilica Petri in Nouaria Sacra lib. 1. *de Terminatione Vergantis seu Baueni*, & lib. 2. in rebus gestis Oddonis II. Episcopi Nouariæ, ac Puricellus in Vita S. Arialdi, qui eiusdem etiam meminit in Monum. Basil. Ambros. num 259. & 273. ac seqq., & in Dissertat. Nazar. cap. 90 & 91., ratus Corpus S. Arialdi fuisse postea delatum ad Basilicam Celsianam. Scripsit quoque S. Arialdi Vitam Andreas Alciatus M. SS., quæ nunc superest in Bibliotheca Ambrosiana: eumque nouissimè laudibus extulit Tattus Dec. 2 lib. 3. Annalium Sacrorum Comi.

Attamen in hoc loco animaduertendum est, ex sententia Fayni in Notis Martyrol. Brixiani ad Cal. Septembres, ne quis commisceat res gestas S. Leuitæ Arialdi cum factis alterius S. Arealdi Martyris, cuius Corpus ex vrbe Brixiæ in Templum maius Cremonæ translatum est; ostendit enim Faynus in hac re fuisse hallucinatum Peregrinum Merulam Sanctuarij Cremonensis auctorem.

TERTIO CALENDAS IVLII.



MEdiolani Translatio 1. Imaginis Beatæ Virginis Mariæ, quam Federicus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus miraculis claram hâc die Solemniter ad Basilicam Sancti Laurentij transtulit. Varisij Sanctæ 2. Floræ Virginis & Martyris, cuius

ius Corpus illuc Româ translatum singularis Fidelium religio veneratur.

IVNII 29.

1. Agunt de eâ Puricellus olim Archipresbyter Insignis Laurentianæ Basilicæ in Vita S. Laurentij Littæ cap. 26. num. 3., Riuola in Vita Cardin. Federici Borromæi lib. 5. cap 14.: in eâque Basilica hodie annuâ supplicatione & Solemnitate recolitur celebris hæc Translatio. De hâc verò Basilicâ scripsimus in lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis: ibique secuti Vghellum tomo 4 Italiæ Sacræ, & Glussianum in Vita S. Caroli lib. 4 cap. 13. tradidimus, insanam molem huiusce Templi excitatam fuisse ope huiusce Imaginis, quemadmodum S. Carolus palàm antè prædixerat. Hic olim extruxerat Herculi thermas & Templum Maximianus Imperator; de quibus consule Alciatum lib. 3. Hist. Mediol. & Ripamontium Dec. 1. lib 2. Hist. Ecclesiæ Mediolanensis, necnon Carolum a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Materni.

2. In Ecclesia primaria Varisij custoditur Corpus S. Floræ, in qua sequenti die ritu Solemni Officium de eadem Virgine celebratur, & quidem translatum propter diem Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli.

PRIDIE CALENDAS IVLII.




Canobij Sancti Theodosij Martyris, qui, post tormentorum victoriam, coronam adeptus est sempiternam.

IVNII 30.

HVnc diem, non quidem Natalis, sed Translationis, celebrant Canobienses: atque, vt cum frequentiori populo celebritas peragatur, quotannis vltimo die Dominico mensis Iunij eam celebrant. Cæterùm Corpus S. Theodosij religiosè custoditur in sacra Æde Confratrum S. Marthæ, quæ diues est sacris lipsanis, cùm inibi eodem die publicæ venerationi proponatur Caput S. Exuperantij vnà cum alijs Insignibus Reliquijs plurium SS. Martyrum: adeo vt, si Merula lib. 2. Antiquit. Gall Cisalpin. cap. 15. Canobium vocat *coriaceæ mercis emporium*, ego appellare possim Religionis & pietatis Domicilium, tum ob Reliquiarum cultum, tum propter Templorum nitorem. Porrò illorum Sanctorum memoriam, quorum Festiuitates in dies Dominicos sunt translatæ, collocauimus in ijs diebus, qui propiores Dominicis esse videntur; quemadmodum Romana Ecclesia diem Festum S. Raymundi Nonnati Cardinalis, qui die vltimâ Dominicâ Augusti migrauit in Cælum, celebrat Pridie Calendas Septembris.







IVLIVS.

QVINTO NONAS IVLII.



Romæ Sanctæ 1. Lucinæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolanum translatum est. Canturij Sanctorum 2. Adeodati, Manifredi, & Ecclesij Presbyterorum, ac Sancti Sauini Diaconi, quorum Corpora in Ecclesiam primariam illius Oppidi decentiùs sunt translata.

IVLII 3.



1. EX Tabulario Ecclesiæ Parochialis SS. Cosmæ, & Damiani, vbi quiescit Corpus S. Lucinę, eiusdemque Officium Ritu Duplici celebratur.

2. Canturium est Oppidum nobilissimum, de quo Gaudentius Merula in Libro antiquit. Gall. Cisalp., Blondus in Lombardia, & Nicolaus Reusnerus lib. 2. Italiæ. Ibi verò iacere Corpora horum Sanctorum, docet Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanen. (quæ ait iussu Diui Caroli quæsita fuisse & inuenta) Galesinius in Martyrol., Morigius in Sanctuario, Ioannes Antonius Castilionæus Parte 1. Fasciculo 5. Antiquit. Mediolanen., Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 207. (apud quem appâret S. Adeodatum depositum fuisse Nono Cal. Quintiles) Ferrarius

in

in Catal. Sanctorum Italiæ, & eorum, qui in Martyrologio Romano desiderantur, qui contra consuetudinem Ecclesiæ primariæ Canturij venerantis hodie Sanctum Adeodatum & socios, eos collocat sexto Nonas Iulij. Iacent verò hæc Corpora in ara maxima Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli in arca marmorea inclusa.

Castillionæus in Fasciculo supra memorato vult, Sanctum hunc Adeodatum illum eundem esse, qui Mediolani vnà cum Diuis Augustino & Alipio Baptizatus fuit a S. Ambrosio, ac fortè defunctum ibidem vitâ, tumulatum postea fuisse in Basilica Vincentiana: donec Eriberto Insubrum Metropolita, ob Patriæ charitatem (nam Eribertus oriundus erat ex Pago Antimiani prope Canturium) pars illius Corporis delata sit ad Vicum Galliani proximum Canturio, ac tandem a S. Carolo Canturium translata. Vtinam hæc vera essent; siquidem gauderem valde, Augustinum Papiæ, Adeodatum Mediolani & Canturij conditum esse: vt Parens & Natus videantur cum Insubribus morari voluisse. Sed ego eo potiùs in sententiam Torelli, qui tomo 1. Seculorum Augustinensium docet, Adeodatum decessisse Tagaste in Africa, cùm annum ageret decimũ septimum. Quomodo autem potuit Sacerdotio initiari Adeodatus filius Augustini, ferè adhuc impubes? Adeodatus autem Canturiensis erat Presbyter, quemadmodum narrant Scriptores, quos inter Ferrarius in annotationibus Catal. SS. Italiæ ex Epitaphio horum Sanctorum ait S. Adeodatum vixisse annos LXXXV.; vt etiam hinc pateat alium esse Adeodatum adolescentem Filium S. Augustini: alium esse hunc seniorem. In eodem itidem Epitaphio, alter Presbyter appellatur Elisiasticus, alter Manfredus, *inuenti anno MLVI. iuxta sepulcrum S. Adeodati tempore D. Eriberti de Antimiano Subdiaconi Mediolanen. Ecclesiæ & Custodis istius Ecclesiæ S. Vincentij* (in Pago Galliani videlicet) *seu tempore Enrici Regis*. Quapropter fallitur Castillionæus, *qui, sedente Eriberto Archiepiscopo, docet partem Corporis S. Adeodati translatam fuisse Gallianum*: quando, Eriberto Custode Ecclesiæ vetustissimæ Galliani & Subdiacono, Galliani iam iacebant, ibique reperti sunt. Immo hic Eribertus neutiquam fuit ille idem, qui fuit Archiepisco-

piscopus; quippe Archiepiscopus Eribertus, siue Aribertus, excesserat e vitâ anno MXXXXVI., vt memorat Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 246.: Eribertus autem Custos Vincentianæ Ecclesiæ in Pago Galliani lucis vsurâ fruebatur anno MLVI., cùm reperta fuerunt horum Cælitum Corpora. In eodem autem Epitaphio legimus, diem Translationis fuisse Sexto Nonas Quintiles: verùm cùm illa dies dicata postmodum fuerit Visitationi Deiparæ Virginis (de cuius Festi exordio consulere iuuat Gauantum in Rub. Breuiarij Rom. sect. 7. cap. 9. tit. de *Festis Sanctorum mense Iulio*) hoc die Clerus Canturiensis de S. Adeodato & Socijs eius Solemne celebrat Officium. In Martyrol. Basil. Franciscanæ dicitur Adeodatus annos natus trigintaquinque; quod sanè discordat ab Epitaphio, quod exhibet Ferrarius.

QVARTO NONAS IVLII.


IN Territorio Bituricensi Sancti 1. Lauriani, quem Mediolanensis Ecclesiæ sub Sancto Eustorgio II. Archiepiscopo Diaconum, Hispalensis postea Ecclesiæ infula, ac tandem martyrij corona decorauit. Laudæ Sancti 2. Alberti eiusdem vrbis Episcopi, Ciuis Mediolanensis, amore in pauperes celebris. Mediolani Sancti 3. Henrici Confessoris, cuius tumulus, in Basilica Apostolorum, curationum gratiâ est illustris.

IVLII 4.

1. EX Breuiario Ambros., die sextâ Iunij, in tertia Lectione nouissimè emendatâ hæc legimus: *Eustorgius* (Secundus videlicet) *Laurianum è patre impio natum ab vltima Pannonia Mediolanum profectum, domi excepit, Fide instruxit, bap-*

tizauit, literis erudiuit, Diaconum fecit, qui deinceps Ecclesiæ Hispalensis Episcopus sanctitatis laude floruit. Id ipsum confirmant Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ripamontius Dec. 1 Hist. Mediol. Ecclesiæ lib 8., ij demum auctores omnes, quorum testimonio supra vsi sumus, cùm de S. Eustorgio II. ageremus. Fusè latèque de S. Lauriano, seu Laureano scripsit tomo 4. Martyrologij Hispani Ioannes Tamay Salazar, plurimorum Auctorum testimonio nisus, præsertim Breuiarij Hispalensis antiqui, ex cuius Lectionibus ad Preces Matutinas liquet, S. Laurianum Diui Eustorgij II. discipulum fuisse &c. Illud monstrosum est, quòd S. Laurianus, resecto quamuis capite, loqueretur; hoc miraculum lepido Epigrammate Bulzius expressit.

S. Laurianus Episcopus Hispalensis & Martyr capite fatur obtruncato.

Regius impleuit iam barbara iussa satelles:
Pallet & exsectum per loca tuta caput.
Carnifices mox terror habet, terroreque pulsi,
Præcipiti fugiunt, nemine agente, fuga.
At licèt abscissum, moto caput ore, remigra
Gens, ait, huc adsis; dicere pauca placet?
Nostrum tolle caput, deuectum Regis ad ora,
Regi trade fero. Dixit, & obticuit.
Trunca hæc ora loqui poterunt, o territe lictor,
Regi: te terror non sinet ore loqui.

Eiusdem S. Lauriani martyrium extulit laude Brautius:

Hispalis Antistes seruus, Christique fidelis
Testis, ob illius certat obire Fidem.

Illud etiam admirandum de S. Lauriano, quòd resectum caput suis manibus ad locum vsque sepulturæ detulit, vt refert Bagatta tomo 2. admirandorum.

2. S. Alberti Episcopi Laudensis meminit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ioannes Baptista Villanoua in Hist. Laudensi, Vghellus tomo 4 Italiæ sacræ, Defendens a Laude Disputat 6. de rebus Laudensibus, & Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 502. Illius Charitas erga pauperes commendatur a Bulzio in hoc argumentum, cuius nos vnico Epigrammate contenti sumus; est autem eiusmodi:

S. Al-

S. Albertus Episcopus Laudensis
locum nummis vacuum, plenum reperit.
Sedulus aeratam Mystes euiscerat arcam:
Cunctaque mendico diuidit æra gregi.
Munificus rursum lustrat dum scrinia Præsul,
Non vacua, at nummo scrinia plena videt.
Ad miseros gestit nummus decurrere palmis,
Diue tuis; sponte hinc scrinia, credo, subit.

Eandem charitatem laudauit Brautius:

Albertus semper Christi donauit egenis,
Donandi Christo suppeditante modum.

Porrò Diuum Albertum esse Ciuem Mediolanensem inde nouimus, quòd natus est in Oppido Ripæ Altæ (Ripaldam vulgus vocat), quod est Ducatûs & agri Mediolanensis; quamquam Ferrarius affirmet, *esse locum Diœcesis Mediolanensis*, perperam tamen. Etiam Morigius in Summario lib. 1. cap. 12 asseuerat, Diuum Albertum esse ciuem Mediolanensem. Eum autem euectum fuisse ad Sedem Laudensem, adhortante S. Galdino Cardinali Archiepiscopo Mediolani, testatur Vghellus tomo antea memorato.

3. Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanen., vti testis oculatus, rem dilucidè & verè tractat. Neque enim hìc iacet S. Vldericus Episcopus Augustæ Vindelicorum, cuius hodie fit mentio in Martyrologio Romano (quâ in re hallucinatus est Glussianus in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 9., & Ferrarius in calce Catal. SS. Italiæ pag. 86.) verùm Vir alter spectatæ Sanctimoniæ, quem alij appellant *Oldericum*, vt in Calend. acephalo M.SS., alij *Vldaricum, Vdalricum, Vlricum, & Ardericum*. Existimat autem idem Carolus a Basilica Petri, hunc virum, quem ait vocari *Henricum*, Abbatem aliquem fuisse natione Anglum, vitâ defunctum Mediolani: propterea quod in ipsius tumulo idem Carolus a Basilica Petri iussus a S. Carolo Borromæo inuenerit *circulos æneos, quibus baculus Pastoralis ligneus cingebatur*, atque in eisdem *hæ literæ insculptæ erant: Henrico Higudstanno Dilecto Filio*. Et quamquam in Calendario Ambrosiano indicari soleat Ecclesia, in qua eorum Cælitum Corpora requiescunt, quorum Officium iden-

tidem peragitur, atque hodie ob Festum S. Vlderici Augustani Episcopi, Basilica Apostolorum vulgò Nazariana indicetur; cùm tamen ex Carolo a Basilica Petri, ex Radero in Bauaria sacra, Puricello in Monum. Basil. Ambros. num 472., atque alijs Scriptoribus, Corpus S. Vlderici conditum sit Augustæ: iccirco mentionem eam in hoc loco Calendarij Ambrosiani gauderem obliterari: ne rudes in errorem inducantur. Certè in Lectionario Ambrosianoromano, cùm monstrentur Templa, in quibus requiescunt Corpora Sanctorum, hâc die nulla eiusmodi Ecclesia indicata est pro sepultura Vlderici Augustani.

Cæterùm eum tumulum, qui in ara eidem Sancto dicata est inclusus, curationum gratiâ esse illustrem, probat religio Populi Mediolanensis, & anathemata argentea plurima, quæ oblata sunt Diuo Henrico; illius verò Corpus in Altarj S. Carolus conclusit, postquam habuit Concilium Prouinciale Quintum: atque adhuc S. Henrici annulus circunfertur ad ægrotos. Huius itidem S Henrici meminit Vghellus tomo 4. Italiæ sacræ, idem Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5 cap. 6., & Puricellus, nō modò in Monum. Basil. Ambros. num. 472., sed etiam in Dissertat. Nazariana cap 85, 150, & 164.. Hinc frustra est Andreas Alciatus in Libro *de Formula Romani Imperij*, ratus hunc Ardericum, qui colitur in Basilica Nazariana, esse Ardericum Cottam Archiepiscopum Mediolani: cùm tamen ex testimonio Auctorum constet, hunc Ardericum, siue Henricum, fuisse Abbatem, non autem Archiepiscopum.

OCTAVO IDVS IVLII.


Ediolani Sancti Ampellij eiusdem vrbis Episcopi, cuius Sanctitatem Deus miraculorum multitudine & magnitudine testatam fecit.

IVLII 8.

EX Missali, Breuiario, Calendario Ambros. impresso & acephalo M.SS., ex Libro Successorum S. Barnabæ, Ripamontio Dec. 1. lib. 8. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, ex omnibus denique Scriptoribus rerum Mediolanensium, ex Vghello tomo 4. Italiæ sacræ, ex Brautio, qui inter Sanctos mensis Februarij S. Ampellium laudat:

Post obitum, qualis fuerit, portenta probarunt
Ampelius, signis iustificata nouis.

Corpus S. Ampellij translatum est a S. Carolo Borromæo anno MDLXXXII., vt in Vita eiusdē S. Caroli scripta a Glussiano lib. 6 cap 14, & a Carolo a Basilica Petri lib. 6 cap. 2.

Porrò licèt S. Ampellius desierit viuere sexto Idûs Februarias: attamen octauo Idûs Iulij celebratur eiusdem Festiuitas; primò, quia dies octaua Februarij colitur Officio Solemni propter Depositionem S. Honorati Archiepiscopi, qui, cùm descriptus sit in Martyrol. Romano, & sit multò antiquior, inde ab Ecclesia Mediolanensi præfertur Diuo Ampellio. Secundò, quia, si credimus Vghello, hâc die octauâ Iulij Ampellius relatus fuit in numerum Sanctorum ab Ioanne V. Pontifice Maximo. Quòd autem S Ampellius fuerit ascriptus hâc die Sanctorum Albo ab Ioanne V., qui præfuit Ecclesiæ Dei ab anno DCLXXXV. vsque ad annum DCLXXXVI, si fides Onuphrio Panuinio in Chronicis Ecclesiasticis, videntur aduersari Angelus Rocca & Carolus Felix de Matta, qui in Libro de Canonizatione Sanctorum tradunt anno DCCCIII. cœpisse viros Sanctimoniâ vitæ præcellentes in Sanctorum numerum cooptari. Nisi dicere malimus cum Felice Contelorio lib. de Canonizatione Sanctorum cap. 3. multò antiquiorem fuisse hanc Cæremoniam, eamque a Testamento vetere profectam. Demum Bucelinus hâc die in Libro, quem inscripsit: *Sacrarium Benedictinum*, mentionem facit S. Ampellij.

SEXTO IDVS IVLII.


Omæ Sancti Ianuarij Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Mariæ Pacis deuotè asseruatur. Item Romæ Sancti Mauritij Martyris, cuius Corpus in Templo Beati Antonij Abbatis honorificè custoditur.

IVLII 10.

EX Tabulario vtriusque Ecclesiæ, vbi hodie S. Ianuarius & S. Mauritius coluntur Officio Ritûs Duplicis. Cœnobium verò S. Mariæ Pacis insigne est, non modò conditoris Sanctimoniâ (de quo infra quarto Idûs Augusti) verùm etiam Cœnobitarum pietate; idque constabit ex animaduersionibus Sanctorum Confessorum, quos Calendis Nouembribus memorabimus.

QVARTO IDVS IVLII.


Ediolani Sanctorum Martyrum 1. Naboris & Felicis, qui in persecutione Maximiani immanissimis supplicijs cruciati, tandem securi percussi, coronam immortalem martyrij perceperunt. Eodem die prope Vicum Cauarniæ, in Diœcesi Mediolanensi, Sancti 2. Vgutionis Martyris. Molinati in eâdem Diœcesi Sanctæ Martiæ. cuius Corpus Româ illuc translatum est.

IVLII 12.

1. NON hic solus Nabor, neque vnus Felix, sed alij etiam Martyres eiusdem nominis Martyrium Mediolani pertulerunt, vt docebimus in Notis Calendarum Nouembrium. Cæterùm SS. Naboris & Felicis meminere Breuiarium Romanum & Ambrosianum, Missale item Romanum & Ambrosianum, Martyrologium Romanum, S. Ambrosius, Mombritius, Liber M.SS. in Sacrario Basilicæ Franciscanæ, Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediolanen. in Vita S. Materni, Baronius tomo 2. Annalium ad annum CCCIII., Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 2., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Alciatus lib. 3. Hist. Mediolanen., Bagatta tomo 2. admirandorum, atque omnes Scriptores rerum Mediolanensium. Etiam Brautius in Martyrologio Poetico, & Bulzius in Larario meminerunt SS. Naboris & Felicis. Illud est Distichon Brautij.

Militia claros dilexit & auxit honore
Rex orbis, cuius non erat ipse capax.

Hoc verò est Epigramma Bulzij:

De SS. Nabore & Felice Martyribus.
Ex eorum lipsanis mel effluit.

Clausa sigillatis dum fert sacra Busta diotis
Trissina, custodes mella latere docet.
Peruicus vt positis scrutatur vasa terebris
Excubitor, subitò mella liquata fluunt.
Credite lac aliàs Diuos, dum cæderet ensis
Stillasse; & cineres dulcia mella ferunt.

Trissina, autem est cognomen S. Sauinæ, de qua supra die 30. Ianuarij.

Iacentne verò adhuc in Basilica sua, quæ nunc S. Francisci appellatur? Negat Ferrarius secutus Sigebertum vnà cum Chalco lib. 11. Hist. Patriæ: atque ait, circa annum salutis DCCLXIV. vnà cum Corporibus trium Regum Magorũ translatos fuisse Coloniam Agrippinam. Verùm quomodo anno DCCLXIV. transferri potuerunt cũ Corporibus Regum Magorum, quorum Corpora aducta sunt Coloniam anno MCLXIV., post-

quam

quam Ænobarbus solo æquauerat Mediolanum? Adhuc igitur in ara maxima suæ Basilicæ asseruantur: atque ea somnia delatorum aliò Corporum SS. Naboris, & Felicis confutat Carolus a Basilica Petri in Vita S.Materni, & Puricellus in Monum.Basil.Ambrosianæ num.422., 460., & 461.. Recondidit autem ibi ea Corpora S. Carolus Cardin. Archiepiscopus die decimâ quartâ Septembris anno MDLXXI., inuenta priùs in arca silicea, quam ibidem describit Carolus a Basilica Petri, ac testatur etiam in Vita eiusdem S. Caroli lib. 3. cap. 6., & Glussianus itidem in eiusdem Vita lib 2 cap. 29.; quod manifesti erroris conuincit Sigebertum, Ferrarium, Corium, & alios Scriptores, qui Corpora SS. Naboris & Felicis Mediolano exportata fuisse tradiderunt. Eodemque errore sunt lapsi auctores Chronicorum Saxonici & Bambergensis citati ab Ansossio in Libro de Cultu sacr. Reliquiarum §. 11. num. 20.

2. Cauarnia Vicus Montanus est inter Lacũ Larium & Lucanum in Plebe Proletiæ, clarus tantùm Diui Vgutionis tumulo. Huc etiam Pastor bonus S.Carolus euasit: visitauit Ecclesiam dicatam Diuo Vgutioni, in qua humatus est: quemadmodum docet Glussianus in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 16.. Celebrat Ecclesia Laudensis Festum S. Vgutionis ritu duplici: eiusque meminit Calendarium acephalum M SS., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, & Carolus a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanensis: isque Diuus Vgutio, vocatur ab alijs *Vguzonus*, *Lucius*, *Vguzo*, *&* *Luguzonus*, Neque excidit S. Vgutio in Martyrol. Poetico, siquidem Brautius hæc cecinit.

De S. Vguzone Pastore & Mart.

A primo pulsus, quoniam benefecit egenis,
Alterius Domini Pastor adauxit oues.

De causa martyrij eiusdem S. Vguzonis.

Inuidia Dominum rebus stimulante minutis,
Insons Vguzo damna cruore luit.

De Fonte loci martyrij eiusdem S. Vguzonis.

Sanguis vbi cecidit Pastoris cæde perempti,
Fons ortus medicis sponte rubescit aquis.

Huiusce quoque fontis miracula carmine complexus est Bulzius elegantissimè.

De

De S Vguzone Martyre.

Annua die, qua cæsus est, fons ortus in eius obitu rubescit.

Nex vbi funestis illata est improba telis,
Saxea fontanas terra profundit aquas.
Annua sacrilegæ cùm lux necis atra recurrit,
Viscere de grauido, quæ fluit, vnda rubet.
Deflet humus, cùm fundit aquas, scelus, anxia fundens
Rubras; sanguineis deflet humus lacrymis.

Sancti verò Vgutionis, quemadmodum etiam S. Gerardi Modoetiensis, & S. Nici Besutiensis, atque aliorum cultum probauit S. Carolus, tum ob religionem inueteratam populorum, tum quia Diui Vgutionis nomen in Calendario vetusti Missalis Ambrosiani erat descriptum. Plures sacræ Ædes in Diœcesi Mediolanensi nuncupatæ sunt S Vgutioni, quarum vna in Curia Modoetiensi continetur. Perperam autem Ferrarius collocat Pagum Cauarniæ in Diœcesi Comensi, vt facilè norint, qui Scriptores antea memoratos euoluent. Cauerniam appellat Sigismundus Boldonus in Topographia Lacûs Larij, vbi efferos Cauernionum mores describit.

3. Ex Tabulario Ecclesiæ Molinati, quæ est in Plebe Vgloni; quod Oppidum appellat Gaudentius Merula lib. 1. de Antiquit. Galliæ Cisalp. cap. 7. *Eugion*. Benedictus Sociacus vocat *Eugeon*, ac commendat carmine lib. 6. Epigrammatum, sicuti nonnulla alia Mediolanensis agri Oppida. Item eiusdem Oppidi Vgloni siue Eugeon meminit Ripamontius lib. 3. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ in topographia collium Briantæorum.

TERTIO IDVS IVLII.



MEdiolani in Basilica Portiana Sancti Fortunati Episcopi, qui Episcopalem infulam Martyrij coronâ redimiuit. 1.
Ibidem in Ecclesia Sancti Thomæ 2.
Commemoratio plurium Sanctorum, quorum Reliquiæ hâc die vnà cum Corpore Sancti

Iusti pueri, & parte Crucis Boni Latronis, illuc Solemniter translatæ, iugi Fidelium cultu adorantur.

IVLII 13.

1. EX Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ vnà cum pluribus alijs Scriptoribus Mediolanensibus, qui libellos de Basilicis Mediolanensibus ediderunt: item ex Visitatione S. Caroli, & consuetudine huiusce Templi, vbi hodie recitatur Officium Ritu Duplici de S. Fortunato.

2. Ex Tabulario Ecclesiæ S. Thomæ, quam Collegio Canonicorum auxit S Carolus anno MDLXXIV. (vti discimus a Glussiano in Vita S. Caroli lib. 3. cap. 5) & ex Libro M.SS. in Bibliotheca Ambrosiana, cui titulus: *Il sacro Tesoro di Girolamo Bonardini da Orvieto &c. vol. 1. e 11.*. Huiusce Ecclesiæ meminit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 54. num. 14, Morigius in Sanctuario, Ioannes Rò in Libro, quem inscripsit: *Sabati del Giesu di Roma* exemplo 33., & alij Scriptores Mediolanenses. Quare autem hæc Ecclesia, Diuo Thomæ Apostolo nuncupata, appelletur vulgò *in Terra Amara*, consule eundem Puricellum loco paulò antè citato; qui negat, hoc cognomen illi inditum fuisse ob commissa inibi certamina inter Catholicos & Arianos: sed quia homines flagitiosi in eius Templi area Crucis supplicio necarentur: atque ideo *in Terra Amara* & *in Terra Crucis Sicariorum* Ecclesiam illam fuisse vocatam. Cæterùm pars illa Crucis S. Dismæ Boni Latronis exponitur Fidelium venerationi in Ara Beatæ Virginis octauo Calendas Aprilis, quòd eo die in Romano Martyrologio mentio fiat Boni Latronis. Constat verò illam dono datam fuisse ab Eminentissimo Francisco Auila Cardinali Tit. S. Crucis in Hierusalem, annuente Clemente VIII. Summo Pontifice, vti ex literis eiusdem Cardinalis Auilæ ad Cardin Federicum Borromæum Archiep. scriptis decimo quarto Cal. Septembris anno MDCIII.. Porrò hæc pars Crucis Boni Latronis vnà cum Corpore S. Iusti atque alijs Reliquijs circumlata est per vrbem absoluto Concilio Prouinciali VII.: ac deinde anno

anno MDCXIV. comitantibus supplicationem Ædilibus ac Decurionibus vrbis, prælato vexillo vrbano S. Ambrosij, nobili, religiosâque celebritate iterum translata est. Hæ verò Reliquiæ partim Româ, partim Coloniâ Agrippinâ, Mediolanum deuectæ operâ & impensâ Iacobi Castoldi, viri eximiè pij, ditauerũt Vrbis & Diœcesis Ecclesias, vti narrant Bonardinus & Riuola in Vita eiusdem Cardin. Federici Borromæi lib. 4. cap. 9.

PRIDIE IDVS IVLII.

BRixiæ Sancti Optatiani Episcopi, Ciuis Mediolanensis, qui super candelabrum illius Ecclesiæ positus, egregiæ Sanctitatis lumine coruscauit.

IVLII 14.

BRixiensem Ecclesiam laudibus extollit Cardin. Baronius in Annalibus Ecclesiast. ad annum CDLI. hæc scribens: *Brixiana Ecclesia nobilitata sanguine Martyrum, Sanctis quoque Episcopis Philastrio, Gaudentio, & alijs pluribus illustratur*. S. Optatianum verò laudat hâc die Faynus in Martyrologio Brixiano, ac simul auctores ab eodem in Notis citati. Excidit illi tamen Ferrarius in Catal SS. Italiæ, qui Diuum Optatianum ait esse *ignotæ Patriæ*. Attamen Vghellus tomo 4. Italiæ sacræ eundem *Mediolanensem* appellat; neque putandum est, hunc auctorem, alioqui cordatum, in bicipiti somniasse Parnasso: vt eum Mediolanensem ciuem esse diceret. Nomini Diui Optatiani alludit Brautius.

Vt foret optatis compos, non lumine somnum
Aspexit: membris nec fuit vlla quies.

Porrò hunc alij vocant *Octauianum*; verùm Baronius in Notis Martyrol. Rom. & Faynus in annotationibus aiunt, mendosè legi *Octauianum*. Ferrarius hoc pacto dirimit litem: *vt cùm non magna nominis differentia sit, videatur idem, qui Octauianus & Opta-*

& Optatianus vocatur. Certè in Libro de Metropoli Mediolanensi, qui auctore Carolo a Basilica Petri prodijt, num. 11., Epistolæ Synodali, cui subscripsere omnes Mediolanensis Prouinciæ Episcopi, legimus: *Octauianus Brixianæ*; eam verò Epistolam exarauerat S. Eusebius (de quo infra die duodecimâ mensis Sextilis) Archiepiscopus Mediolani S. Leoni Magno: eundemque Antistitem Brixiæ Baronius in Annalibus Ecclesiast. vocat *Octauianum*.

DECIMO SEPTIMO CALENDAS AVGVSTI.

ROmæ Sancti Fausti Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis requiescit.

IVLII 16.

EX Tabulario Templi Antoniani, vbi hodie fit Officium Ritu Duplici de S. Fausto, cuius Corpus religiosè ibidem conditum, sicuti alia omnia lipsana eiusdem Sacræ Ædis, egregio cultu conseruatur.

Templum hoc Antonianum tot sacra lipsana locupletant, vt huc cryptam aliquam Romanam censeas commigrasse. In Sacello Triuultiano plures Reliquiæ asseruantur, quarum nomina inibi incisa sunt in Tabulis marmoreis, præter alias Insignes conditas in Sacrario, puta SS. Martyrum Honesti, Donati, Cari, Constantij, Iulij, & Emmanuelis. Nomen autem Emmanuelis inditum fuisse olim Christianis facilè crediderim, sicuti etiam Saluatoris. Certè septimo Calendas Apriles legimus in Romano Martyrologio Emmanuelem Martyrem: & in Martyrologio Comensi Quinto Cal. Nouembris reperimus Saluatorem Martyrem, cuius Corpus effossum fuit ex Cœmeterio Priscillæ.

Quando autem nomen Mariæ maribus cœperit imponi, nondum inueni. Ripamontius lib. 3. Hist. Patriæ hæc tradit de Ioanne Maria Infante, quem Dux Ioannes Galeatius Vicecomes ex Catharina vxore susceperat. *Idem dixere Sacramentum* (hoc est

est legati Mediolanensium) *Ioanni Mariæ filio infanti, qui anno eodem ad Abiatum natus Principi ex Catharina vxore erat: dixerantque parentes id puero nomen ex voto, quod nuncupauerant, dicantes Sanctissimæ Virgini Mariæ prolem, quæ ex eo matrimonio nasceretur*; Philippum quoque eiusdem Ioannis Mariæ fratrem parentes eodem Mariæ nomine insigniuerunt. Fortè tum cœpere parentes eiusmodi nomen maribus indere. Sunt, qui masculinam omnem prolem Mediolanensibus eo seculo perijsse asseuerent: ac proinde voti causâ, nomen Mariæ fuisse maribus positum, nouamque eiusdem Deiparæ nomini Ædem ædificatam, quà nunc admiranda Templi Metropolitani moles assurgit. Nos huic sententiæ fidem adimere, neque tribuere audemus. Sanè in eorum seculorum Tabulis barbaras planè voces & inaudita mortalium nomina inuenimus, videlicet *Bartolam* pro *Bartholomæo*, *Barnabouem* pro *Barnaba &c.*, quæ Gothicam & Longobardicam barbariem olent: cùm nunc appellatio nominum dulcior successerit, & Ecclesiasticis vocibus magis congruens.

DECIMO SEXTO CALENDAS AVGVSTI.



Mediolani Sanctæ 1. Marcellinæ Virginis, sororis Beati Ambrosij Episcopi, quæ Romæ in Basilica Sancti Petri a Liberio Papa velum consecrationis accepit: cuius etiam sanctitatem idem Beatus Ambrosius scriptis suis testatam facit. Papiæ Sancti 2. Ennodij eiusdem Ciuitatis Episcopi, Ciuis Mediolanensis, sanctitate & doctrinâ clarissimi.

IVLII 17.

1. Martyrol Romanum, Breuiarium & Missale Ambros. cum Præfatione propria, itemque sacræ Ædes, ac plurima Sacella Diuæ Marcellinæ dicata in Diœcesi,

cesi, eius sanctimoniam testificantur. Anno pariter MDCLX. exijt e typis Cameræ Apostolicæ Officium cum Hymnis proprijs de S. Marcellina ad vsum Sanctimonialium S. Ambrosij de Maxima in Vrbe. De ea agit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Baronius in Annalibus, Scriptores rerum Mediolanensium, & nouissimè Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 19. & 98., ac in Dissertat. Nazar. cap. 56., vbi indicat, quâ in regione vrbis Mediolani Marcellina domicilium suum collocasset. Illam item commendat Picinellus in elogijs extemporalibus, Brautius in Martyrologio Poetico.

Marcellina soror Magni Doctoris ad astra,
Reginas inter rapta decora sedet.

Denique Bulzius hoc tetrasticho.

S. Marcellina virgo
die Christi natalitio velatur a Pontifice.
Muneris immemorem Terram ne dicat Olympus:
Par studet, vt potis est, Terra referre pari.
Velatum qua luce Deum dant sidera Terræ:
Velatam Cælis dat quoque Terra Deam.

Quòd verò Cardin. Baronius ait, Diuam Marcellinam vitâ defunctam esse Romæ, ac postea tumulatam Mediolani, refragatur omnino Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 19. atque colligi potest ex cap. 56. num. 13. Dissertationis Nazarianæ, in quo fusè agit de obitu & sepulchro Marcellinæ, allato etiam Epitaphio, cuius est exordium:

Marcellina, tuos cum vita resolueret artus,
Spreuisti patrijs corpus sociare sepulchris &c.
Quamuis Magna pio suspiret Roma dolore,
Tertia quòd sacri patitur iam damna sepulchri &c.

Tertia enim erant damna Romanæ vrbis, cùm videret ciues suos Sanctissimos Ambrosium & Satyrum, denique etiam Marcellinam Mediolani conditam esse. De Basilica autem Ambrosiana agit Morigius in Sanctuario, Villa de Septem Ecclesijs, Puricellus in eiusdem Monumentis, atq; alij plures.

2. De Natali solo Diui Ambrosij disputat eruditè, de more Theophilus Raynaudus, Viennensibus & Arelatensibus tanti Doctoris sibi cunabula vendicantibus. Quod igitur Vienna in

Gallia & Arelate certatim volunt: hoc mihi pariter contendendum est ab Arelate & Papia: singulis ijs vrbibus S. Ennodium ciuem suum esse affirmantibus Ego interea afferam pro Mediolano testimonium Sirmundi viri doctissimi, qui Vitam Diui Ennodij a se collectam, in fronte fere eius Operum collocauit. *Magnus Felix Ennodius* (ait Sirmundus) *Gallum se prosapia, Gallisque parentibus procreatum, non semel testatus est. An verò in Gallia, hoc est Arelate, vnde illi Origo, & quam dulcem sedem vocat: an, quod potiùs reor, in Liguria Mediolani natus sit, incertum reliquit. Mediolani certè a puero larem habuit &c.* existimat igitur potiùs Sirmundus, Ennodium natum esse Mediolani: eoque titulo domicilij & etiam Natalis soli *sibi Diuum Ennodium percharum esse* profitetur Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 4., de quo ibidem plura, & nonnulla quoque scribit in Dissertat. Nazar. cap. 66.: ac nos alia de eodem proferemus paulò pòst, cùm de S. Theodoro Archiepiscopo.

Neque verò ab Arelatensibus & Ticinensibus malam gratiam inire velim, quòd Diuum Ennodium esse Ciuem Mediolanensem affirmauerim; siquidem secabimus hoc pacto litem, videlicet vt illi quoque eundem sibi ciuem repetant. Quod Ecclesia Romana statuit inter Panormitanos & Catanenses pro Diua Agatha ciue suâ: id nos etiam constituamus: vt Ennodium veneremur, quem Mediolanenses, Papienses, & Arelatenses ciuem suum esse dicunt; quamquam Vghellus tomo 1. Italiæ Sacræ asseueret, Diuum Ennodium *donatum fuisse Ciuitate Papiensi*: vt proinde concertatio exercere tantùm Mediolanenses & Arelatenses possit, an in alterutra vrbe, an in Gallia Cisalpina, aut Transalpina, S. Ennodius ortus sit.

De eodem S. Ennodio agit Martyrol. Rom., Baronius in Annalibus, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Gualla, Breuentanus, Spelta, & Hieronymus Bossius in Diptychis Episcoporum Ticinensium, Andreas Schottus e Societate Iesu in Notis ad opera Diui Ennodij, Sirmundus, Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ, Vghellus, denique Brautius.

Ennodij nullus poterit numerare labores
Pro Domini quantos iure domoque tulit.

Plura

Plura item scripsit Anfossius de S. Ennodio in lib. de Sacrarum Reliquiarum cultu §. 12. & 13., necnon § 5. num. 36., vbi docet, Canonicos Insignis Ecclesiæ S. Michaelis Papiæ *consueuisse in Festo SS. Eleuchadij Rauennatis & Ennodij Papiensis Episcoporum totum recitare Officium, vno Choro lingua Græca, altero Latina respondente;* quem Ritum S. Ennodius induxerat etiam in Ecclesiam Suburbanã S. Victoris: isque *mos perdurauit vsque ad tempora Papæ Ioannis XXII.*, vt ibidem testatur Anfossius §. 12. num. 21. & paulò infra trademus.

DECIMO QVINTO CALENDAS AVGVSTI.


MEdiolani Sancti Materni Episcopi, qui sub Maximiano Imperatore pro Fide Christi, & pro Ecclesia sibi commissa, in carcerem detrusus, & sæpe verberibus cæsus, tandem multis confessionibus clarus obdormiuit in Domino.

IVLII 18.

DE S. Materno vide Breuiarium Ambros., itidem Missale cum Præfatione propria, Martyrol. Rom., Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Catal M.SS., Librum item M.SS. Sacrarij Franciscani, Vitam eiusdem M SS. auctore Bonauentura Castillionæo, Alciatum lib. 3. Hist. Mediol., Baldesanum in Hist. S. Mauritij lib 1., Cardinalem Baronium in Annalibus, Mombritium, Vghellum tomo 4. Italiæ sacræ, Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ, Ripamontium Dec. 1. lib 2. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, Ioannem de Deis in Libro Successorum S. Barnabæ, Besutium in Hist Pontificali Mediolani, Puricellum in Dissertat. Nazar cap 36., Michaelem Pizolpassum in codice M.SS., qui superest adhuc in Bibliotheca Ambrosiana, Chalcum lib 1. Hist. Pat., Galesinium in Martyrol., Officia propria Sanctorum Ecclesiæ Comensis in Lectionibus S Carpophori, Carolum a Basilica Petri in Hist. Mediolani in Vita S. Materni,

& in opuſculo de Metropoli Mediolanenſi num. 8., Pucinellū in Zodiaco Mediolanenſis Eccleſiæ, denique Brautium:

Presbyter & Præſul vitæ diſcrimen adiuit:
Sæpius & fuſtes, duraque vincla tulit.

An verò Maternus appellatus fuerit *Iulius Maternus*, an *Maternus* tantùm: Cardinalis Baronius priori ſententiæ ſuffragatur ad annum CCCXXXVII.: pro ſecunda pugnat Ripamontius, qui in Libro antè memorato reſpondet Baronio. Errat verò maximè, qui in latere paginæ Martyrol. Italici dicit, Maternum abijſſe ad Superos anno circa CCCLXXX.; cùm iam anno CCCLXXIV. Pontificatum Mediolanenſem iniuiſſet Ambroſius S. Materni Corpus iacet in Baſilica SS. Naboris & Felicis, vulgò S. Franciſci, de qua Morigius in Sanctuario, Villa de Septem Eccleſijs, & alij.

DECIMO QVARTO CALENDAS AVGVSTI.

MEdiolani Sancti Theodori eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, cuius laudes Sanctus Ennodius Epiſcopus Ticinenſis carmine celebrauit.

IVLII 19.

ACta Mediolanenſis Eccleſię commendant egregiè Theodorum: *vir optimus & ſapientiſſimus, cùm Clerum & Populum vnicè in Chriſto dilexit, tum valde beneficus erga egentes homines, Parens pauperum vulgò vocatus eſt*. Idem teſtatur Beſutius in Hiſt. Pontific.: ac de eo plura tradit Puricellus in Vita S Laurentij Littæ: ac nos nonnulla ſcripſimus ſupra die vndecimâ Februarij. Anniuerſario igitur cultu Inſignis Clerus Baſilicæ Laurentianæ colit S. Theodorum, in cuius ara maxima Sacri eiuſdem cineres conquieſcunt.

S. Ennodius ſcripſit de S. Theodoro Epigramma, quod videre eſt in eiuſdem operibus, ac in Libro Succeſſorum S. Barnabæ. Eius eſt initium:

Tu lux certa tuis, spes tu fidissima rerum,
Vatis Apostolici tu Theodore vigor.

Si quis autem quærat, cur S. Ennodius Mediolanenses Archipræsules carmine commendauerit, respondebimus facilè ex ijs, quæ paulò antè tradidimus. Etenim S. Ennodius fuit Ciuis Mediolanensis: vel certè ex sententia Sirmundi *Mediolani à puero larem habuit*, & quidem prope Templum Diui Victoris (quemadmodum idem Sirmundus animaduertit in Notis ad Eucharisticum S. Ennodij) cuius ope lethalem morbum vicit. Siue igitur Ennodius Mediolani ortus sit, siue domicilio vsus, rem Ambrosianam dilexit admodum: ideoque huiusce Metropolis Antistites Sanctissimos Ambrosium, Simplicianum, Venerium, Marolum, Martinianum, Clicerium, Lazarum, Eusebium, Geruntium, Benignum, Senatorem, & Theodorum versibus exornauit. Ob deuotionem autem erga S. Victorem Diuus Ennodius Sacram Ædem illi ædificandam curauit in suburbijs Papię, *in qua ordinauit fieri Officium Diuinum, & ab vno Choro in lingua Græca, & ab alio lingua Latina responderi*, vti meminit Ansossius de Sac. Reliquiarum cultu § 12. num. 21.

DECIMO TERTIO CALENDAS AVGVSTI.



SAnctæ Margaritæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Basilica Sanctorum Naboris & Felicis hodie publicæ venerationi exhibetur.

IVLII 20.

ET hæc Sancta Margarita colitur eo die, quo omnis Ecclesia Margaritam Antiochenam veneratur. An verò hæc sit illa eadem, quæ martyrium subijt Antiochiæ, statuere non audeo. Equidem puto plures fuisse Margaritas, Cæcilias, Apollonias, & quidem ex Sociabus S. Vrsulæ, quarum similitudo nominis hunc in errorem (quem supra arguimus) Eccle-

siarum

ſiarum Præſides induxerit: vt omnes deinde cenſuerint, ſe habere Corpus Margaritæ Antiochenæ, Cæciliæ Romanæ, & Apolloniæ Alexandrinæ, aut ſaltem earundem Reliquias. Certè Mediolani hodie in Eccleſia S.Eraſmi proſtat Fidelium adorationi Caput S.Margaritæ; vnde putandum eſt, alterius eſſe Margaritæ, quàm quæ paſſa eſt Antiochiæ, aut quæ aſſeruatur in Baſilica Franciſcana. Hinc dentes prope innumeri S.Apolloniæ: hinc eiuſdem Sanctæ duo Capita, alterum Romæ in Baſilica S.Mariæ Tranſtyberinæ, alterum Mediolani in Baſilica Nazariana, cuius inibi teſtimonium legimus in Epigrapha ad aram maximam.

Diuæ Apolloniæ Caput
Hoc ex Tranſyluania Diuini numinis benignitate deportatur,
Et huic religioſo Templo
a Franciſco Caldarino ſumma cum pietate oblatum,
In hoc loco opera Franciſci Cuſani
huius Templi Canonici integerrimi aſſeruatur.
III. Cal. Auguſti MDLII.

Potuit enim Sanctiſſimi huiuſce Capitis pignus diu a Chriſtianis per varias orbis terrarum plagas circunferri, vt Barbarorum incurſionibus ſubduceretur: donec ad manûs religioſiſſimi viri Franciſci Caldarini perueniret, qui celeberrimam deinde Nazarianam Baſilicam eo Capite locupletauit. Ita Corpus S. Cæciliæ (de quo infra) plurimis in locis reperitur; *cauſa* (doctiſſimus ait Suarez in 3. p. tomo 1. quæſt. 25 diſput. 55 ſect. 2. dub. 1.) *interdum eſſe potuit, quia Sancti fuerunt eiuſdem nominis, & ſucceſſu temporis, vtriuſque Reliquiæ eiuſdem perſonæ exiſtimatæ ſunt, & propter nominis ambiguitatem illi attributæ, qui maioris habetur gloriæ & ſanctitatis*. Sanè apud Ferrandum in lib. 1. cap. 4. articulo 1. Diſquiſitionis Reliquiariæ enumerantur tres Auguſtini, ſexagintaduo Felices, quatuor Bernardi, quinque Athanaſij, tredecim Antonini, duodecim Cyrilli, nouemdecim Dionyſij, tres ſupra triginta Petri, vnus & quadraginta Ioannes, ſex Antonij, & trigintaqui nque Iuliani. Et quamuis in Martyrol. Romano vnam tantùm Apolloniam, Cæciliam, & Margaritam Virgines, & Martyres inueniamus: attamen reſpondet Ferrandus, *quid tum? An*

ideo nullam Diuam Cæciliam toto orbe Christiano extitisse crediderim? Quasi verò omnium Cælitum nomina in sacros fastos relata fuerint? Aut (quod obijcit Ferrandus Anfossio) *vniuersarum Ecclesiarum Martyrologia videre ac euoluere potueris?* vt proinde nonnisi vna Cæcilia, vna Margarita, vna Apollonia indicetur; cùm hæc nomina celebrium Virginum frequentissimè fœminis imponantur? Verùm disputationem hanc omittamus; siquidem multiplices eiusdem Sancti eædemque Reliquiæ multis in locis coluntur: nec tamen Christianæ Religioni ea multiplicatio officit, quin cultum videatur certatim in populis augere, pro Sacrorum lipsanorum possessione acerrimè decertantibus. Atqui paulò infra plures indicabimus Apollonias & Cæcilias.

Siue igitur sit Margarita Antiochena, siue alia quæpiam Virgo, quæ pudicitiam suam Martyrio decorauerit, in hac Basilica iacet; nec quidquam pensi habeant Rectores, Præsidesque Ecclesiarum, cùm Sacrorum Corporum, aut Reliquiarum pignora alibi etiam asseruari intelligant. Id familiare est, atque Sacrarum Ædium dignitatem nihil immutat, quandoquidem, aut pars Corporis eiusdem alibi custodiri potest, aut ex nominis similitudine error subrepere.

Cæterùm Basilica Franciscana celeberrima est, quam Philippus, vir summâ pietate, tumulandis SS. Martyribus addixit, & S. Caius Archiepiscopus consecrauit. Hanc Basilicam Leo Peregus, ex Ordine Franciscanorum, Archiepiscopus Mediolani, translato veteri Canonicorum Collegio ad Sacram Ædem Fulconis, vulgò Fulcorinæ (quemadmodum narrat Lucas Vuadingus tomo 2. Annalium Franciscanorum ex diplomate Alexandri IV. Summi Pontificis) tradidit Ordini Minorum Conuentualium S. Francisci. Hinc, quæ olim vocabatur Basilica SS. Naboris & Felicis, & quidem celebris testimonio S. Ambrosij, & Inuentione Corporum SS. Geruasij & Protasij, adiecto amplo Sacræ Ædis incremento, cœpta est appellari S. Francisci.

DECIMO CALENDAS AVGVSTI.



Translatio Corporum Sanctorum Regum Magorum Mediolano Coloniam Agrippinam.

IVLII 23.

DEplorandam hanc Translationem missam facere nequimus, quoniam eius meminere Scriptores multi, & præsertim Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio desiderantur. Chalcus vult, ea Corpora fuisse Mediolano exportata quarto Idûs Iunias, & quidem ex Basilica Eustorgiana: Menochius verò in Libro citato supra in Notis diei sextę Ianuarij putat, quinto Idûs Quintiles fuisse translata; quod a veritate adhorret. Tattus Dec. 2. lib 6. Sacrorum Annalium Comi num. 27 vnà cum Melchiore Inchofer (cuius in mense Ianuario meminimus) auctor est, deuecta fuisse Coloniam duodecimo Calendas Sextiles anno MCLXIV.; hanc verò Translationem ait Coloniæ celebrari quotannis hâc die: idque tradit ex fide Andreæ Sausay in Supplemento ad Martyrologium Gallicanum die vigesimâ tertiâ mensis Iulij. Summâ quidem veneratione seruantur in Templo maximo Coloniæ: adeo vt frequentissimi illuc Fideles peregrinentur religionis causâ; & quà tanta pignora deuehebantur a Raynaldo Archiepiscopo Coloniensi, sacras passim cellulas secus flumen excitatas fuisse intelleximus. Grandati (qui pagus tertio ab vrbe Comi lapide distat) in Ecclesia Parochiali primùm collocata fuisse SS. Magorum Corpora, postquam Mediolanensibus fuerunt erepta, testatur Tattus Dec. 2 lib 6. supra citato: eamque Ecclesiam ideo per quatuor & ampliùs secula appellatam fuisse *Pausæ Sanctorum*, quòd ibi primùm Corpora Sanctorum Regum quieuerint, factâ quâdam longi itineris pausâ, triginta trium videlicet milliariorum; citatissimis enim equis hostes vorauerant viã: ne Mediolanenses sacratissimam prædam assequi possent.

Sunt, qui apud Ferrandum in lib. 1. cap. 4. artic. 1. Disquisitionis Reliquiariæ putant, Corpora SS. Fratrum Machabæorum Mediolano fuisse Coloniam exportata: verùm eosdem hallucinari satis appâret ex fide Auctorum. Huiusce item Translationis mentionem iniecimus initio operis: ac ibidem memorauimus causam, quâ permoti hostes Corpora SS. Magorum, non autem alia, & quidem pretiosa lipsana nobis eripuerint; quandoquidem falsum est eâdem Mediolanensibus operâ sublata fuisse Corpora SS. Naboris & Felicis, vt perperam tradidit Chalcus. Porrò SS. Magorum Corpora fuisse diligentissimè a Mediolanensibus asseruata contra nonnullos, qui illos incuriæ accusant, testantur Scriptores: adeo vt metuentes vrbis excidium ob iram Ænobarbi, ea ex Suburbano S. Eustorgij Templo efferentes, in turri munitissima Basilicæ Georgianæ intra mœnia incluserint, cuius quidem turris adhuc supersunt vestigia, vbi labrum Fontis Baptismalis est collocatum.

Hâc igitur die, si credimus Ferrario, & Molano (nã auctor Magni Chronici Belgici docet, *in Vigilia S. Iacobi Apostoli fuisse Coloniam deuecta*) Corpora SS. Regum Magorum aliò delata fuerunt: vti legere est apud Puricellũ Libro & locis supra citatis in animaduersionibus ad diem octauũ Idûs Ianuarias; quamquam Ænobarbus Leodiensibus primùm ea Corpora promisisset, sicuti docet ibidem Puricellus num. 457.; *sed quæstionem istam Colonienses hinc, inde verò Leodienses diiudicent: nosque potiùs de tanta nostræ vrbis iactura iure merito conqueri permittant.*

Acceptum tamen detrimentum sarcire aliquâ ex parte, cogitauerat Eminentissimus Cardinalis Alphonsus Litta Archiepiscopus: isque suum mihi consilium omne aperuerat, repetendi videlicet a Coloniensibus, digitum saltem vnum ex singulis, aut Reliquias alias Sanctorum Regum Magorum; a quibus si ea lipsana exorasset, pretiosissimam vtique suo ære hierothecam comparare velle aiebat, eâque Templo suo Metropolitano donatâ, Festum diem Epiphaniæ deinceps maiori celebritate sese peracturum. Verùm ea spes humanissimum ac magnanimum Principem frustrata est: quemadmodum ex

literis

literis Illustrissimi Nuntij Apostolici ad Principes Rheni constat, quarum mihi exemplum idem optimus Princeps & comis est elargitus, quod hìc ad ciuium solatium, ac eiusdem Eminentissimi memoriam perennem inseremus, significaturi etiam nostris ciuibus, quantâ curâ, studio, ac pietate ea Corpora a Coloniensibus custodiantur, quà Sacelli ipsius opulentiâ, quà confluentium Peregrinorum frequentiâ & religione.

Eminentissimo e Reuerendissimo Sig. Patrone Colendissimo.

IO son certo, che V. Em. hà volto il pensiere alle Reliquie de i trè Rè, non sapendo la gran stima, che quì ne fanno. Non posso esprimere questa meglio, che con vna somiglianza; saria così facile leuarne di quì vna particella, come, o dalla Santa Casa vn Mattone, o da Capi de' Santi Apostoli nel Laterano parte. Sono nella Metropolitana nel luogo più degno, in Casse d'Argento, coperte di drappi con ornamenti d'Oro massiccio, sotto vna strettissima custodia; sempre vi ardono Cerei; ogni cosa in quella Cappella è coperta, o d'Oro, o d'Argento; in somma non si può superare la ricchezza. Deputasi alla custodia di queste successiuamente vn Canonico, senza l'assistenza del quale non si apre ne meno la Cappella, che è tutta cancellata; & il dì è sempre chiusa, e solo è patente alla mattina per la celebratione delle Messe. Questo Canonico fà a Pelegrini i bollettini della Visita, come fassi appunto in Compostella. Hor di questi di sette in sette anni vene vengono dal sol Regno d'Vngheria insieme da quattro o cinque milla, che dimorano quì anche per qualche settimana. Vegga l'Eminenza Vostra, se la cosa è arriuabile, e se può mettersi nel cuore di questa gente il scemarsi vn' atomo d'vn tanto lor tesoro? Vostra Eminenza sarà seruita dal Padre Crombach con la continuatione delle diligenze per San Marino; e le fò riuerenza. Colonia 10. Marzo 1675.

Di V. Em.

Vmilissimo e diuotissimo seruitore
L'Arciuescouo d'Efeso.

Et quoniam Sancti Marini mentio incidit, eiusdem itidem Eminentissimi Littæ consilium significare posteris amo. Audierat Princeps ille Ecclesiæ suæ amantissimus, Patrem Hermannum Crombach ex Societate Iesu edidisse Historiam Vrsulanam, quę prodijt typis Coloniensibus anno MDCXXXXVII., atque in ea docuisse, Diuam Vrsulam cum Virgunculis Sociabus peregrinatam fuisse Romam: habuisseque in comitatu Cyriacum Summum Pontificem, Episcopos plures, aliosque. De veritate autem huiusce Historiæ disputare nolumus in præsens, quoniam non est nostri instituti; decertet vtique Crombach cum doctissimo Cardinali Baronio, cui hæc Vrsulę peregrinatio minimè probatur; secundùm cuius sententiam Lectio Matutina illata est in Breuiarium Ambrosianum, Federico Cardinali Borromæo Archiepiscopo, qui res Ecclesiasticas apprimè callebat. Crombach igitur tomo 2. lib. 4 cap. 18. inter eos Episcopos, qui peregrinantes Vrsulam & Virgines Socias deducebant, enumerat S. Marinum Archiepiscopum Mediolani (de quo iterum in Notis Calendarum Nouembriū) S. Maromium Episcopum Nouariæ, S. Mallusium Episcopum Laudæ, atq; Permerium Episcopum Cremonæ. Iam verò Corpus S. Maromij peruenerat ad Nouarienses operâ Eminentissimi Cardinalis Benedicti Odescalchi Episcopi Nouariæ, quem deinde in Cathedra Petri sedentem, vitæ integritate clarissimum, venerata est omnis Ecclesia: iam Laudenses suum obtinuerant Mallusium, vt audiui: cùm etiam cupiditas obtinendi Corporis S. Marini Eminentissimum Littam incessit eâ mente: vt Solemni deinde cæremoniâ, apparatuque magnificentissimo, illius Reliquias in Metropolitanam Basilicam transferret.

Quamobrem literas scripsit Illustrissimo D. D. Archiepiscopo Ephesino Nuntio Apostolico ad Principes Rheni: vt Corpus S. Marini sibi mitteretur: quemadmodum aliæ vrbes finitimę suorum Episcoporum Corpora acceperant. Verùm hæc quoque spes euanuit: vti indicabunt literæ eiusdem D. Archiepiscopi Ephesini, quarum exemplum clementissimus Princeps mihi tradidit vnà cum archetypo literarum P Crombach. Eas omnes subijciam, quò Eminentissimi Littę curam ditandę Ecclesiæ suæ ciues intelligant.

Emi-

Eminentissimo e Reuerendissimo Sig. mio Patrone Colendissimo.

IL Zelo di V. Em. è sempre volto al ben della sua Chiesa, e dio volontierissimamente vi coopererei. Hor che non si vuole piu valere di questi caratteri, vorrei poterla fare rimanere appagata nel pio desiderio delle Reliquie del suo Predecessore S. Marino: ma temo, che non mi riuscirà per mancanza della materia. Riceuuto il comando di V. Em. ho chiamato il P. Crombach a render conto di quello, che ne ha scritto. Egli sodisfa bene, mostrando d'onde ha ricauato le notitie: ma non dà luce, per rinuenire il Corpo. E certo, che questo anticamente fusse trasferito a Dutz nel Monastero de' PP. Benedettini famoso per il celebre Abbate Ruberto, che lo resse, e vi morì; ma sendo stato poi questo Monastero molte volte deuastato, non vi è rimasto niente di antico, sapendo, che alcune Monache hebbero delle Reliquie, che già vi erano: anzi sù vn barlume, che possino hauere la Testa, mi son voltato a far diligenza presso loro. Se questa riuscirà con frutto, onde mi sortisca ritrouarlo, n'auiserò V. Em.: & opererò con tutto lo spirito secondo il suo comandamento; quando che nò, supponga pure non essersi ritrouato; e le fò riuerenza. Colonia 14. Ottobre 1674.

Di V. Em.

Obbligatiss. e diuotiss. seru.
L'Arciuescouo d'Efeso.

Spem postea omnem præciderunt sequentes literæ, tum Illustrissimi eiusdem D. Archiepiscopi Ephesini, tũ P. Crombach.

Eminentiss. e Reuerendiss. Sig. Patrone Colendiss.

HO differito per molte settimane di rispondere a V. Em. per la speranza, che haueuo di farlo con significarle insieme, che fusse stata seruita con effetto quanto alle Reliquie di San Marino. Io mi son ingannato in ciò, perche dopo vn cumulo di diligenze, non mi è sortito, non che di trouare le sodette Reliquie, ma ne meno maggior informatione di quello, che le reca il foglio annesso. (hoc est Epistola P. Crombach, quæ vnà cum literis Illustrissimi D. Nuntij ad Cardinalem Littam fuit delata) *V. Em. può credere, che*

che si è fatto il fattibile: e si sono adoprati i migliori mezzi, che fussero quì. Deuo aggiungere, che di culto singolare non si sà altro, che l'espresso nel foglio: e le fò riuerenza.
Colonia li 13. Genaro 1675.

Di V. Em.

Vmilissimo e diuotiss. seruit.
L'Arciuescouo d'Efeso.

Informatio de Translatione Reliquiarum S. Marini sexti Episcopi Mediolani pro Cardinale Litta Archiepiscopo Mediolanensi.

Ad Illustrissimum & Reuerendissimum D. Archiepiscopum Ephesinum Nuntium Apostolicum ad Rhenum cum potestate Legati de Latere &c. cum approbatione felici noui anni ineuntis.

DE mandato Celsitudinis V. Illustrissimæ post trimestrem inquisitionem comperi tandem primò partem Corporis anno MCLVI. translatam esse ad Tuitiensem S. Benedicti Abbatiam cum tali titulo: Hìc iacet S. Marinus Mediolanensis Sextus, qui veniebat de Roma cum Sacris Virginibus. Cultus exinde fuit ibidem seculis aliquot, vt indicat M.S codex a Theodorico æditno conscriptus. Sed cùm id Cœnobium careat mœnibus, & sæpius spoliatum & exustum sit, translatis Coloniam Reliquijs confusis, sine nominibus, & Abbas loci spem antè fecerit, hoc tamen anno, 8. Ianuarij, post diutinam inuestigationem significauit, nihil adhuc de S. Marino comperisse, an & quid de eo supersit. Caput autem huius S. Marini creditum fuit a quibusdam, delatum esse ad Parthenonem S. Magdalenæ Coloniensem: de quo nihil constat loci Virginibus, licèt seruent Cranium S. Maximi Episcopi, cui nec additur nomen Diœcesis, neque Mediolanum, sed ob affinitatem literarum R. & X. quidam legerunt Marinum, cùm Latinis literis Maximus exprimatur; vnde dubium adhuc manet, fueritne sextus Mediolanensis Episcopus, vel alterius loci. His omnibus expensis nihil adhuc haberi certi potest, vbi iam veræ Reliquiæ S. Marini sexti Episcopi Mediolanensis seruentur; id si deinceps certiùs explorauerimus, Mediolanum perscribetur, valde

valde dolentes, quòd adhuc non possimus Eminentissimi Cardinalis propagandi per Mediolanensem Archidiœcesim cultum S. Marini, vt animitùs desideraremus, desiderio satisfacere: cui, vt & Celsitudini V. Illustrissimæ, plurimos sequentes annos cum prosperrima valetudine.

13. Ian. Anno 1675.

Deuotissimus vtriusque cliens ad omnia iussa paratissimus voueo Hermannus Crombach Societatis Iesu.

Huc vsque S. Marini causâ digressi sumus; redeamus ad Sanctos Reges Magos. Licèt ergo asportata illorum Corpora sint Coloniã: nondum tamen Ciuium Mediolanensium erga eosdem pietas & veneratio interijt. In Basilica Eustorgiana adhuc *stat* (inquit Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Histor. Eccl. Mediolanen.) *grande Cenotaphium ea capacitate, quæ non supino, vt assolet, situ, sed composita in rectum Corpora possit amplecti, sicuti quidem sitos fuisse tres ibi Magos accepimus: & opportunè patescit ostiolum, ex quo bracteati Reges Festa quotannis luce producebantur in publicum, & ostendebantur vrbi, donec metu temporum occultarentur*. Cenotaphium autem est ex silice, in cuius operculo incisa stella est ad eam significandam, quæ dux fuit & magistra itineris. Supersunt adhuc in Oppido Minacij, quod Boldonus in descriptione Lacûs Larij commendat, monumenta SS. Regum Magorum; siquidem Colonienses Grandato profecti Minacium, in illius Oppidi Nosocomio Corpora Magorum collocauere. Verùm cùm parum fiderent eius Nosocomij parietibus, Mediolanensium iram metuentes: ea transtulerunt ad Sacram Ædem Diuæ Marthæ Minacij; donec egressi Lario, asperrimis montium iugis, ac vallium flexuosis anfractibus furto consulerent, atque tutò iter prosequerentur. Habemus tamen articulos digitorum Regum singulorum in Pago Brugherij, vti supra indicaui in Notis diei sextæ Ianuarij ad tantæ iacturæ solatium.

Iam verò tenenturne Colonienses ablata Sanctorum Regum Corpora Mediolanensibus restituere? Ingeniosa quæstio est, quam doctissimus habet Ferrandus lib. 1. Disquisitionis Reli-

quiariæ cap.8.artic.3, cuius est titulus: *An Sanctorum Reliquiæ, iusto bello ablatæ, prioribus dominis restitui debeant*; quem vide. Et quidem *Coloniæ magno hominum concursu & religione coluntur*, teste Cornelio a Lapide in caput 2. Matthæi, qui SS. Magorum Corpora sese veneratũ sæpe fuisse ibidem affirmat.

NONO CALENDAS AVGVSTI.



Omæ Sancti 1. Seruiliani Martyris, cuius Corpus Mediolanum delatum est, atque hodie solemni & honorificâ supplicatione in Ecclesia Beatæ Agathæ iuxta Basilicam Nazarianam reconditum: vbi religiosâ Fidelium veneratione honoratur. Item Romæ Sanctæ 2. Christinæ Virginis & Martyris, cuius Ossa Varisij in Ecclesia Maiori deuotissimè custodiuntur. Aquilæ in Vestinis Beati 3. Antonij Mediolanensis, Ordinis Sancti Augustini, vitæ Sanctimoniâ celebris.

IVLII 24.

1. Corpus S. Seruiliani effossum fuit ex Cœmeterio Callisti, atque recognitum in Curia Archiepiscopali Mediolani tertio Cal. Ianuarij anno MDCLXXVII., translatum verò hâc die anno MDCLXXVIII. Est autem Corpus integrum: repertumq; fossores aiunt cum sepulcrali Epigrapha. Præclarâ certè fuisse habitudine Corporis S. Seruilianum ostendit proceritas membrorum: eumque ex Familia Nobilissima Seruiliorum prodijsse censeo, quorum inter gentiles Ioannes Glandorpius in Onomastico Romano Seruilianum virum clarissimũ enumerat; eius quoq; meminit Aulus

Gellius.

Gellius lib. 1. Noctium Atticarum cap. 2. : isque appellatur vir clarissimus, qui Româ in Græciam ad capiendum ingenij cultum concesserat. Etiam apud Leontinos in Sicilia vir nobilis (quamquam impius) fuit Seruilianus, qui sororem suam Euthaliam gladio percussit; eam verò Sanctam Euthaliam memorat Romanum Martyrol sexto Cal. Septembris, Octauius Caietanus ex Societate Iesu tomo 1. Sanctorum Siciliæ, & Ferrarius in Catal. SS. Italiæ. Franciscus Maria Florentinius, vir eruditissimus, in Martyrologio vetustiori profert nomen alterius Seruiliani tertio Cal. Martias, qui diem suum obijt in vrbe Zmyrna, itemque alterius Seruiliani decimo sexto Cal. Nouembris. In Martyrologio Rom., duodecimo Cal. Maij, legimus Passionem S. Seruiliani, qui vnà cum Beato Sulpitio capite cæsus est; eos autem Seruilianum & Sulpitium Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ appellat illustres Sanctarum Euphrosynæ & Theodoræ Sponsos. Tanta igitur nobilitas est Gentis Seruilianæ: eamque corporum proceritatem prior illa ætas ferebat. Hanc admiratus est Diuus Ambrosius cùm inuenit Corpora SS. Martyrum Geruasij & Protasij: commendauitque in Epistola ad Sanctam Marcellinam sororem suam: *Inuenimus* (inquit) *miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ætas ferebat*. Proinde Poeta rectè reprehendit hæc sæcula; nam

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Quando autem S. Seruilianus martyrium obierit, difficile est monstrare. Sanctus Seruilianus simul cum Sulpitio passus est, Traiano Imperatore: Euthalia Virgo migrauit in Cælum, imperantibus Decio & Valeriano: Seruilianus, quem laudat Aulus Gellius, vixit, Antonino Imperatore. His igitur Imperatoribus, sæculo nimirum secundo, vel tertio àb orbe terrarum redempto, si credamus, S. Seruilianum martyrio coronatum fuisse, non erit absonum fidei.

Cæterùm Confratres S. Agathæ, in quorum Ecclesia reconditum est Corpus S. Seruiliani, nullâ ratione sibi vendicant Corpus S. Seruiliani, qui vnà cum S. Sulpitio martyrium pertulit. Eum enim sibi iure optimo repetunt Romani: atque aiunt, in sacra Æde Diuæ Praxedis tumulatum; licèt Henschenius ad diem vigesimam Aprilis in Actis Sanctorum narret, Corpus

S.Seruiliani delatum fuisse in Germaniam simul cum Corpore S.Sulpitij ad Monasterium Eluuagense: item iacere Bononiæ in Templo Franciscanorum: denique translatum fuisse ad Oppidum Seruilianum, quod est in Diœcesi Firmana. Hunc autem errorem Henschenius scatere ait ex vsu communi; siquidem cùm obtinetur Corpus alicuius Sancti, statim sunt, qui confugiunt ad Martyrologium Romanum, in quo vnicus Seruilianus est, ac Romæ martyrio decoratus; inde ex communi, atque inueterato errore existimant, se eius Corpus habere. *Mallemus* (inquit Henschenius) *ad vitandam confusionem in statuendis talium Martyrum nouiter inuentorum Festis, abstineri a diebus illis, quibus nomen in Romano Martyrologio occurrit*. Certè Confratres S. Agathæ paruerunt Henschenio: & cùm diem Natalem ignorarent, anniuersariam peragunt memoriam die sequenti, nimirum octauo Calendas Sextiles, propter frequentiam ciuium ad Corporis venerationem acurrentium. Hodie tamen anno MDCLXXVIII. honorificâ supplicatione a Basilica Nazariana vsque ad vmbilicum vrbis Corpus S.Seruiliani delatum fuit, effusâ ex ædibus vrbe, vijs compitisque nitido apparatu ornatis, & longo agmine sacram pompam deducente, tum Confratrum omnium vrbis, qui Romano more psallunt, tum Cœnobitarum, Cleri, Populique, Plebisque. Hæc de S. Seruiliano Patrono meo tradere placuit, cuius Ossa in Arca pulcherrimè elaborata composui, atq; super ara maxima eius Sacræ Ædis collocaui.

2. Ex Tabulario Ecclesiæ primariæ Varisij, vbi hodie S.Christina Solemni Officio colitur, sed alia ab ea, cuius hâc die fit mentio in Martyrol.Romano; nam hæc passa est Tyri in Tuscia apud Lacum Vulsinium: eiusque Caput hodie proponitur adorandum in Ara Maiori Basilicæ Metropolitanæ, meminitque Breuiarium & Missale Ambrosianum; Christina verò Varisiensis martyrio coronata est Romæ.

Verùm de Christina Tusca quid dicam, nescio; nam eius Corpus Venetijs, Vulsinijs, Panormi, atque Torcelli asseruari dicitur: Caput verò Mediolani, Romæ in Basilica S.Mariæ Maioris, ac Vulsinijs. Itaque, ne multa Corpora, pluraque capita Christina habuisse videatur, arbitror alias fuisse Virgines Christi-

nas & Martyres, quarum Corpora & Capita ad diuersas vrbes fuerint delata. Certè id, quod superiùs tradebam de pluribus Margaritis atque Apollonijs, accommodandum est pluribus Christinis, quæ martyrium sustinuerint Romæ & alibi, aut fuerint ex Sociabus S. Vrsulæ, Et quidem Crombach plures recenset Apollonias, Cæcilias, & Christinas; etenim tomo 1. lib. 7. memorat *Apolloniam Virginem filiam Ætherij*, & in lib. 8. ex Titulis sepulcralibus, & ex Indicibus Ecclesiarum, in quibus Reliquiæ earum seruantur, enumerat *Apolloniam Virg. in S. Vrsula Greffgen, & alterius Apolloniæ Virg. partem Capitis in Horto Mariæ Coloniæ, Cæciliam Virg. Trudonopoli, item Cæciliam ad S. Cæciliam, aliam item Cæciliam Matronam S. Vrsulæ ad S. Maximinum & Magdeburg*, denique *Cæciliam, cuius Caput in Cantabria; Gonzaga*. Præterea totidem Christinas exhibet legentibus, nimirum *Christinam Virg., cuius Caput in horto Mariæ Coloniæ, Christinam Virg. Reginam, cuius Caput in Carthusia, aliam Christinam Virg. Reginam Tremoniæ, Christinam Virg., cuius Caput Viennæ in Austria; Gonzaga: alteram quoque Christinam Virg., cuius Corpus Viconiæ Raisæ, alteram Christinam Virg. ad S. Cæciliam, Christinam Virg. Mariæ cellæ, Christinam aliam inuentam Anno MCCLXXXVI. cum alijs Bannel., Christinæ Caput Gerundæ in Hispania; Gonzaga*. Si ergo inter Socias S. Vrsulæ tot fuerunt Christinæ, quot deinde putamus fuisse in toto terrarum orbe? Existimo enim, veteres illas Virgines a Christi nomine frequentissimè appellatas fuisse Christinas: quemadmodum Martyres plurimos a ferendo Christi nomine Christophoros fuisse vocatos. Videant ergo Præfecti Ecclesiarum, ne eadem Sanctorum nomina sacris lipsanis officiant; de Christina verò Panormitana consule Annotationes Ferrarij in Catal. SS. Italiæ in diem decimam Maij.

3. Vrbs Aquilæ nobilis est in Vestinis: eamque commendat Vghellus tomo 1. Italiæ sacræ. Beati Antonij res gestas redegit in compendium Torellus in Vitis virorum illustrium Ordinis S. Augustini Centuriâ 4. cap. 13., vbi aliorum etiam Scriptorum testimonio vtitur ad sanctimoniam Beati Antonij ostendendam; cuius Festum in eadem vrbe quotannis celebratur: eiusdemque Corpus adhuc incorruptum Ciuium

omnium

omnium veneratione adoratur in Arca cryſtallina incluſum. Fuit autem ex clariſſima Familia Turrianorum; eum appellat Torellus Aquilanum, quoniam Aquilæ deceſſit anno MCDLXXX., cùm tamen ſit Ciuis Mediolanenſis: reſque illius geſtas narrat tomo 7. Sæculorum Auguſtinenſium.

OCTAVO CALENDAS AVGVSTI.



IN Pago Zibiti, in Diœceſi Mediolanenſi, Sancti Iacobi Apoſtoli, cuius Corpus ibidem conditum, hâc die, Fidelium populorum veneratione, colitur.

IVLII 25.

PAgus Zibiti, in Plebe Lactarellæ, Mediolanum & Papiam interiacet; ibidem Eccleſia dicata eſt Diuo Iacobo, quam Carmelitæ Congregationis Mantuæ religioſiſſimè tuentur. Inibi Corpus S. Iacobi aſſeruatur, ſicuti rem teſtatam facit Morigius in Sanctuario (qui illud etiam inſpectum fuiſſe a Diuo Carolo Borromæo affirmat) & Anfoſſius de Sac Reliquiarum cultu §. 34 num. 24. Cuius autem Iacobi Corpus in ea Eccleſia tumulatum ſit, clarè profitetur Morigius eſſe Corpus S. Iacobi Maioris illuc delatum Conſtantinopoli a Diuo Euſtorgio Archiepiſcopo, cùm Sanctorum Regum Magorum Corpora Mediolanum aduexiſſet.

Ego verò nolo diſcedere a communi ſententia Eccleſiæ arbitrantis, Corpus S. Iacobi Apoſtoli iacere Compoſtellæ in Gallæcia, quod pluribus oſtendit Baronius in Notis Romani Martyrologij. Scio quidem apud Ferrarium in Annotationibus Catalogi SS. Italiæ de Diuo Iacobo hæc eſſe monumentis conſignata, nempe. *Veronenſes ſe Corpus Diui Iacobi Maioris in Monte Grigiano inuentum anno MCCCLXXXXV. die XXII. Maij, vt monumenta ipſorum teſtantur, habere dictitant; cuius Inuentionis in Bonifacij IX. Eccleſiam dicti Montis Veronenſibus*

bus concedentis diplomate fit mentio. Verùm eidem Ferrario assentior in eandem prorsus sententiam; *cùm enim Corpus huius S. Apostoli Compostellæ in Hispania asseruari adeo manifestum sit: vt de hac re dubitare non liceat; vel Veronenses in errore versantur: vel partem aliquam eius Corporis dumtaxat habent:* Sicuti Bagatta tomo 2. admirandorum, partem tantùm Corporis S Iacobi in Monte Grigiano asseruari docet. Idem Ferrarius ibidem hæc tradit. *Caput S Iacobi Valentiæ apud Padum, Oppidi Diœcesis Ticinensis, asseruatum populo hac die magna celebritate ostenditur, capillis & carne sic constans, ac si recèns fuisset abscissum; quod ipsius Apostoli esse affirmant;* verùm hoc esse Caput S. Iacobi Minoris testantur Acta Visitationum Episcopalium Papiæ.

Quid igitur sentiam de Corpore Diui Iacobi Zibiti? Dicam, esse quidem S. Iacobi, non Apostoli ex Collegio duodecim, sed fortasse Apostoli Prouinciæ alicuius; neq; enim quisquam vetat, appellari aliquem Apostolum, qui alicubi Euangelicæ Prædicationis munus obiuerit, aut sacros Oratores ad prædicandum Euangelium miserit: vti docet Ioannes Baptista Barberius in Dubio *Aprutinæ seu Sulmonensis Apostolatus S. Ioannis de Capistrano* ad Beatissimum Patrem Innocentium XII. Certè Beda S. Gregorium Magnum appellat Apostolum Anglorum: & in Martyrologio Rom. Nonis Iunij legimus, Diuũ Bonifacium Episcopum Moguntinum vocatum fuisse Apostolum Germanorũ; quemadmodum S. Patritius appellatur Apostolus Hyberniæ: S. Stephanus Rex dicitur Apostolus Pannoniæ: atque in eodem Martyrol., octauo Cal. Octobris, Diuus Gerardus Episcopus nuncupatur Hungarorum Apostolus, ac sexto Idûs Ianuarij S. Seuerinus vocatur Noricorum Apostolus: & in Notis eiusdem Martyrologij ad diem nonum Martij Sancti Cyrillus & Methodius appellantur Morauorum & Sclauorum Apostoli: & ibidem ad diem vigesimum sextum Martij S. Ludgerus vocatur Apostolus Saxonum, atque ad diem vigesimum septimum Martij S. Rupertus dicitur Apostolus Bauariæ. Nouissimè Diuum Franciscum Xauerium vocamus Indorum Apostolum: & in Martyrologio Sanctorum Ordinis Minorum Beatus Franciscus Solanus appellatur

Perua-

Peruani Imperij Apostolus; de qua appellatione vide Iacobum Pignatellum tomo 1. Consultationum Consultatione decimâ quartâ. Quidni igitur potuit Zibitensis Iacobus esse Apostolus alicuius Prouinciæ, atque hìc tumulatus? Nolo tamen quidquam statuere: sicuti Diuus Carolus super hâc re nihil certi decreuit. Vnusquisque autem in suo sensu abundet; neq; enim vllius Ecclesiæ monumentis, aut decori obesse volumus. Corpus quidem S. Iacobi Maioris Hierosolymis in Gallæciam translatum est, vt constat ex Martyrol. Rom., & ex Literis Apostolicis Papæ Callisti II: ac proinde docere debet Morigius, quomodo Hierosolymis, vbi martyrium pertulit, Constantinopolim, tum verò Mediolanum deuehi potuerit; cùm tamen idem Morigius confiteatur, se nullas tabulas inuenisse. *Tutto questo* (inquit) *s'hà per antica traditione, e per fede, e consuetudine, che così tiene: ma niente di scrittura e memoria autentica ho potuto ritrouare, saluo della traslatione*; quam Translationem ibidem memorat factam a S. Carolo. Verùm nihil de hac Translatione accepi, quamquam interrogauerim per literas Carmelitam eruditissimum Alexandrũ Mariam Briantum, qui tabulas omnes Cœnobij Zibitensis perijsse affirmauit, cùm superioribus annis Papia a Gallis fuisset obsessa. Vnam ille ait superesse traditionem de Diuo Carolo; cùm enim lustraret Diœcesim, ac Zibiti consistens, noctem ibi traduxisset insomnem, pernoctans in Oratione Dei (fortasse vt Diuino Spiritu afflatus veritatem de Corpore S. Iacobi assequi posset) ab ara eiusdem Sancti discedens, conuersus ad Carmelitas Cœnobij incolas, inquit: *Lasciamo i Corpi de i Santi, oue sono; Padri tenetene conto*. Certum ergo est, ibi seruari Corpus Diui Iacobi; cuius autem Iacobi sit, cum S. Carolus Borromæus significare noluerit, nec ego quidquam certi de eodem tradere possum. Illud tamen mirandum est, quòd ope eius S. Iacobi, neque Zibitensis vnquam, neque affines agri (vti fama est) grandinis alicuius immanitatem sensere. Illius Corpus in Arca marmorea custoditur; cuius operculum cùm annis elapsis immutaretur, repertum est Corpus fere integrum, altero tantùm brachio carens, peregrinantis hominis amictu indutum. Crates ferrea tegit Corpus: eaque

eaque velata est Attalicâ veste auro intextâ. Quapropter Compostella suo glorietur Iacobo (de quo vide Baronium tomo 9. ad annum DCCCVI.) Zibitum suo; nos interea Sanctorũ Reliquias veneremur, Dei iudicio subijcientes omnia, donec incerta & occulta sapientiæ suæ manifestet. Certè Brachium dexterum S. Iacobi Maioris custoditur in Cathedrali Ticinensi, quod hodie Fidelium venerationi exponitur: Caput autem illius asseruatur in Cathedrali Pistoriensi donatum a Reinerio Canonico Compostellano, si fides Libro Sacrarum Ephemeridum ad diem 22. Maij in Vita S. Attonis Episcopi Pistoriensis.

SEPTIMO CALENDAS AVGVSTI.


Ediolani Translatio 1. Sanctorum Corporum, quæ, dirutâ veteri Basilicâ Portianâ, hodie Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus in nouam Basilicam Beati Victoris Solemniter transtulit. Cardani, in Diœcesi Mediolanensi, Translatio 2. Sanctorum Anastasij & Iusti, quorum Corpora ibidem in Ecclesia Parochiali deuotè coluntur.

IVLII 26.

1. EX Visitatione S. Caroli, eiusque Vita, quam scripsit Carolus a Basilica Petri lib. 3. cap. 6., & Glussianus lib. 3. cap. 9., item ex consuetudine huiusce Basilicæ, vbi hodie, translato Officio S. Annæ, fit Officium a Cœnobitis Oliuetanis ritu Duplici de hac Translatione. Eam verò Basilicam laudat Carolus a Basilica Petri in Vita S. Castritiani Archiep. in Historia Mediolani.

2. Ex Tabulario Parochialis Ecclesiæ Cardani in Plebe Gallarati, quod Oppidum Insigne commendat Gaudentius Merula lib. 1. antiquit. Gallorum Cisalpinorum cap. 6.. Bonauentura

Castillionæus tamen in Libro de antiquis sedibus Gallorum Insubrum mauult, appellari *Gallareatum*. *A Castro Insubrum (ait) Ticinum versùs ad Meridiem, quinto ferme milliario, Gallareatum est Oppidum vrbeculæ effigiem præstans, ad extremam collium radicem in æquo ædificatum, a quo vniuersa planities, vigintiquatuor milliariorum spatio, ad vrbem Mediolanensem extenditur. Cuius Oppidi nomenclaturam si attentiùs quispiam obseruauerit Gallorum aream, hoc est conuentum interpretabitur, sicut & Nouariam trans Ticinũ, quasi nouam Gallorũ aream &c.*

SEXTO CALENDAS AVGVSTI.



Mediolani Sancti Laurentij eiusdem vrbis Episcopi, cuius virtutes admirandas Sanctus Symmachus Papa in Epistola ad eum scripta, & Sanctus Ennodius, solutâ atque adstrictâ numeris oratione, celebrarunt.

IVLII 27.

Hic dies non est obitûs, vti ostendit Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 31. num. 8, verùm Officij; etenim secundùm vetustiores Auctores migrauit in Cælum octauo Calendas Sextiles. Eius nomen descriptum est in Calendario Missalis Ambrosiani impresso typis Innocentij Ciconiarij anno MDLX. septimo Idûs Iunij; hodie tamen in Basilica Insigni Laurentiana, in cuius Ara maiori reconditum est S. Laurentij Archiepiscopi Corpus, Officium Solemne de eodem celebratur. Eius laudes consignauit monumentis Cardinalis Baronius, & quidem eximias, tomo 6. Annalium, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Carolus a Basilica Petri in Metropoli Mediolanen. num. 13., Morigius in Libro, quem inscripsit *il Duomo di Milano* cap. 21. & 23. Liber successorum S. Barnabæ, Besutius in Hist. Pontif, Vghellus tomo 4. Italiæ sacræ, Galuaneus,

uaneus Flamma in Indice M.SS.Reliquiarum in Biblioth Ambros., denique Auctores omnes, quorũ testimonio nititur Puricellus in Vita eiusdem S.Laurentij Littæ.

Cæterùm S.Symmachus Papa scripsit ad Laurentium Archiepiscopum plenam eius laudibus Epistolam, cui hunc titulum fecit Seuerinus Binius in tomo II. Conciliorum: *Quarta Epistola Symmachi ad Laurentium Mediolanensem, qua eius virtutes describuntur*; eam verò Epistolam Puricellus intulit in caput 16. Vitæ S.Laurentij. Diuus autem Ennodius dictionem vnam in Natali Laurentij Mediolanensis Episcopi (quis verò hic Natalis fuerit infra explicabo, cùm de Ordinatione S. Ambrosij agam) quæ prima est inter dictiones, in qua illius laudes, & alibi etiam, prædicat. Quot deinde carmina Ennodius in laudem Laurentij scripsit! Epigramma quidem octauum in Basilica S.Xisti, duodecimum in Domo Mediolani, quinquagesimum sextum in Baptisterio Mediolanensi, denique sexagesimum *in Basilica S. Calemeri, quando reparata est*; quæ carmina Sirmundus Notis, & Puricellus in Vita S.Laurentij illustrauit. Illius autem encomio illud accedit, quòd Laurentius nobilis ac Mediolanensis adolescentis, orbati parentibus, Aratoris nomine, qui postea Poeta celebris fuit, curam susceperit, de qua Puricellus in cap.25. Vitæ S.Laurentij, qui ibidem num.7. docet, Aratorem Romanâ demum purpurâ fuisse insignitum. Hinc de Aratore carmina S. Ennodij, ac de Deuterio Grammatico, cuius in disciplinam traditus fuerat Arator; quamquam etiam S.Ennodius alibi Aratoris & Deuterij meminerit.

Porrò de cultu immemorabili S. Laurentij agit ibidem Puricellus in cap. 32.; qui tamen de libello seu Homilia a S. Laurentio scripta nihil vsquam edidit, licèt diligentissimè res illius gestas typis vulgauerit. Fuit quidem S. Laurentius (vt legimus in Actis Mediolanen. Ecclesiæ Parte 6.) *vir scientia præcellens, & virtutum donis maximè excultus: Clerum Populumque Mediolanensem, non minùs docendo, quàm agendo instruxit ad optimam disciplinam*; verùm nusquam mentionem iniecit, nos vidi eius libelli, aut Homiliæ de muliere Chananæa, quam doctissimus P. Ioannes Mabillon in lib. 1. tomo 2. in varijs opusculis veterum Analectorum retulit ex M SS. codice Germanensi

nensi. Alius sanè Laurentius auctor est illius Homiliæ, non autem is, qui Archiepiscopatum Mediolanensem gessit. Certè cùm P. Mabillon in Notis eruditissimis subijciat superiori Libro, seu Homiliæ aliam Homiliam de Pœnitentia cum hac Inscriptione: *Incipit Liber secundus S. Laurentij de duobus temporibus. Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta &c.* profectò hæc Homilia de Pœnitentia illa ipsissima est cum alia pariter de Eleemosyna, quam Carolus a Basilica Petri in vestibulo Nouariæ sacræ ascribit S. Laurentio Presbytero Nouariensi & Martyri, cuius meminit Martyrologium Romanum Pridie Calendas Maij. Is igitur ille Laurentius est, qui falsò Nouarum Episcopus appellatur: cùm a veritate sit absonum, Laurentium ex Nouariensi creatum fuisse Archiepiscopum Mediolanensem, quandoquidem in Tabulis Episcoporum Nouariensium nullus vnquam Laurentius reperitur: vti etiam Cardinalis Bona eundem fuisse Episcopum Nouariæ existimauit in notitia Auctorum ad Librum de Diuina Psalmodia. Quare Mabillon dissentiat velim a Margarino Binio, atque eat in sententiam eruditissimi Episcopi Nouariensis Caroli a Basilica Petri, qui in exordio Nouariæ sacræ hæc docet. *De Homilijs S. Laurentij Presbyteri Nouariensis. Margarinus Bigneus tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum duos Sermones edidit, alterum de Pænitentia, alterum de Eleemosyna, quos tribuit Laurentio Episcopo Nouariensi, ductus quibusdam coniecturis, quæ falsæ sunt. Nam nos, nullum Laurentium habemus Episcopum, sed tantùm Presbyterum, qui tempore longè abest a Laurentio Archiepiscopo Mediolanensi, quem Archiepiscopatum postea ille putat ab eo adeptum. Itaque non est ille dicendus Episcopus, sed Presbyter, qua de re etiam testimonium habetur in lib. 2. primi voluminis literarum Lucæ Contilis, dum is scribit ad Guilelmum Præfectum Bibliothecæ Summi Pontificis die 30. Nouembris MDLVIII Sermone Italico. Anguisciola exhibuit Academiæ Venetæ Tractatus S. Laurentij Presbyteri Nouariensis, vnum de Pænitentia, alterum de Eleemosyna &c.*

Immo Sermonem illum de muliere Chananæa idem Carolus a Basilica Petri ascribit pariter eidem S. Laurentio Presbytero in lib. 2. Nouariæ Sacræ. *Scripta etiam sacris de rebus edidisse legitur.*

legitur. (nempe S.Laurentius Presbyter) *cumque alia vetustate, vel temporum iniuria perijssent, Tractatum seu concionem de muliere Chananaea suo tempore extitisse testatur eius encomij scriptor, quod inter Ecclesiæ Maioris tabulas manuscriptum asseruatur*. Cùm igitur hæc concio de Chananæa seruetur inter Ecclesiæ Maioris Nouariæ Tabulas, vtique pro bono rei literariæ conferenda esset cum M SS. codice Germanensi; quem laborem facilè exantlabunt viri eruditionis studiosi. Vix hæc scripseram, cùm vir amicissimus I. C. Lazarus Augustinus Cotta Nouariensis, qui me antea donauerat Petri Apollonij Collatini carmine typis primùm edito, dono pariter dat mihi Homiliam de muliere Chananæa, quam S.Laurentius Presbyter habuit. Plurima ibi leguntur in Notis ad Lectorem monumenta Scriptorum de eodem S. Laurentio, quorum testimonio inductus deinde est in errorem P. Mabillon. Verùm diluit omnia P. Ioseph Maria de Nouaria ex ordine religiosissimo Capuccinorum validissimis argumentis, queis respondere nequeat Mabillon, tum ex ratione temporum, tum ex rerum examine, desumptis: itaut eæ Homiliæ, quemadmodum antè docuimus, omnino tribuendæ sint S. Laurentio Presbytero Nouariensi.

QVINTO CALENDAS AVGVSTI.


MEdiolani Natalis Sanctorum Martyrum Nazarij & Celsi pueri, quos Anolinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratos & afflictos in carcere, gladio feriri iussit.

IVLIVS 28.

VBique gentium celebris est memoria SS. Martyrum Nazarij & Celsi, quos hodie Ecclesia Romana colit, ac Mediolanensis Officio & Missa proprijs veneratur, eius etiam Festum diem Peruigilio præueniens, vt in Missalibus Ambro-

Ambrosianis. Ecclesia itidem Græca eisdem cultum impendit Pridie Idûs Nouembris, quemadmodum animaduertit Baronius hâc die in Notis Martyrol. Romani. Quamquam autem idem Baronius affirmet, a nonnullis eorundem Martyrum memoriam celebratam fuisse Pridie Idûs Iunij, *qua sanè* (inquit) *die inuentarum Reliquiarum per S. Ambrosium Solemnis dies celebrabatur*; ego tamen censeo, eosdem fuisse hallucinatos, quòd eo die Romana Ecclesia alterius Nazarij vnà cum Nabore, Basilide, & Cyrino memoriam agat; siquidem Diuus Ambrosius Reliquias S. Nazarij inuenit die decimâ Maij, vt antè monuimus. Optimè verò idem Baronius ibidem, non Reliquias S. Nazarij Mediolanensis, sed Nazarij Romani translatas esse in Gallias docet contra Hermannum: eademq; affirmat de Reliquijs S. Naboris, sed illius, quem Ecclesia die duodecimâ Iunij veneratur, de quo egi suprà.

Plurimas habet Sacras Ædes Diuus Nazarius, tam in vrbe, quàm in Diœcesi Mediolanensi, immo Brixiæ, Nouariæ, & alibi, quas indicat Baronius ibidem, sed illa celebris est Titulo etiam Apostolorum, quam in Regione Romana vrbis Mediolani dedicauit S. Ambrosius illato Corpore S. Nazarij, strauitque marmore Libyco Serena vxor Stiliconis; de cuius munificentia affert Sirmundus Epigramma in Notis ad carmina S. Ennodij. Verùm priùs exscribamus versûs S. Ambrosij de Basilica Nazariana, & de inuentis Diui Nazarij Reliquijs; est autem adhuc illa in speciem Crucis, ac nomine Apostolico, hoc est Titulo omnium Apostolorum, sacra.

Condidit Ambrosius Templum, Dominoque sacrauit
Nomine Apostolico, munere, Relliquijs.
Forma Crucis Templum est, Templum victoria Christi,
Sacra triumphalis signat imago locum.
In capite est Templi vitæ Nazarius almæ,
Et sublime solum Martyris exuuijs.
Crux vbi sacratum caput extulit orbe reflexo,
Hoc caput est Templo Nazarioque domus.
Qui fouet æternam victor pietate quietem,
Crux cui palma fuit, Crux etiam sinus est.

Ornatam verò fuisse eam partem Basilicæ, quâ Nazarij conditæ

sunt Reliquiæ, Libycis marmoribus a Serena, indicat hoc carmen; Corpus autem Diui Nazarij collocatum fuisse *sub altari præcipuo ad caput Ecclesiæ constituto* testatur Carolus a Basilica Petri in Vita S Caroli lib. 5. cap. 6.

Quà sinuata cauo consurgunt tecta regressu,
Sacrataque Crucis flectitur orbe caput.
Nazarius vitæ immaculabilis, integer artus
Conditur, exultans hunc tumuli esse locum.
Quem pius Ambrosius signauit imagine Christi,
Marmoribus Libycis fida Serena polit.
Coniugis vt reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanisque suis, pignoribus proprijs.

Quos versûs recitat etiam Puricellus in cap. 58. Dissertationis Nazarianæ, eos itidem explicando.

De SS. Martyribus Nazario & Celso agunt Martyrol. Romanũ, & Auctores in eiusdem Notis citati, Scriptores pariter nostrates omnes, præsertim Alciatus lib 2. Hist. Mediol., qui inficiatur, eos passos fuisse sub Imperio Neronis, sed lib. 3, vult, eos martyrium pertulisse, Marco, Lucioque Imperatoribus. Alciato tamen aduersatur Martyrologium & Breuiarium Romanum, sicuti etiam Chalco, qui videtur ire in sententiam Paulini (quem perperam Nolanum vocat lib. 1. Hist. Pat.) Scriptoris Vitæ S Ambrosij, affirmantis, *incompertum esse tempus cædis Nazarij*. Agunt item de ijsdem martyribus Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Caij, Ripamontius Dec 1. lib. 1. Hist. Mediol. Eccl., Galesinius, Vghellus tomo 4., Villega, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ., Peregrinus Merula in Sacrario Cremonensi, Bagatta tomo 1. admirandorum, & alij. S. Ennodius celebrauit Hymno laudes Diui Nazarij, quem Notis illustrauit Sirmundus: ibique animaduertit, S. Ennodium hæc canere de Diuo Nazario,

Nerone felix Principe
Diuersa perpessus mala &c.

monetque, *id post S. Ambrosij mortem compertum fuisse, quia suo tempore ignoratum adhuc fuisset, auctore Paulino Presbytero in Vita S. Ambrosij*; vt proinde Alciatus & Chalcus videantur digni veniâ, quòd discesserint in sententiam Paulini, quæ post mortem S. Ambrosij falsa est.

Fer-

Ferrarius in Notis sui Catalogi hâc die subtèxit Hymnum, quem Sannazarius pepigit carmine Sapphico in laudem S. Nazarij, cuius est exordium.

Matris heu vulnus graue, dum relictis
Tybridis ripis, Italoque cælo,
Sponte trans Rhenum iter, & niuosas
Arripis alpes &c.

Nouissimè omnium fusè latèque de SS. Martyribus Nazario & Celso scripsit Puricellus in Dissertatione Nazariana, in qua vbertim eorum facta narrat, memoratis vtique Auctoribus omnibus, qui eorundem mentionem iniecere: vbi etiam cap. 37. agit de Basilica Nazariana Mediolani.

Claudunt agmen Scriptorum Bulzius & Brautius; ille in Larario Poetico multa carmina congerit in laudem SS. Nazarij & Celsi, quorum lemma est: *SS. Nazarius & Celsus proiecti in mare non demerguntur: & eorum Corpora sparsa recenti sanguine reteguntur.* Duo in hunc locum secernemus Epigrammata, & quidem pulcherrima.

SS. Nazarius & Celsus inter flammas illæsi.

Vasta referuescunt fartis incendia pinis:
Mille potest ingens Ætna vorare domos.
Ludit at immanes inter generosa fauillas
Pubes; nil nocuis ludit & Ætna minis.
Heroas nunc flamma tegit, nunc deserit vltro,
Lambit & illæsum sæpe iocata latus.
Rumpitur inuidia spectans ostenta theatrum:
Et queritur pigras plebs scelerata pyras,
Vis rogus haud ludat, segnis non torpeat ignis?
Te statue in medio, barbara turba, rogo.

SS. Nazarius & Celsus demersi emergunt, & satellites baptizant.

Athletas Fidei geminos, quos iusserat vndis
Ire feris Cæsar, per mare cymba vehit.
E cymba exceptos pelagus non deuorat; immo
Sustinet: & summis hi spatiantur aquis.
Nauis at infelix subitis agitata procellis
Mersa foret, celeri ni frueretur ope.

Chri-

Christiadæ lintrem repetunt, frænantque sonantes
Fluctus, & lintrem nulla procella vorat.
Inde ferox omnis vitali aspergine miles
Tergitur, vt gemini consuluere Duces.
Haud Nero Christigenas binos dedit impius vndis:
Carnifices vndis impius ille dedit.

Brautius, modò vtrumque, modò singulos Martyres laudat:

In terris fortes, auctis ex æquore surgunt
Viribus: in gladio plaudit vterque vale.

De S. Martyre Nazario solo.

A Patre principium vitæ Nazarius hausit:
A Genitrice pia viuere fine carens.

Etenim S. Perpetua virum suum Africanum ad Fidem Christi perduxit, & filium suum Nazarium a se educatum in Fide, baptizandum a S. Lino Papa curauit. Debet igitur S. Nazarius vitam mortalem Africano Patri suo, Matri Perpetuæ vitam perpetuam & fine carentem.

De S. Martyre Celso puero solo.

Celse puer, cæsus cunctis excelsior astris,
Te meritò iuuenum castra senumque colunt.

QVARTO CALENDAS AVGVSTI.



Omæ Sancti Theodori Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Conceptionis Patrum Capuccinorum religiosè conseruatur.

IVLII 29.

EX Tabulario PP. Capuccinorum, qui hodie peragunt Officium ritu duplici de S. Theodoro. Reliquiarum autem nomina, quæ in Ecclesijs eorundem Capuccinorum Mediolanensis Prouinciæ asseruantur, collegit diligentissimè P. Dominicus Pallauicinus ex eodem Ordine in Libro, quem manu exarauit, seruato nunc in Bibliotheca Cœnobij Portæ Orientalis.

TERTIO CALENDAS AVGVSTI.



Omæ Sancti Innocentij Martyris, cuius Corpus translatum est Mediolanum, atque in Ecclesia Sancti Nazarij ad Petram Sanctam honestissimè collocatum.

IVLII 30.

Illustrissima D. Comitissa Iulia Aresia Borromæa dono dedit Corpus S. Innocentij huic Ecclesiæ, de qua Morigius in Sanctuario, & Puricellus in Dissertatione Nazar. cap. 36. scripsit, vbi etiam commendat clarissimam Familiam Petrasanctam. Vna res tamen in illo capite est explananda, nimirum, quòd Diuus Mirocles Archiepiscopus Mediolani ordinauerit in hac Ecclesia Sanctum Emigdium Asculanorum Episcopum in Sacerdotem: idque tradit Puricellus ex Actis eiusdem S. Emigdij, quæ in Vaticana Bibliotheca custodiuntur. Nam si ea vox *Sacerdos* significat Presbyterum, Mystam, Liturgum, facilè assentiar; quod etiam ipse Puricellus affirmat ibidem. Sin autem ea vox significet Sacerdotem, idest *Episcopum* (quo nomine olim appellatos tantùm fuisse Episcopos testatur Vicecomes lib. 1. cap. 1. de antiquis Missæ Ritibus, & lib. 1. de Ritibus Baptismi cap. 28.) id constanter infitiabor. Nam Baronius tomo 3. Annalium ad annum CCCIX. hæc docet. *Hic* (nempe S. Marcellus Papa) *ordinauit viginti quinque Presbyteros in vrbe Roma, & duos Diaconos per mensem Decembrem, Episcopos per diuersa loca viginti vnum, inter quos numeratur Emigdius Episcopus Asculanus, qui sub eadem Diocletiani persecutione martyrij coronam accepit Nonis Augusti*; quo die pariter in Martyrol. Romano legimus, S. Emigdium a Diuo Marcello fuisse Episcopum ordinatum. De Petra autem illa Sancta huiusce Ecclesiæ, deque pugna, vt vulgus arbitratur, a S. Ambrosio commissa tempore Arianæ perfidiæ, consule ibidem Puricellum num. 6. & seqq.

PRI-

PRIDIE CALENDAS AVGVSTI.


Ediolani Sancti Calimerij Episcopi & Martyris, qui in Antonini persecutione comprehensus, vulneribus confossus, ceruicibusque gladio transuerberatis, præceps in puteum deiectus, martyrij cursum confecit.

IVLII 31.

MArtyrium & Sanctimoniã Diui Calimerij testificantur Martyrol. Romanum & Brixiense, Breuiarium Ambrosianum, cui Cardinalis Cæsar Montius Archiep. Hymnum addidit de S. Calimerio, Missale Ambros. cum Præfatione propria, Cardin. Baronius tomo 2. Annalium ad annum CXXII., Bonauentura Castillionæus in Vita eiusdem M.SS., Michael Pizolpassus in Vitis pariter M. SS. Archiep. Mediol. in Bibliotheca Ambros., Ioannes de Deis in Libro Successorum S. Barnabæ, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediol. Eccl. lib. 1., Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Calimerij, Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Besutius in Hist. Pontificali Mediolani, Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ, demum Auctores omnes, quot citat Faynus in Notis Martyrologij Brixiensis. Bulzius in Lariario Poetico commendat humilitatem S. Calimerij, qui singulari animi demissione adeo Archiepiscopale onus recusauerit, vt nonnisi catenis vinctus illud subiuerit. Geminum Epigramma est: vtrumque subijciam.

S. Calimerius catenis ad Episcopatum trahitur.

Sella tiarato mœret viduata Diali:
Pastoremque cupit te, Calimere, suum.
Non hac tanta placent Graio subsellia ciui:

Is refugit Sacrum Mystæ agitare Pedum.
Vestigat profugum: prostrataque turba reperto,
Supplicat, at cassa supplicat illa prece.
Ergo catenatum pubes rapit vrbica Mystam:
Pertrahit ad viduos Vrbs violenta thronos.
Sæcula nostra sibi plaudant benè fausta; tiaras
Ad sacras nullum dura catena trahit.

Aliud.

Ære catenandus demens est: ambitiosus
Demens est; Vir & hic ambitione caret.
Ergo catenatur cur hic Vir? calleo; stultum
Qui sceptra & Mitras respuit, Orbis habet

Etiam Brautius Bulzio subscripsit in Martyrologio Poetico.

Vir Græcus, sapiens Mundi, contemptor honorum,
Adstrictus Cathedram fune coactus adit.

Natus enim fuit in Græcia Calimerius, quem Sirmundus appellat *Calemerum* in Notis ad Epigramma S. Ennodij de Basilicà Calemeriana. Onuphrius verò Panuinius in Fastis, atque Isolanus in Panegyr. Mediolani eundem vocant *Calocerium*. In puteum autem demergi consueuisse, qui sæuissimè punirentur, ostendit Cardin. Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad diem, qui est Pridie Idûs Octobris, cùm de S. Callisto Papa agit, qui in puteum præceps est deiectus. Adhuc in Confessione Basilicæ Calimerianæ iuxta cineres S. Calimerij extat puteus, in quem ille fuit demersus, ex quo hodie certatim Fideles hauriunt aquas morbis expellendis salutares, ijs planè consimiles, quæ in elogio S. Isidori Martyris in Romano Martyrol. Idibus Maij memorantur. Benedictus Sociacus lib. 1. Epigrammatum lepidos versûs in Martyrium Diui Calimerij cecinit.

Immani cùm iam prostratus cæde iaceret,
In medias Diuus præcipitatur aquas.
Sed quid in exiguas putei deuoluitur vndas,
Demergi proprio sanguine si potuit?
Obruitur puteo, sæuis priùs obrutus armis;
Credibile est, illum bis voluisse mori.

Duo supersunt examinanda. Primum quidem id, quod affirmat

Carolus a Basilica Petri in Metropoli Mediolanensi num. 8, nempe Diuum Martianum (cuius meminit Martyrol. Rom. Pridie Nonas Martij) creatũ Episcopum fuisse Ecclesiæ Dertonensis a S. Calimerio. Secundum verò, an hic sit ille idem Calimerius, *qui Romæ a SS. Faustino & Iouita in Fide edoctus, eorumque precibus a Pontifice baptizatus, Mediolanensis Episcopus sit consecratus*, quemadmodum legimus hâc die in Martyrologio Brixiensi.

Primum igitur nodum soluet Chronologia; si enim Calimerius iniuit Pontificatum Mediolanensem, vti narrat Donatus Bossius in Chronicis, anno CXXXIV., & Martianus Martyrium obijt anno CXX.: ille creatus Pontifex Antonino Pio (si credimus Panuinio) hic Martyr Adriano Imperatore: neutiquam potuit Calimerius inaugurare Episcopum Martianum.

Secundum soluit Puricellus in Vita S. Laurentij Litræ cap. 30. num. 5., spondens, se aliàs multa de S. Calimerio discussurum, ostensurumque, *diuersum ab ipso fuisse Calimerium illum, cuius mentio habetur apud Surium die decima quinta Februarij: illumque non fuisse Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum Titularem, sed subsidiarium tantummodo Episcopum, ex vrbe Roma huc directum ad Mediolanensem Populum (sicut ibidem legitur) qui in Christo crediderat, confortandum*. Duos igitur habuit Calimerios Episcopos Mediolanensis Ecclesia, alterum quidem subsidiarium, alterum verò Titularem, de quo agimus. Si enim Calimerius Titularis, Antonino Pio Imperatore, creatus est Metropolita Insubrum: quomodo, precantibus SS. Faustino & Iouita, potuit a Summo Pontifice consecrari Archiepiscopus, qui antea, Adriano imperante, martyrium obierant, quemadmodum testantur Martyrologium Romanum & Brixiense? Quapropter sibi vtique blandiatur Faynus, affirmans, Corpus S. Calimerij, seu magnam partem eius Corporis asseruari Brixiæ; nam nos vtique assentimur, benignè eidem tradentes Corpus S. Calimerij Episcopi subsidiarij, non autem alterius S. Calimerij Titularis Archiepiscopi, cuius Corpus translatum fuisse a Cardinali Federico Borromæo Archiepiscopo antè monstrauimus.

Cæterùm Faynus sibi ipsi non constat, quando in Notis Martyrologij

rologij Brixiani die decimo quinto Cal. Martij vult, SS. Faustinum & Iouitam e viuis excessisse Anno CXXII. (anno verò CLV. Diuus Calimerius creatus fuit Mediolanensium Archiepiscopus teste Panuinio) atque in Notis diei vltimæ mensis Iulij, in eodem Martyrol. Brixiensi, S. Calimerius martyrium passus est Anno CXCII.: vbi etiam affert Epitaphium incisum in sepulchro S. Calimerij in Ecclesia Parochiali S. Clementis Brixiæ, quod est eiusmodi. *Hic iacet Corpus S. Calimerij Episcopi & Martyris, qui obijt Anno Dom. CXCII.* Eo autem anno Commodus imperabat, non Antoninus, in cuius persecutione martyrio coronatum fuisse discimus ex Romano Martyrologio: in Breuiario verò Ambrosiano legimus, *eum in Antonini & Commodi persecutione comprehensum, a Fidei hostibus fuisse confossum &c.* Ibidem etiam vendicat Brixiæ Faynus Corpora SS. Martiani Episcopi Dertonensis, Caloceri Albingaunensis, & Secundi Astensis; verùm hoc negotium sit Dertonensium & Astensium, vt dimicent pro suis lipsanis; nam de Calocero Albingaunensi iam diximus. Porrò de Basilica S. Calimerij agit Morigius in Sanctuario, & Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 30.: de Canonicis verò eiusdem Basilicæ Carolus a Basilica Petri in Vita S. Calimerij in Hist. Mediolanensi.



AVGV-





AVGVSTVS.

CALENDIS AVGVSTI.

ROMÆ passio Sanctarum 1. Virginum Fidei, Spei, & Charitatis, Ciuium Mediolanensium, quæ sub Adriano Principe martyrij coronam adeptæ sunt. Legioduni in Diœcesi Mediolanensi 2. Translatio Corporis Sancti Primi, & Reliquiarum Sancti Feliciani, Martyrum.

AVGVSTI 1.

1. PLurimi Scriptores, ij præsertim, quos citat Baronius hodie in Notis Martyrologij Romani, harum Virginum constantiam summis laudibus efferunt; illud tantummodò videndum, an Patriâ sint Mediolanenses. Id testantur Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Castritiani, fretus testimonio eruditissimi Galesinij, Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Isolanus in Panegyrico Mediolani, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ ad diem vltimam Septembris, quâ celebratur Festum S. Sophiæ Matris earundem Virginum, Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, Morigius lib. 2. Hist. Mediolanen. cap. 7., Besutius in Historia Pontificali in Vita S. Caij, Ambrosius Boronus in Vita S. Sophiæ, Puricellus in Dissertat.

Nazar.

Nazar. cap. 42. num. 13., alij denique Scriptores, quos infra afferemus Pridie Calendas Octobris, cùm de S. Sophia illarum Parente. Commendat hasce Virgines singulatim Buzzius, deinde ad omnes conuersus, hæc cecinit.

Festiuo properate gradu super astra sorores:
Vos hæc nostra minùs terrea claustra decent.
Ite; Fides & Spes, necnon Soror altera Virtus
Æthre fluunt: patrio conuenit esse solo.

Item Brautius singillatim laudat easdem Virgines.

De S. Fide Virg. & Mart.

Nata Fides Matrem potuit præcedere, binis
Non sine germanis euacuare fidem.

De S. Spe Virg. & Mart.

Spes soror ad geminas, leuis hæc tribulatio, dixit,
Æternæ vitæ pondus opusque patrat.

De S. Charitate Virg. & Mart.

Dona Spei, Fideique recepta, necata reliquit
Germanis, quæ non restituenda dedit.

2. Legiodunum est Oppidum satis clarum, siue Legiunum (vti mauult Bonauentura Castillionæus in Libro de Gallorum Insubrum antiquis sedibus) quamquam Corpus S. Primi in editiori colle, qui Legioduno impendet, in arca lateritia asseruetur. Huiusce autem Translationis meminit Breuiarium Ambrosianum die nonâ Iunij, quæ est Natalis SS. Primi & Feliciani, Ripamontius Dec. 1. lib 9 Hist. Mediolanen. Ecclesiæ: idem testatur Epigraphe, quæ scripta est in capite arcæ, eamq; non ego ibidem tantùm legi, cùm illac iter facerem, verùm etiam apud Carolum a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediol., qui citat annotationes in Martyrologium Galesinij, atque egregiè disputat de anno huiusce Translationis, quæ Angelberto Archiepiscopo peracta est.

Quomodo autem Corpus S. Primi conditum esse dicatur in quinque locis (quemadmodum testificatur Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ die nonâ Iunij, & Tattus in Notis Martyrologij Comensis ad diem quintum Idûs Iunij) nimirum Legioduni, Romæ in Basilica S. Stephani (vt in Notis Martyrol. Romani) Papiæ in Ecclesia Monialium S. Agathæ, in Oppido

Quadri-

Quadrigenti in agro Alexandriæ Statiellorum, demum in Cœnobio S. Petri Bisuldini ex sententia Bucelini in Sacrario Benedictino, alterius est disputationis. Equidem censeo, fontem huiusce erroris, quo Reliquias eiusdem Sancti pluribus in locis tumulatas nouimus, manare ex eisdem Diuorum nominibus; cuius erroris originem indicat eruditè Ferrandus in Disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. 4. artic. 1.. Tattus in Notis paulò antè citatis rem dubiam ita explicat, cùm agit de Corpore alterius S. Primi, quod iacet Campi Dulcini in Diœcesi Comensi. *Certum (ait) omnino est illud, vno tantum in loco Corpus S. Primi reperiri, quamuis compluribus locis assignetur; in ijs enim necesse est, partem aliquam pro integro Corpore figuratè vsurpari*. Certè, ob multiplicitatem earundem Reliquiarum, Reliquiæ postea veniunt in discrimen: ita vt aliquando iussæ sint subire experimentum; quod sanè præstitit Venturinus de Marnis Episcopus Cremonæ de maxilla inferiori S. Apolloniæ asseruatâ in Ecclesia PP. Carmelitarum & in Ecclesia S. Abundij PP. Humiliatorum, quemadmodum narrat Bagatta tomo 1. admirandorum lib. 2. cap. 1. §. 9. num. 13., docens, id contigisse anno MCDLXIII., pluraque alia in hanc rem proferens exempla.

PRIDIE NONAS AVGVSTI.



MEdiolani in Basilica Sancti Stephani Festiuitas Sancti 1. Protasij Martyris, cuius Corpus ibidem in ara Maiori requiescit. Romæ Sanctæ 2. Perpetuæ, quæ a Beato Petro Apostolo baptizata, Nazarium filium & Africanum virum ad Fidem Christi perduxit, & multa Sanctorum Martyrum Corpora sepeliuit: ac tandem bonorum operum meritis cumulata migrauit ad

Dominum; eius autem Reliquiæ Mediolani in Basilica Nazariana conditæ sunt.

AVGVSTI 4.

1. CElebris est hæc Basilica, & a multis Scriptoribus commendata. Inibi multa Corpora Sanctorum asseruantur, quorum, aut Translatio, aut dies Natalis, in hoc Martyrologio commemoratur, vnum si tollas Martianum Eremicolam; cùm enim eius diem Natalem ignoremus, in eum diem conijcere possumus, quo eius Translatio facta est a Cardinali Federico Borromæo Archiepiscopo, cuius antea mentionem fecimus. Cæterùm superest Epistola Innocentij Papæ III lib. 2. Præposito & Fratribus S. Stephani in Brolio missa, vt Al. Marcellinum in suum Collegam recipiant, quæ indicat eius Collegij nobilitatem.

Porrò Corpus S. Protasij hìc iacere, constat ex eiusdem Visitatione, quod creditur Coloniâ Agrippinâ huc aduectum fuisse; nam alius Protasius est ab eo, qui Mediolani cæsus est vnà cum Geruasio fratre. An verò ille idem sit, cuius hodie mentio fit in Romano Martyrologio & Galesinij, admodum dubito dicere; neque enim verosimile videtur, Colonienses tradere voluisse exteris singularem hunc Martyrem: sed aliũ puto esse Protasium ex socijs fortasse S Gereonis, qui Coloniæ Agrippinę cum alijs trecentis decem & octo Martyrij gloriam promeruit, vt in Martyrologio Romano sexto Idûs Octobres. Eadem enim Colonia largè nobis alias Reliquias donauit, quarum nomenclaturam fusè persequitur Crombach in Historia Vrsulana, veluti rependens iacturam Sanctorum Regum Magorum, quam miserabiliter passi sumus.

2. Corpus S Perpetuæ creditur tumulatum fuisse in Basilica Nazariana Mediolani: vt inibi cum cineribus S. Nazarij filij sui quiesceret. Hæc tradit Villa in Libro de Septem Basilicis Stationalibus, Ferrarius hâc die in Notis ad Catalogum SS. Italiæ, & Liber quidam Italicus citatus a Puricello in Dissert. Nazar cap. 135. Ecclesia quidem Mediolanensis hodie facit commem. in Officio & in Missa S. Perpetuæ, cuius alias celebrabat

brabat Officium. Sunt tamen, qui tantas in Basilica Nazariana asseruari Reliquias S. Perpetuæ arbitrentur: vt Corpus appellari possit, licèt non sit integrum. Ego verò ne digitum quidem in hac disputatione verterim, cùm norim, etiam Reliquias Insignes aliquando fuisse vocatas Corpus. Certè Antossio teste lib. sæpe cit. §. 15. *passim annotatur apud classicos Patres, vbi alicuius Corporis Sancti Reliquia Insignis reperitur, in eo loco dici illius esse Corpus. Et sic non est mirum, quòd dicatur Corpus vnius Sancti in diuersis & pluribus esse locis &c.* Hoc idem sentit Baronius in Notis Romani Martyrologij die decimâ sextâ Cal. Octobres, cùm agit de Corporibus SS. Luciæ & Geminiani, quæ Romæ & Lucæ quiescere dicuntur. Disticon legimus de S. Perpetua in Martyrologio Poetico.

A Petro lustrata, virum conuertit, & ardet
Martyrio, nati Martyris alma Parens.

NONIS AVGVSTI.

ROmæ Sanctæ Verginiæ Martyris, cuius Corpus Barbaianæ in Diœcesi Mediolanensi magnâ religione colitur.

AVGVSTI 5.

EX Tabulis Ecclesiæ Parochialis Pagi Barbaianæ.

OCTAVO IDVS AVGVSTI.

ROmæ Sancti Stephani Subdiaconi & Martyris, cuius Corpus Varisij in Ecclesia Maiori asseruatur,

AVGVSTI 6.

EX Tabulario eiusdem Ecclesiæ; si autem Corpus S. Stephani effossum fuit ex Cœmeterio Prætextati (in quo illud

fuisse conditum testatur Martyrologium Romanum) Stéphanum eundem esse non iniquè arbitrabimur, cuius nomen hâc die in eodem Martyrologio celebre est.

SEPTIMO IDVS AVGVSTI.


NOuocomi passio Sanctorum Martyrum 1. Carpophori, Exanthi, Cassij, Seuerini, Secundi, & Licinij, qui in confessione Christi capite truncati sunt; Sancti autem Carpophori Corpus Aronam primùm, postea a Sancto Carolo Cardinali Archiepiscopo Mediolanum translatum est. Mediolani Sancti 2. Fausti Militis, qui sub Aurelio Commodo post multa certamina Martyrij palmam adeptus est.

AVGVSTI 7.

1. S. Carpophorum præponimus Diuo Fausto, quoniam de eo hodie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium. Porrò S. Carpophorum Mediolani ad Christi Fidem conuersum fuisse vnà cum S. Exantho testatur Breuiarium Ambrosianum hâc die, quo tempore vincti erant in carcere Zebediæ SS. Cassius, Licinius, Secundus, Seuerinus, & Alexander; nam SS. Firmus & Rusticus Ciues Bergomenses conclusi fuerant in alio carcere, quà nunc posita illis est Sacra Ædes Parochialis in Regione vrbis Ticinensi; quod etiam legimus in lib. M.SS. Sacrarij Franciscani: *inclusi sunt in custodia apud Anolinum Consiliarium Maximiani Mediolani*. De carcere autem Zebediæ nonnulla scripsimus in lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis: atq; eiusdē phylacæ meminit libellus Officiorum Ecclesiæ Bergomensis in Officio S. Alexandri, vbi etiam fit mentio S. Carpophori. De S. autem Carpophoro agit

agit Martyrol. Rom., Breuiarium & Missale Ambros., Officia & Martyrologium Comensis Ecclesiæ, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Mombritius tomo 1. Carolus a Basilica Petri in Vita SS. Materni in Hist. Mediolani, Chalcus Hist. Patriæ lib. 1., Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediol. Ecclesiæ lib. 2. Baldesanus in Hist. S. Mauritij lib. 1. Pucinellus in Zodiaco Mediol. Ecclesiæ in Vita S. Materni, & ante omnes Baronius & Galesinius cum ijs omnibus Auctoribus, quos eruditissimus Tattus enumerauit in Notis Martyrologij Comensis hâc die, queis adde Brautium in Martyrol. Poetico:

Carpophorus, quoniam vinctis seruiuit, eosdem
Martyrij socios dignus habere fuit.

Mediolani, in Regione Comensi vrbis, restituta fuit Ædes Parochialis S. Carpophori magno sumptu, vbi superstites adhuc quatuor columnæ Porphyreticæ veterem Templi eius venustatem & magnificentiam ostendunt.

Cæterùm de Corpore S. Carpophori nondum dimicatio conquieuit. Tattus ibidem affirmat, anno MDCXI. die vigesimâ Ianuarij, Corpus S. Carpophori recognitum fuisse, collocatumque in Ara maiori Templi S. Carpophori Comi: ac subinde Mediolanensibus exiguam tantùm portionem Corporis ascribit, aut Corpus alterius S. Carpophori. Siquidem Diuus Carolus Borromæus, vti narrat Glussianus in eius Vita lib. 3. cap. 8., Ferrarius in Notis Catal. SS. Italiæ die 7. Augusti, Morigius in Sanctuario, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 3 cap. 6., & in Hist. Mediol. in Vita S. Materni, atque in Nouaria Sacra lib. 1., Gaspar Bugattus in additamento Hist. vniuersalis, & Baldesanus in calce lib. 1. Hist. S. Mauritij, ex Oppido Aronæ exportauerat Mediolanum ad magnificentissimum Templum S. Fidelis Corpus S. Carpophori, Sanctique Fidelis: relictâ etiam Aronæ eorum parte ad sedandam Oppidanorum querimoniam. Quòd si eorum Sanctorum Corpora Abbas quidam Comensis transtulerat Aronam, quemadmodum vult Carolus a Basilica Petri in Nouaria Sacra lib. 1., verisimile est, illa lipsana eò deuexisse, quæ Comi asseruabantur. De hac tamen quæstione certent hi, quorum interest; & fortè Comi duo Martyres Carpophori, duoque Fideles extiterunt: vt proin-

proinde, & Mediolani, & Comi iidem Martyres quiescere possint. Certè Brixiæ duo Faustini, & duo Iouitæ Martyres fuerunt (si credimus Fayno) & Mediolani duo Nabores: duo Ambrosij, alter Martyr (de quo infra) alter Episcopus: duo Eustorgij: tres Protasij: duo Victores: duo Calimerij. Nec videtur alienum a vero, duos fuisse Carpophoros, geminosque Fideles Nouocomi: quando ex eius Martyrologio decimo Cal. Septembris constat, plurimos ibidem Martyres iugulatos *in truculentissima Maximiani persecutione:* inter quos potuerunt esse plures Carpophori & plures Fideles, in clade enim plurimorum Martyrum, atque in magna frequentia ciuium, plures esse potuerunt eiusdem nominis Martyres; quod neque improbat idem Tattus in Notis Martyrol. Comensis ad diem 7. Augusti.

2. Iacet Corpus S. Fausti in Ecclesia Monialium S. Apollinaris Mediolani: eiusque Vitam nouissimè typis Mediolanensibus edidit Antonius Coherez ex Minoribus de Obseruantia. Item S. Fausti meminit Galesinius in Martyrol., qui Martyrologium Romanum, M.SS. Annales Hermanni, & monumenta Mediolanensis Ecclesiæ citat, Ferrarius in Catalogis, Ambrosius Boronus in eius Vita, & alij. Ecclesia tamen Mediolanensis, quemadmodum SS. Robustiani, Ambrosij, ac Guiniforti Martyrũ, nequidem S. Fausti commemorationem facit; quod ægrè ferunt multi Ciues & Liturgi. De Ecclesia S. Apollinaris Puricellus in monum. Basil. Ambrol num. 583.

Hunc Faustum perperam Morigius in Sanctuario, cùm indicat lipsana Sacræ Ædis Diui Apollinaris, vocat Faustinum; Ferrarius verò putat, hunc Faustum fuisse filium Philippi, de quo meminit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 7. & 34. Etenim Philippus ille duos liberos suscep rat, Portium videlicet Portianæ Basilicæ conditorem, & Faustum Faustinianæ; quarum Basilicarum mentionem legimus in Breu. Ambros. in Lect. S. Castritiani Cal. Decembribus, in cuius Vita idem tradit Carolus a Basilica Petri. Verùm Morigio & Ferrario, alijsque dissentit Breuiarium Ambros.; quippe in periocha illa Vitæ S. Castritiani hæc recitantur, nempe: Castritianus *alias duas Ædes consecrauit, quas duo Philippi filij Ecclesiæ donarunt:*

& has

& has ex eorum nominibus Portianam vnam, Basilicam Faustæ alteram vocauit. Itaque, non Faustus, sed Fausta filia fuit Philippi; de cuius Basilica instituit disputationem Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambros. num. 75., 76., & 79.: ac num. 80. statuit, Basilicam Faustinianam appellatam fuisse a Fausta filia Philippi, cui patrocinatur S. Ambrosius in Epistola quinquagesima tertia ad Marcellinam sororem. Porrò de hoc Fausto Martyre agunt idem Puricellus in ijsdem Monum. num. 81. & Brautius in Martyrol. Poetico.

Quod felix faustumque fuit tibi, Fauste, subire
Pro Christo mortem, vita beata docet.

SEXTO IDVS AVGVSTI.

ROmæ Sancti Constantini Martyris, cuius Corpus Gudi Vicecomitum summâ veneratione habetur.

AVGVSTI 8.

EX Tabulis Ecclesiæ Parochialis huiusce Pagi.

QVINTO IDVS AVGVSTI.

ROmæ Sancti 1. Firmi Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Mariæ Paradisi hodie Fidelium venerationi proponitur. Item Romæ Sancti 2. Romani Martyris, cuius Corpus Varisium translatum est.

AVGVSTI 9.

1. EX Tabulario & anniuersariâ veneratione huiusce Ecclesiæ, de qua nonnulla scripsimus lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. Hic autem Firmus non ille est, qui

qui cum Rustico passus est Veronæ, quandoquidem illius Corpus S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus ex suburbana Ecclesia transtulit in Templum Cathedrale Bergomi, vt ex Officijs SS. Ecclesiæ Bergomatis hâc die, ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, atque ex Scriptoribus Vitæ eiusdem S. Caroli; hic verò Firmus Romæ martyrio est coronatus, & eiusdem nominis causâ hodie colitur.

2. Ex Tabulario Ecclesiæ Maioris Varisij, vbi hâc die celebratur Officium Solemne de S. Romano. Porrò de Reliquijs Ecclesiæ primariæ Varisij, ac de eiusdem nobilitate aliqua tradit Morigius in Sanctuario. Hunc autem Romanum minimè eum esse arbitramur, cuius hodie memoriam facit omnis Ecclesia; etenim illius Corpus conditum est Romæ: alterius verò Romani Corpus quiescit Lucæ, si credimus Galesinio. Huc itaque videntur posse accommodari ea, quæ Tattus in Martyrologio Comensi Idibus Augusti scripsit, cùm de Hippolyto Martyre egit, qui simul cum Romano Discipulus fuit S. Laurentij. *Huic* (inquit Tattus) *Hippolyto, quòd suis peculiaribus gestis, aut iniuria temporum, aut iniuria Scriptorum careat, ascribuntur passionis acta, quæ S. Laurentij Discipulo propria, alijs, sed perperam, communia fiunt, ob nominis, vt loquamur cum Philosopho, identitatem. Verùm hanc syncera veritatis contumeliam ferunt indignè Cælites, qui candidè semper veritatem amarunt. Alienis non egent victoriarum titulis, qui sua cumulatissimè, licèt nobis ignota, ostentant trophæa.* Alijs igitur diebus colamus Firmum & Romanum; ne permixta Sanctorum nomina turbas aliquando Scriptorum excitent; de quâ re aliàs Lectorem admonuimus.

QVARTO IDVS AVGVSTI.


MEdiolani Beati Amadei Confessoris, genere ac virtutibus illustris, qui ibidem Amadeorum Ordinem, ædificato ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Pacis cœnobio, instituit: vbi obdormiuit in Domino.

AVGVSTI 10.

ECclesiam S. Mariæ Pacis laudat Morigius in Sanctuario, Beatum verò Amadeum Martyrologium Franciscanum, vnàque Scriptores omnes in eiusdem Notis citati, queis adde Glussianum in Vita S. Caroli lib. 2. cap. 14., Merulam in Sanctuario Cremonensi, Valerianum Madium in Synopsi Clericorum Regularium S. Pauli, & Carolum Gregorium Rosignolum ex Societate Iesu in Vita Comitissæ Ludouicæ Torellæ parte 1. cap. 10.. In hac Ecclesia, iuxta Altare maius, est Ara dicata Beato Amadeo: ibique hodie eius Reliquiæ Fidelium osculo exhibentur. Illius Vita commissa est typis Mediolani Anno MDCXXX. eiusdemque Prophetiarum, visionum, Sermonumque exemplum M. SS. asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana. In Sacrario huiusce Cœnobij quiescunt Cœnobitæ duo morum integritate, vitæque bene actæ gloriâ nobiles Anselmus & Laurentius, de quibus agam ad Cal. Nouembres. De Beato Amadeo, Anselmo & Laurentio scripsit Franciscus Gonzaga tomo 2. de origine Seraphicæ Religionis in Prouincia Mediolanensi, vbi laudat Cœnobium S. Mariæ de Pace. Hisce verò iuuat attexere, quæ de Beato Amadeo tradidit Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib 2. cap 5. *Amadei nomen traxerunt ab Amadeo Vlysiponensi viro religiosissimo, qui sibi ob præcipuam Sanctitatem non mediocrem Fratrum numerum plurimis abhinc annis adiunxerat: & vnà cum ijs asperiorem veterum vitam renouare conatus erat &c.* Vide etiam Vuadingum & Haroldum in sect. 2. multa de B. Amadeo afferentes.

TERTIO IDVS AVGVSTI.

ROmæ Sancti Fausti Martyris, cuius Corpus Caneri ad Lacum Verbanum honestissimè conditum est.

AVGVSTI 11.

EX Tabulario Ecclesiæ Parochialis Caneri; Lacum autem Verbanum laudat Bonauentura Castillionæus in lib. de antiquis sedibus Gallorum Insubrum, Gaudentius Merula de antiquitate Gallorum Cisalpinorum lib 2. cap. 15., Carolus a Basilica Petri in Nouaria Sacra, Morigius in Libro de nobilitate Lacûs Verbani, & Paulus Merula Parte 2. lib. 4. Cosmographiæ, quo in loco commendat Pagum Caneri. Ante omnes Plinius lib. 2. Hist. cap. 6. meminit Lacûs Verbani, ac Fluminis Ticini, quod ex summis alpibus Lepontiorum delapsum, sese in eundem Lacum aquis exonerat, postea erumpens, Eridano tandem defert lymphas vectigales.

PRIDIE IDVS AVGVSTI.

MEdiolani Depositio Sancti Eusebij Episcopi & Confessoris, qui Synodo Prouinciali habitâ hæresim Eutychianam condemnauit, & rerum sanctè gestarum laude illustris migrauit in Cælum.

AVGVSTI 12.

DE S. Eusebio vide Martyrologium Romanum, Breuiarium & Missale Ambrosianum, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Annales Baronij ad annum CDLI., S. Ennodium, Galesinium, Vghellum tomo 4. Italiæ Sacræ, Ripamontium Dec 1. Hist. Mediol Ecclesiæ lib. 6., Ferrarium in Catal. SS. Italiæ, Besutium in Hist. Pontific., Librum de Successoribus S. Barnabæ, Catal. M SS. in Bibliotheca Ambrosiana, Puricellum in Vita S. Laurentij Littæ, Vicecomitem lib. 2. de Ritibus Missæ cap. 12., Carolum a Basilica Petri de Metropoli Mediolanensi num. x1., Bagattam tomo 1. admirandorum, & Sirmundum in Notis ad Epigramma, quod Diuus Ennodius in laudem S. Eusebij cecinit. Ibi verò Sirmundus animaduer-

tit,

tit, Basilicam S.Theclæ nunc dirutam, *ab Eusebio post incendium renouatam fuisse*: affert Epigrapham, quæ olim in Templo S.Theclæ testabatur posteris munificentiam Diui Eusebij. Erat autem eiusmodi, videlicet:

Prisca rediuiuis consurgunt culmina Templis,
In formam rediere suam quæ flamma vorarat;
Reddidit hæc votis Christi qui Templa nouauit.
Eusebij meritis noxia flamma perit.

Reliqua de S. Eusebio prosequemur infra, cùm ad diem vigesimum Octobris peruenerimus; quamquam illud etiam magno decori sit Eusebio, quòd mœnia & Portas Mediolani restituerit, si fides Castillionæo in fasciculo 7. Parte 1. de antiquitatibus Mediolanensibus.

Illud quoque addidissem libentissimè, si licuisset, Lectioni S. Eusebij in Breuiario Ambrosiano, nimirum, quòd non tantùm tres Antistites Sanctitate nobiles interfuerint Synodo ab eodem Eusebio habitæ, Maximus videlicet Taurinensis, Crispinus Ticinensis, & Abundius Comensis, sed etiam Diuus Optatianus, siue Octauianus, Brixiensis, & S. Prosper Episcopus Regij in Gallijs, vt vult Baronius, necnon S.Gradus, siue Gratus, tunc Presbyter, postea Episcopus Ecclesiæ Augustanæ, teste Carolo a Basilica Petri lib. 1. Nouariæ Sac.

Summâ itidem religione Eusebius coluit S. Martyrem Laurentium, infra eius Octauam vitâ defunctus, atque in eiusdem Basilica Mediolani tumulatus. Eiusdem item Martyris ope, delapsum sibi è manu crystallinum calicem, cùm Diaconatûs munere fungeretur, integrum solidumque accepit. Factum hoc Eusebij laudat Brautius disticho, Bulzius hexastico.

Incautus calicem vitreum, quem fregerat, orans
Restituens, sacrum ritè peregit opus.
S. Eusebius Episcopus Mediolani
Sacrum vitreum calicem fractum reparat.
Lactea Diuinos sorbent quos ora liquores,
Mysta sacra cunctos innouat arte dies.
Pocula cùm præceps frangit crystallina lapsus,
Ille sua reficit pocula fracta manu.
Quid, grex, non speres tanto sub Præsule, nouit

Qui reparare merum, qui reparare scyphos?

Diuum itidem Laurentium præcipuâ veneratione coluit S. Marcellina, *cui votum nuncupauit pro prospero commeatu S. Satyri fratris sui;* quod tradit Baronius ex testimonio S. Ambro tomo 4. ad annum CCCLXXXIII.

DECIMO OCTAVO CALENDAS SEPTEMBRIS.



Agaste in Africa Sancti 1. Alipij Episcopi, qui Beati Augustini olim Discipulus, postea in Conuersione socius, atque simul cum eo a Sancto Ambrosio Mediolani baptizatus, in munere Pastorali collega, & in certaminibus aduersùs hæreticos commilito strenuus, ac demum in cælesti gloria consors fuit. Mediolani Beati 2. Alberti a Sartiano, cuius animam Sanctus Ioannes de Capistrano euolare vidit in Cælum. Ibidem Translatio 3. Prima Sanctorum Martyrum Sisinij, Martyrij, & Alexandri.

AVGVSTI 15.

1. ALipius Tagastensis Episcopus inter Sanctos Mediolanensis Ecclesiæ! Id noui planè attulit Africa: atque ex eadem Prouincia hoc vtique monstrum venit. Monstra tamen minimè narrabo, si euolues Librum viri doctissimi Antonij Quintanaduenas ex Societate Iesu, cui titulum hunc præfixit, nempe. *Singularia Theologiæ Moralis ad Septem Ecclesiæ Sacramenta; ibi enim diuersos titulos affert, quibus aliquis Sanctus potest appellari Naturalis alicuius Loci;* puta

1. *Obitus felicissimus in eodem Loco,*

2. Na-

2. *Natiuitas temporalis,*
3. *Dignitas, etiam Secularis, in eodem Loco obtenta,*
4. *Baptismus in eodem Loco receptus,*
5. *Educatio ibidem habita,*
6. *Domicilium per decennium, licèt alibi natus,*
7. *Origo paterna, quæ facit filios naturales, vel Ciues eiusdem Loci, vbi Pater ipse natus est.*

Hæc Quintanaduenas; quem ducem sequimur simul cum Fayno in Præfatione Martyrologij Brixiensis *ad pium Lectorem*. Si enim propter natiuitatem temporalem quis est Ciuis eius Loci, in quo editur in lucem: multò magìs erit conterraneus, qui ibidem spiritualiter renascitur.

Baptismi igitur causâ S. Alipius recensendus est inter Sanctos Mediolanensis Ecclesiæ simul cum Augustino atque Adeodato eius filio, cuius Vitam descripsit Torellus in 1. tomo Seculorum Augustinensium pag. 271. At Augustinus, Alipius, & Adeodatus fueruntne baptizati per immersionem, an per infusionem?

Olim Baptismum ministratum fuisse a solo Episcopo per immersionem ostendit Ioseph Vicecomes de antiquis Baptismi Ritibus: eumque morem docet P. Claudius Frassen in Libro, cui titulus *Scotus Academicus* tomo 4. de Sacramentis pag. 140. *inualuisse ab Apostolis, vt Baptismus nonnisi per trinam immersionem fieret: ac tandem rationabili de causa sancitum esse ab Ecclesia, vt Baptismus dumtaxat conferretur per infusionem aquæ in caput &c.* quem morem retinuit Mediolanensis Ecclesia, etiamnum per immersionem Sacramentum Baptismi infantibus ministrans. Probabile igitur est, noluisse S. Ambrosium in baptizandis Augustino, Alipio, & Socijs discedere ab inueterato Ritu: atque ideo per trinam immersionem Catechumenos ab eodem fuisse ablutos. Idem enim Ambrosius lib. 3. cap. 1. de Sacramentis: *Hesterno die* (inquit) *de fonte disputauimus, cuius species veluti quædam sepulchri forma est, in quem, credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, recipimur, & demergimur, & resurgimus, hoc est resuscitamur.* Accedit auctoritas Petri del Campo, quem citat & sequitur Torellus tomo 1. Seculorum Augustinianorum ad annum Christi

CCC-

CCCLXXXVII. *Riceuè* (ait Torellus) *finalmente l'acqua del Santo Battesimo il nostro Glorioso Dottore* (nempe Augustinus) *dalle mani del grande Ambrogio, il quale in se stesso per la souuerchia gioia non capiua, in compagnia d'Alipio suo dilettissimo Discepolo e compagno, e poi anche di Diodato suo figlio; altri ancora vi aggiungono degli altri, sino al numero di quaranta, e più ancora &c. In compagnia adunque d'Alipio, e di Diodato, fù egli il nostro gran Padre ben trè volte tutto attuffato, come in quei tempi si costumaua, e si legge nell'Ordinario Romano, nel Sacro Fonte &c.*. Et paulò pòst num. 26. ex sententia Donati Bossij Chronologi Mediolanensis tradit, Ambrosium cum Augustino processisse ad Templum S. Theclæ (cuius infra meminero) cantando alternatim Hymnum *Te Deum laudamus*, de quo plura ibidem scribit Torellus. Erat autem Ambrosius, teste Paulino in eius Vita, quem citat Vicecomes in Libro paulò antè memorato lib 1. cap. 28., *in rebus Diuinis implendis fortissimus in tantum: vt, quod solus implere poterat circa baptizandos, quinque postea Episcopi tempore, quo decessit, vix implerent*.

Quòd si baptizatus fuit Augustinus per immersionem, certè baptizatus fuit in Basilica Baptisterij, cuius S. Ambrosius meminit in Epistola 14 ad Marcellinam sororem. Nam alia duo Baptisteria a S. Laurentio & a S. Eustorgio Archiepiscopis multò pòst condita fuerunt, nimirum S. Ioannis & S. Stephani ad Fontes, de quibus Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ, & in Dissertat. Nazar. cap 98. num. 13. Quod quidem Baptisterium S. Stephani erat *mirifici operis*, vt antea diximus, cùm de S. Eustorgio II. illius conditore ageremus: at Baptisterium S. Ioannis, saltem Beroldi tempore, erat structuræ vulgaris, vt ibidem Puricellus: nam *in Vigilijs Pentecostes Sarcitectus emundabat Fontes, ac duo minores Ostiarij trahebant aquam cum hidria & fune, sumpta ab Archiepiscopo*: vt labrum fontium haustâ aquâ replerent.

Vnum autem horum Baptisteriorum, S. Ioannis videlicet, inseruiebat marium Baptismo: alterum S. Stephani, Baptismo fœminarum. Baptizabantur enim seorsum viri a fœminis, honestatis causâ; quippe, tam mares, quàm fœminæ, nudatis omnino corporibus, accedebant ad Baptismum: vt fusè probat

bat Vicecomes lib. 4. a cap. 10. vsque ad caput 14. Quòd si Baptisterium S. Ioannis ædificatum fuit a S. Laurentio (nam Puricellus ab eodem, *vel conditum, vel restauratum fuisse* censet in Vita eiusdem S. Laurentij pag. 341.) corruit sententia Datij & Puricelli ibidem tradentis hæc: in Ecclesia S. Ioannis ad Fontes *baptizatum fuisse ab Antistite nostro Sancto Ambrosio Sanctum Augustinum vulgatissima traditio est, Chronologi etiam Datij testimonio comprobata.* Siquidem Augustinus & Ambrosius iandiu Cælo fruebantur, cùm Laurentius Archiepiscopus Baptisterium ædificandum curauit.

Baptismi igitur ministrati per immersionem, non modò plura testimonia affert Vicecomes, verùm leguntur apud alios auctores, necnon apud S. Augustinum Serm. 9. de Tempore: *quando in salutari lauacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptus, idest originalia peccata & actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur:* & penes S. Gregorium Magnum lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum Episcopum Hispalensem. Item apud Bulengerum lib. 3. de Templis cap. 35. de Baptisterio legimus, Sixtum III. *in Basilica Constantiniana columnas porphyreticas his versibus exornasse*, videlicet:

Mergere peccator sancto purgande fluento;
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.

Si autem S. Petrus Apostolus intra vnius diei spatium, vt opinatur Vicecomes lib. 4. cap. 6., baptizauit tria millia hominum, cùm non *multò facilius esset aquæ aspersione lustrari, quàm in aquam mergi: nec inficiandum, quin dies æstiua, quo tempore Petrus baptizauit* (scilicet Pentecostes) *trium millium mersioni suffecerit*; multò magis Diuus Ambrosius, integris viribus, eodem die, baptizare potuit cum Augustino, Alipio, & Adeodato quadraginta & ampliùs Catechumenos; quod legi, non solùm apud Torellum, sed etiam in Officijs Sanctorum Ordinis S. Augustini, quæ edita sunt Venetijs anno MDCXXV., tertiâ die infra Octauam S. Augustini in Lect. 4. ad Matutinum.

Verùm quis certò affirmet, libros Sacramentorum scriptos fuisse a S. Ambrosio? Eminentissimus Bona in lib. 1. de rebus Liturgicis cap. 7. num. 4., pluribus contendit, dubitans Ambrosium esse eorum librorum auctorem. Expende, quæso, doctissimi

Cardi-

Cardinalis argumenta, quibus ille *suam suspicionem, seu coniecturam, doctioribus examinandam relinquit*. Quòd autem baptizandi, tam mares, quàm fœminæ, nudato penitùs corpore, descenderent in fontem, saltem quoad fœminas improbat eruditissimus Menochius ex Societate Iesu, in Libro, quem inscripsit, *Le Stuore* cap. 41. Centuriæ Tertiæ. *Questo zelo* (ait Menochius) *della modestia delli antichi mi rende del tutto improbabile quello, che ha scritto Giuseppe Visconte nel suo trattato de Ritibus Baptismi, cioè, che anticamente in quelle Chiese, doue si vsaua di battezzare per immersionem, si metteuano nel Sacro Fonte Baptismale le Donne anco adulte nude affatto. Non credo, che li Sacerdoti Santi della Chiesa antica volessero mai porre le Donne e le fanciulle in questa tale necessità, dalla quale ragioneuolmente poteuano hauere più aborrimento, che della stessa morte, ne se medesimi a pericolo di qualche peccato d'impurità mortale, che anco con gli occhi si può commettere, guardando corpi nudi di sesso differente, come communemente tengono gli autori, che trattano di materie morali. Ben mi pare, che sarebbe stato più conueniente, che il detto Visconte si fosse ingegnato di tirare a qualche buon senso li luoghi de gli autori, che esso cita per stabilimento della sua opinione, la confutatione della quale veggasi apresso del Viringo, citato da Rosueido nell'Onomastico V. Baptismus nudorũ.*

Scio, hic obijci posse Carthusiani sententiam apud Lorinum in caput 8. Actuum Apostolorum nu. 38., vbi narratur Baptismus Eunuchi, qui erat *potens Candacis Reginæ Æthiopum*; etenim *descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Eunuchus* (inquit Carthusianus) *magnam familiam habuit: nec tamen coram illis se nudare & lauari erubuit*. Verùm Lorinus ipse obijcienti respondebit ibidem, nempe: *est huius Sacramenti* (Baptismi videlicet) *proxima materia ablutio; Christus autem modum eius nullum definiuit: Carthusianus citatus affirmat Eunuchum immersum. Sed non improbabile etiam est, fuisse dumtaxat aspersum, propter decentiam, sicut de Christo, dum eum Ioannes baptizauit, quidam contendunt. Lege Suarez*; quæ profectò honestas, non tantùm fœmineum, sed etiam masculinum sexum decet.

Quid ergo Torellus citat Diuum Ambrosium de Sacramentis, cuius

cuius libri eum auctorem fuisse inter Scriptores nō conuenit? Opinionem verò Donati Bossij ne flocci quidem facio. Sanè Carolus a Basilica Petri in Vita S. Eustorgij in Hist. Mediol. docet, *Historiam Bossianam a doctis nunquam fidelissimam habitam esse. Est Chronicum Bossianum* (ait Carolus a Basilica Petri) *vt pleraque nostræ Ciuitatis, eius generis, vt quæ viderint, vel audierint, fideliter referant: antiqua verò vt indocti ignorent.*

Et quamuis *fortissimus fuerit Ambrosius in rebus Diuinis implendis*: attamen, neque Herculeis viribus fuit, neque Briareus. Si enim vera sunt, quæ scribit Vicecomes lib. 4. supra citato cap. 7. nempe, *baptizandos de pondere sublatos ab Episcopo, mersos fuisse, rectos & stantes, totumque hominis corpus in aquam mersum esse &c.* qui fieri potuit, vt Ambrosius homines magno natu, & for asse proceros, quadraginta & ampliùs, præter Augustinum, Alipium, & Adeodatum, sustulerit de pondere, ac ter in Aquas Baptismales merserit, quin cæremonia peragenda protraheretur

a luce prima in vesperum,

diemque integrum steterit in aquis, vti ostendit ibidem Vicecomes, tradens, *ministrum Baptismi in aqua stetisse?*

Longitudo autem illa cæremoniæ in baptizando tanta, quantam indicat Vicecomes, minimè defatigare potuit Ambrosium vergentem in senium? Quid si eodem die Ambrosius lauit etiam pedes baptizandorum secundùm Ritûs Mediolanensis Ecclesiæ? Quantum temporis in eam quoque cæremoniam fuerit impensum! de qua vide eundem Vicecomitem lib. 3. cap. 17. Beroldum, & Cornelium a Lapide in Euangelium S. Ioannis cap. 13. v. 7. Quæ lotio pedum perstitit diu in Ecclesia Mediolanensi, ita vt doctissimus Cornelius a Lapide hæc tradat. *Hinc Mediolani* (ait) *eodem die Iouis Sancto Episcopus multis e Clero, Christi exemplo, pedes lauabat.* Mos hic lauandi pedes baptizandorum iandiu obsoleuit; abluendi verò Clericis plantas mentionem reperies in Missali Ambrosiano edito Mediol. per Ratisponensem anno 1482. in Liturgia Feriæ V. in Cœna Domini: *Archiepiscopus lauat Presbyteris & Diaconibus & Primicerio Lectorum & Magistro Chori cum magna reuerentia singulis singulos pedes, ijsdem canentibus*

hanc Antiphonam: Postquam surrexit Dominus a Cœna misit aquam in peluem &c. Quòd verò quinque Episcopi post obitum S. Ambrosij vix suffecerint, inde est, quia neutiquam tot ministri famulati fuerint in Baptismo Episcopis exteris, quot ipsi Ambrosio Metropolitæ.

Porrò Basilicam illam Baptisterij, Ambrosio Antistite, extitisse non inficiamur; sedenim quemadmodum Ambrosius pro sepultura sui corporis prætulit Basilicam Ambrosianam omnibus alijs Ecclesijs: ita forsan pro Baptismo Augustini ob affectum peculiarem erga recentem Basilicam Ambrosianam, voluit anteferre locum supra indicatum ipsi Basilicæ Baptisterij.

Cæterùm eratne adeo addictus vni Baptisterio Ambrosius, siue illud esset in Basilica Baptisterij, siue in S. Ioannis ad Fontes, vt alibi etiam Sacramentum Baptismi ministrare non posset? An non iuxta Basilicam Portianam erat aliud Baptisterium, quod antea memorauimus? Ecclesia verò (quam S. Augustini appellamus) quare vocari itidem non potuit, saltem vsque ad tempora Datij Chronologi, S. Ioannis ad Fõtes, vt supra dixi, tum ob Titulum Præcursoris, tum propter Baptismum Augustini: sicuti opinatur Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 300.? quocirca Augustinus dicatur postea baptizatus in S. Ioannis ad Fontes.

Id nego (ais) auctoritate Datij permotus. Atqui qualis est hic: Datius? Auctor *parum fide dignus*, vt existimat doctissimus Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 39. num. 10. & 21., qui anno MLXXX. scripsit Chronica, eo nimirum tempore, quo Mediolanensis Ecclesia a Nicolaitis & Simoniacis agitabatur, sicut videre iuuat apud S. Petrum Damiani opusculo quinto, & quidem inscripto: *Actus Mediolani de Priuilegio Romanæ Ecclesiæ*, Datius proinde *solemne illud mendacium primus confinxit, aut saltem acerrimè promouit* de coniugio Sacerdotum, Diuo Ambrosio eam nequitiam permittente. Quo errore lapsus est etiam Corius in Hist. Mediolanen.: ac proinde meritò emendatus a Sac. Congregatione Indicis. En quanta fides homini tam *fœdè mendaci* est tribuenda, qui Nicolaitarum intemperantiæ fauebat impensè.

Pelagius verò Papa, Sixtus III., & S. Gregorius Magnus, qui mersio-

mersionem Baptismalem tuentur, posteriores fuerunt Ambrosio; immo S. Gregorius in Epistola ad Leandrum loquitur de infantibus trinâ mersione baptizandis, non de adultis. Tum verò cùm necessitas & commoditas postularet, quidni infusione Baptismus ministraretur! Et quidem S. Carolus Borromæus, tenacissimus alioqui Rituum Mediolanensis Ecclesiæ, in Rituali Ambrosiano hæc præcipit *Tit. de Baptismo adultorum*, nempe: adultus *baptizetur per immersionem, vt Ritus Ambrosianæ Ecclesiæ postulat, siquidem commodè fieri potest, alioqui per infusionem*; quod in præsens fit ab Ambrosianis in Baptismo adultorum, qui per infusionem baptizantur. Neq; enim negamus hoc fuisse institutũ vetus Mediolanensis Ecclesiæ: vt per immersionẽ Baptismus administraretur, vti Beroldus (qui vixit anno MCXXIII.) testatur apud Puricellum in Dissertat. Nazar. cap. 53. num. 16., vbi legimus, *Presbyteros Decumanos intrare in Fontes & baptizare, ac egressos de Fonte se aqua calida lauare*, quia nimirum stetissent in aqua ad immergendos Catechumenos. Quo in loco animaduertendum est, Beroldi tempore, alios fuisse ministros Baptismi præter Episcopum.

In Baptismo tamen Augustini, atque tot aliorum, id necessitas & commoditas poscebat, exemplo etiam Principis Apostolorum, qui (vt doctissimo Lorino placet in Acta Apostolorum cap. 2.) in baptizandis ter mille hominibus vsus est aspersione. Si ergo, vbi *magna est multitudo baptizandorum* (inquit S. Thomas p. 3. q. 66. art. 7. de Baptismo) *potest fieri Baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis*; quidni S. Ambrosius, cùm tot essent baptizandi cum Augustino, atque eo tempore solus Episcopus baptizaret, totque cæremoniæ obeundæ, quot tum peragebantur in Ecclesia Mediolanensi, infusione potiùs vteretur, quàm immersione? Licèt enim ab Apostolis instituta fuerit immersio: attamen etiam ipsi quandoque vsi sunt aspersione, & non immersione. Id confirmat P. Macedo uir literatissimus de Clauibus Petri, lib. 4. de Claui Sacramentorum cap. 2., qui citat Vasquez disputat. 145. cap. 4., & Henriquez lib. 2 cap. 21. num. 4.; *nam legimus Actorum 2. vna die tria hominum millia baptizatos, quod vix aliter fieri, quàm per aspersionem potuit: ac ita solitum baptizare apud Indos*

magnum illum nostri temporis Apostolum Xauerium constat.

Immo neque totum corpus demersum fuisse in aquas Baptismales, satis liquet ex Augustino, qui citatur a P. Frassen in libro antè memorato pag. 141. *postquam vos credere dixistis* (inquit Augustinus ad Catechumenos) *tertiò capita vestra in Sacro Fonte demersimus*. Fortè enim nudatis tantummodo scapulis, tectisque ijs partibus corporis, quas vel nominare pudet, Catechumeni baptizabantur. Atqui Augustinus citatus a Vicecomite in eodem lib. 4. cap. 7. totum corpus in aquam mersum fuisse indicat; ait enim ad Neophytos: *in hoc ergo Fonte, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogauimus. Credis in Deum:* fortasse in Hipponensi Ecclesia eo Ritu baptizans, quo ipse in Mediolanensi Baptismum susceperat. Attamen Augustinum fuisse baptizatum per infusionem, monstrat pictura perantiqua in Ecclesia S Augustini (de qua superiùs die quintâ Maij) cuius quidem picturæ meminit Vicecomes lib. 1. cap. 11. ac lib 4. cap. 7. & 10., quamuis in cap. 7. reprehendat pictorem, quòd *infusionis Baptismum expresserit, cùm is solummodo necessitate postulante conferretur*.

In alia item pictura vetusta in atrio Basilicæ Ambrosianæ spectantur flexis genibus Augustinus, Alipius, & Adeodatus suscipientes Baptismum per infusionem. Puricellum verò Puricello obijcimus, qui in Monum. Basil. Ambros. num 300. & 619. docet ex traditione inueterata, sicut memoriæ proditum est, Diuum Augustinum, eiusque socios baptizatos fuisse in Ecclesia S. Augustini Basilicæ Ambrosianæ proxima, in qua *perseuerat adhuc lapideum vas, & illud quidem satis amplum, in quo illis* (Augustino videlicet ac Socijs) *pariter ibi ministratum nostrates credunt Baptismi Sacramentum*; & quidem per infusionem, cùm labrum illud non esset idoneum immersioni. Cuius quidem traditionis testis est etiam Chalcus in lib. 2. Hist. Patriæ. *Non longè* (ait) *a Cœnobio Ambrosiano distat ædicula rudis, informisque, qualis tunc fuisse creditur, in qua Baptismate lustratum & sacris institutionibus eruditum ferunt Augustinum*: eique consentit Ripamontius Dec. 1. lib. 5. Hist. Mediol. Eccl., & alij auctores citati a Puricello in Monum. Basil. Ambros. num 300.

Hæc

Hæc igitur omnia viri eruditi, tam de Baptiſmo immerſionis, quàm infuſionis, quo Auguſtinus cum Alipio & Socijs ablutus eſt, dicta vtrinque probabiliter, perpendant, iudicent, atque ſententiam ferant;

Semper ego auditor tantùm.

Cæterùm de S. Alipio agunt Martyrol. Rom., atque Scriptores in illius Notis citati, Baronius in Annalibus tomo 4., Officia Sanctorum Ordinis S. Auguſtini, Torellus tomo 1. Seculorum Auguſtinenſium, Ripamontius Dec. 1. lib. 3. Hiſt. Mediolanen. Eccleſiæ, Caſtillionæus in libro de Antiquit. Mediol. P. 1. Faſciculo 5, & Morigius in Hiſt. Mediol. lib. 2 cap. 19, qui tamen cautè legendus eſt, nam aliqua interdum effutit.

Etenim, cùm haberetur quidam conuentus Myſtarum, interrogauerunt me nonnulli, an vera eſſent, quæ tradit Morigius in eodem lib. 2. cap. 1., nempe, Diuum Paulum Apoſtolum concionatum fuiſſe Mediolani, atque inter diſcipulos ſuos habuiſſe Protaſium & Geruaſium. De Geruaſij & Philippi Oldani prædicatione in Hiſpanijs viderit Tamayus Martyrologij Hiſpani auctor; quòd autem Geruaſius & Protaſius audierint Mediolani Paulum, eiuſque diſcipuli fuerint, hoc pacto reſpondi. Si enim illi deceſſerunt Martyres, Marco Aurelio Antonino & Lucio Vero imperantibus, quod ſupra vocari in controuerſiam dixi, hoc eſt anno CLXXI., vt legi etiam in Notis ad Hiſtoriam Chalci in paginam 22., certè non audiuerunt Paulum, qui anno LXIX. abijt in Cælum; niſi dicere velimus, Geruaſium & Protaſium centum & ampliùs annos vixiſſe. Si autem martyrio coronati ſunt, Nerone Imperatore, Paulus fortaſſe venit Mediolanum, cùm ſolutus eſt a vinculis, vti indicat Gauantus in Tractatu de S. Paulo Apoſtolo (in quo diligenter eius itinera deſcribit) anno ſexageſimo ætatis S. Pauli, quod etiam oſtendit Puricellus in Diſſertat. Nazar cap 9., exiſtimans tamen, Geruaſium & Protaſium eruditos fuiſſe a S. Paulo alibi potiùs quàm Mediolani: & cap. 89. affert Sermonem S Petri Damiani. Verùm hic Sermo vnà cum Epiſtola S. Ambroſij (ſi fratres illi cæſi ſunt Antonino & Lucio Vero Imperatoribus) ita explicandus eſt, vt *obtemperauerint monitis S. Pauli reſpuentes prædia & diuitias & ma-*

& magistrum ac praeceptorem habuerint Paulum, quia nimirum secuti sunt eius doctrinam; quemadmodum viri Sancti se ad Diui Pauli præcepta conformantes, contempsere diuitias: eoque cælesti magistro ac duce sanctam in terris vitam duxerunt. Fretus autem auctoritate S. Petri Damiani Gauantus ibidem SS. Protasium & Geruasium nobilioribus discipulis Diui Pauli annumerat. Si verò S. Paulus se ad vrbem nostram contulit, fortè Mediolanensis Ecclesiæ causâ venit, quam S. Barnabas eiusdem socius fundauerat, sicuti autumat Galuaneus apud Puricellum cap. 9. supra memorato.

2. Nobilissimum est Cœnobium S. Mariæ Angelorum, cuius laudes hìc libet attexere ac describere ex Haroldo sect. 1. ad annum MCDXVIII. num. 7., videlicet.

Bernardinus Senensis adeo Mediolani ciuibus placuit: vt stricta ipsius Obseruantiæ & virtutum professores apud se permanere cupientes, insigne Cœnobium ducentis cubiculis instructum illis ædificauerint extra vrbem (vbi nunc tumulus est multâ segete florens secus fossam nauigabilem Martisanæ extra Portam Nouam) *prope secundas fossas tanta structuræ firmitate & elegantia: vt Mediolani Paradisus vulgò nuncuparetur: ac demum ne vrbi ab hostibus terrori vel detrimento esse posset, destructum est, alio intra mœnia ædificato Anno MDLI., cuius situm, structuram, patronos, & benefactores præcipuos, & alia quædam fusiùs hìc describit Annalista* (scilicet Vuadingus) *In eius Ecclesiam ex anterioris Cœnobij templo cum piorum Fratrum ossibus translata sunt lipsana, & Sepulcrum Beatæ Beatricis Ruscæ vxoris Comitis Franchini de Vicecomitibus, Tertiariæ Professæ S. Francisci, cuius hoc ibi legitur Epitaphium.*

Lucida gemma iacet Rusca quæ Gente Beatrix
Franchino Comiti iuncta corona fuit.
Soluitur hocque viro, sacer o Francisce, sub alis
Casta tuis, vitæ conditione manet.
Tertius huic Ordo viuendi præbuit artem,
Qua superis gaudet facta Beata Dei.
Antonia Rusca vxor Ioann. Mariæ Vicecomitis
Beatrici Matri sacrum dicauit
Anno Sal. MCDLXXXXIX.

Quæ

Quæ autem lipſana tranſlata fuerint in nouam Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, ex eodem Haroldo diſcimus in ſect. 2. col. 1143. *Conuentus* (inquit) *S. Mariæ de Angelis apud Mediolanum, vbi requieſcunt vir ille inſignis virtute & doctrina Albertus Sartianenſis, illique ſimilis Antonius de Arzeno, necnon Chriſtophorus de Modoetia omni virtute & ſanctitate ornatus, & Seraphinus Caſtillioneus vir doctiſſimus, Angelicæ puritatis & conuerſationis, miraculis clarus, qui iacet in Sacello S. Bernardini. In Sacello verò S. Antonij iacet Beatrix Comitiſſa de Ruſconibus &c.*

Ex hoc item Cœnobio viri complures doctrinâ & bene actæ vitæ integritate illuſtres prodierunt, vt Michael de Arcagnano, de quo Marcus Vlyſiponenſis P. 3. Chronicorum lib. 8. cap. 35. & Haroldus in ſect. 2. col. 1144 *Laudæ* (inquit) *ſepultus eſt Michael de Arcagnano Mediolanenſis, verè Apoſtolicus Prædicator, qui auditores mira virtute ad planctum & pœnitentiam flectebat.* Item Chriſtophorus Cribellus, cui S. Franciſcus cùm apparuiſſet, eum a caſtris Ducis Mediolani abduxit ad Seraphicæ militiæ agmina glorioſa, itidem alij Cœnobitæ, quorum nomina in Notis Calendarum Nouembrium proferemus. De hoc item Cœnobio Inſigni S. Mariæ Angelorum agit Gonzaga tomo 2., & quidem fusè latèque, commemorando viros Sanctimoniâ Inſignes, illius quondã Cœnobij contubernales.

Porrò Beati Alberti Sartianenſis virtutes, legationes Apoſtolicas ad Indos, Æthiopes, atque ad Populos Orientales, & labores improbos, quos pro Eccleſia Dei exantlauit, leges apud Scriptores, quos citat Arturus in Notis Martyrologij Franciſcani, apud Marcum Vlyſiponenſem P. 3. Chronicorum lib. 3. cap. 35. & ſeqq., itemque apud Vuadingum & Haroldum in ſect. 2 ad Annum MCDL num. 8.. *Eodem menſe & anno in Solemni die Aſſumptionis Glorioſæ Virginis Mariæ mortalem vitam reliquit* (vti tradit Haroldus) *B. Albertus Sartianenſis, cuius antè ſæpe cum laude meminimus, tam accepta prædicandi gratia vir: vt Mediolani aliquando viſa ſint ad eum conuenire ſexaginta hominum millia, & alibi quandoque plura &c.* Immò Marcus Vlyſiponenſis narrat, aliquando Mediolani, concionante B. Alberto, Dæmonem ſub Cerui ſpecie omnes Auditores

metu

metu perculisse; quem tamen Albertus depulit, docens, Dæmonem esse, qui mentitus Ceruum Ecclesiam ingressus esset, vt Auditores a concione auocaret; qui B. Alberti voce detectus, illico è Sacra Æde excessit, erupit, euasit.

Prosequitur ex Vuadingo Haroldus laudes B. Alberti. *Animam eius (ait) e corpore egredientem S. Ioannes Capistranensis in Conuentu Burgi S. Sepulcri procul absens, tot meritorum gloria radiantem in Cælos euolare vidit: vt inter Fratres in triclinio congregatos exclamauerit:* En speciosa vadit, & properat pulcherrima Nostri Fratris anima. *Sepultus est Albertus Mediolani in Cœnobio S. Angeli, vbi etiam post mortem miraculis coruscauit.*

In hac eadem Ecclesia S. Mariæ Angelorum (quæ seculo superiori cœpit ædificari teste Ripamontio Parte alterâ Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 18.) in Sacello Beatæ Margaritæ Cortonensis, iacet Virgo illustris Margarita de Costis Tertij Ordinis S. Francisci, ex cuius Epitaphio egregias illius virtutes intelligimus. Decessit illa Cal. Augusti Anno MDCXXIV.. Iure autem hæc Virgo in illa Æde humata est, cuius Cœnobitarum religiosissimum pudorem admirata fuit Blanca Maria Ducissa Mediolani: adeo vt, accumbente Francisco I. Sfortia viro suo vnà cum Cœnobitis in nemore S. Angeli, illa nec vllius vnquam Cœnobitæ vultum viderit, nec vllus vnquam Cœnobita oculos in Ducissam coniecerit. Tanta fuit conuiuantium modestia; quam vide apud Haroldum in sect. 2. ad annum MCDLVII. num. 11.

3. Horum SS. Martyrum Corpora transmisit Tridento Diuus Vigilius Episcopus ad S. Simplicianum Archiepiscopum, qui in Basilica Virginis Assumptæ (quæ vulgò S. Simpliciani vocatur) illa honestissimè condidit, sicuti antè monuimus. Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 2. censet, horum Martyrum *Capita Tridenti fuisse relicta, vnde ea Corpora transportata fuerant.* Istius autem Primæ Translationis mentionem legi in vetustis Missalibus & Breuiarijs Ambrosianis: in Calendario autem acephalo, cuius supra memini, huiusce Translationis mentionem reiectam in diem sequentem vidi; quæ tamen in Breuiario impresso Anno MCDLXXXVII., & MCDLXXXX., atque in Missali edito Anno MCDLXXXII.

hodie

hodie indicatur. Olim fortasse plurimæ eiusmodi Translationes celebrabantur; namque in eodem Calend. acephalo, decimo quarto Calendas Maij, memoratur Translatio SS. Naboris, Felicis, & Materni: decimo tertio Calendas Iulij Translatio SS. Martyrum Geruasij & Protasij, eorundemque Festum: item & alia Translatio Idibus Iunijs, totidem verbis: 13. *Iunij Translatio SS. Martyrum Protaxij & Geruaxij*. Cæterùm hodie Primæ Translationis SS. Martyrum Sisinij, Martyrij, & Alexandri fit mentio; nouissima enim Translatio facta est a S. Carolo Borromæo, de qua egimus supra.

DECIMO SEPTIMO CALENDAS SEPTEMBRIS.



Mediolani Depositio Sancti 1. Simpliciani Episcopi, Sanctorum Ambrosij & Augustini testimonio celebris. Romæ Sancti 2. Titi Leuitæ & Martyris, cuius Corpus Casorati prope Arsagum in Diœcesi Mediolanensi Fideles deuotè venerantur. Item Romæ Sancti 3. Abundantij Martyris, cuius Corpus Cistelagi in eadem Diœcesi honorificè collocatum est. Ferentini in Hernicis Sancti 4. Ambrosij Centurionis & Ciuis Mediolanensis, qui in persecutione Diocletiani varijs modis cruciatus, nouissimè per ignem illæsus transiens, demersus in aquam, eductus est in refrigerium. Rhaudij Translatio 5. Miraculosæ Imaginis Beatæ Virginis Mariæ, quam Gaspar Vicecomes Archiepiscopus hâc die, Solemni supplicatione, in Templum eidem Virgini Deiparæ magnificè ædificatum transtulit.

AVVSTI 16.

1. TEstificantur Sanctimoniam Diui Simpliciani Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Sanctique Vigilius Episcopus Tridentinus, ac Ennodius Ticinensis, præterea Martyrologium Romanum, Missale & Breuiarium Ambrosianum cum Hymno proprio, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Baronius tomo 4. & 5. Annalium, Paulinus in Vita S. Ambrosij, Liber Successorum S. Barnabæ, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Panuinius in Chronologia, Galesinius, Carolus a Basilica Petri de Metropoli Mediolanen. num. 10., Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Eccl. lib. 6. Besutius in Hist Pontific., Catal. M.SS., Vghellus tomo 4., Chalcus Hist. Pat. lib. 3. Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 55 & 56. atque in Monum. Basil. Ambros. num. 392.; nec est, quòd Ferrarius neget, Diuum Simplicianũ esse Ciuem Mediolanensem, cùm eidem omnes penè Scriptores nostrates dissentiant. Etiam Brautius Simpliciani vocabulo allusit.

Simplicianus erat simplex, velut alba Columbæ,
Qui fuit Ambrosij dignus adire thronum;

siquidem in Episcopatu successit Diuo Ambrosio.

Agunt pariter de S. Simpliciano Scriptores rerum gestarum in Ordine præclarissimo S. Augustini, cùm Diuus Simplicianus præsto fuerit Augustino resipiscenti, præcipuè Torellus in Libro Seculorum Augustinianorum & pluribus in locis Quodlibetorum Regularium eruditissimus P. Eustachius a S. Vbaldo. Officia autem propria Sanctorum Ordinis S. Augustini indicant celebritatem Diui Simpliciani die decimâ tertiâ Augusti: Mediolanensis verò Ecclesia, Romanum Martyrologiũ secuta, die decimâ sextâ eiusdem mensis; quod discrimen in eo quidem vertitur, quòd ille dies est obitûs (quemadmodum legimus in eisdem Officijs) hic verò Depositionis: ac propterea Martyrologio Sanctorum Augustinensium, Idibus Augusti, hoc Elogium de S. Simpliciano est consignatum, videlicet. *Mediolani Natalis* (in Romano autem Martyrol. decimo septimo Calendas Septembres memoratur Depositio) *S. Simpliciani*

pliciani Episcopi & Confessoris, qui Sanctum Patrem Augustinum ad Monasticam vitam adhortatus est, quique Ecclesiæ Romanæ quondam alumnus, Sancto Ambrosio aduersus Arianos laboranti adfuit, & in eius locum postea subrogatus, Sanctitate & doctrina conspicuus quieuit in pace.

Eundem pariter Diuum Simplicianum laudat Ioannes Baptista Lezana tomo 2. Annalium Ordinis præstantissimi Carmelitarum ad annum CCCLXXV. num. 3., ratus, eum fuisse Ordinis Carmelitici, qui ibidem plures auctores citat, confutans Pennotum Historiæ tripartitæ Auctorem; sicque Lezana vult, S. Simplicianum fuisse Carmelitam, Augustiniani Eremicolam, Pennottus Clericum.

Ego verò vacuos dies non habeo, vt tantarum rerum pondera examinem. Certè, qui negant, Simplicianum fuisse Carmelitam, assentiuntur Actis Sanctorum in Proemialibus mensis Aprilis, ac Cardinalibus Baronio tomo 6. ad annum CCCLXXXV., & CDXXXXIV., necnon Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi de Ioanne Episcopo Hierosolymitano scribit, itemque Torello in Seculis Augustinensibus. Qui autem affirmant, Simplicianũ fuisse Carmelitam, sequuntur viros doctissimos Lezanam & Ioannem Sylueiram in Apologia Carmelitana. Igitur hi de hac re iudicent; nos de Pontificatu & Patria Simpliciani agimus.

2. Ex Tabulis Ecclesiæ Parochialis; qui quidem Titus Leuita, si ille est, *qui Vrbe a Gothis occupata, pecunias pauperibus distribuens, a tribuno barbaro iussus est occidi*, Caloratenses vtique fortunæ suæ gratulari possunt ob Insignis Leuitæ lipsana.

3. Ex Tabulis Ecclesiæ Parochialis, cui S. Abundantij Corpus Illustriss. Marchio Galeatius Vicecomes est elargitus.

4. S. Ambrosij Centurionis & Martyris meminit Martyrologium Romanum, Baronius tomo 2. Annalium anno CCCIII., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ duobus in locis, nempe hâc die & vigesimâ nonâ Decembris, quæ est dies Translationis, Morigius lib. 2. Hist. Mediol. cap 7.. Fuisse autem Diuum Ambrosium Ciuem Mediolanensem constat ex eius Vita, ex Vghello tomo 1. Italiæ Sacræ, item ex Officio Ecclesiastico impresso Romæ anno MDCV., quod recitatur in Vrbe & Diœcesi Ferentinate;

tinate; est enim Diuus Ambrosius Martyr Patronus Ferentini: ideoque ibidem posita est statua equestris argentea tanto Centurioni. Morigius in Summario lib. 1. cap. 2. narrat, Diuũ Ambrosium habuisse tredecim alios Mediolanenses Ciues eiusdem Martyrij socios: vt Mediolanum inuidere Ferentino possit alium Ambrosium, qui ciues suos ad societatem supernorum ciuium e patrijs mœnibus euocauit. Brautius meminit Diui Ambrosij in Martyrol. Poetico:

Ad breue clam tempus coluit Centurio Christum,
Confessusque palàm castra beata subit.

Bulzij elegans est Epigramma in 2. Parte Lararij Poetici; eius est argumentum & carmen.

S. Ambrosius Centurio & Martyr
in phylaca absque cibo & potu vegetior.

Carcer habet Diuum: Diuo mera nulla ministrant,
Grata fugant longam prandia nulla famem.
Squalida ieiunos macies tamen occupat artus
Nulla viri; melior vernat in ore vigor.
Cælicola Ambrosius fuerit, cùm viuere pergat
Fortior ingesto nulla per ora cibo.
Sed voco Cælicolam, ne, quem non fercula pascunt,
Non hominem, verùm quis putet esse Deum.

Cæterûm cùm Ferrarius in eodem Catalogo hâc die affirmet, Diuum Ambrosium esse natione Ligurem, in annotatione tamen sententiam suam totidem verbis explicat. *Licèt autem* (inquit) *Ligur natione dicatur, ex Monumentis tamen Ecclesiæ Mediolanensis, Patria Mediolanensis fuit. Nec mirum videri debet, cùm Mediolanum apud Antoninum Augustum in itinere & alios in Liguria reponatur.* Et quidem Gulielmus Abbas lib. 1. cap. 16. Vitæ S. Bernardi vocat Mediolanum Metropolim Ligurum. Etiam Modoetia a Sirmundo in animaduersionibus Epistolæ decimæ S. Ennodij lib. 6. collocatur in Liguria. *Modoetia* (ait Sirmundus) *notum est Liguriæ Oppidum haud procul Mediolano, vbi Longobardorum & Italiæ Reges olim coronati &c.* cùm tamen illud Oppidum in Insubribus situm sit. Corpus autem S. Ambrosij iacet in Cathedrali Ferentinensi.

5. Hæc Translatio facta est Anno MDLXXXVIII. Glussianus in

in Vita S. Caroli lib. 7. cap. 8., Ripamontius in Vita eiusdem lib. 6., Bonardinus in libro M. SS. supra memorato agunt de Imagine & Templo Deiparæ Rhaudensis, queis accedit etiam Ioannes Antonius Castillionæus in libro M.SS. supra citato, & Aleuazolus in Parte 2 libri, cui titulum fecit *La Reina de Martiri* cap. 4.. Constat etiam, non solùm ex Tabulario sumptuosissimi illius Templi, quod religiosissimè colunt Sacerdotes ex Insigni Sodalitio Sacerdotum Oblatorum S. Ambrosij, quod ad Ecclesiæ suæ Mediolanensis incrementum & auxilium instituit S. Carolus Borromæus, verùm ex ijs quoque, quæ nos tradidimus lib. 2 de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. Oppidum verò Rhaudium vulgò *Rò* commendatur a Puricello in Dissertat. Nazar. cap. 136.

DECIMO SEXTO CALENDAS SEPTEMBRIS.


CÆsareæ in Cappadocia Natalis Sancti Mamantis Martyris, qui a pueritia ad senectutem vsq; longum martyrium duxit: & tandem, imperante Aureliano, sub Alexandro Præside illud feliciter consummauit, quem Sancti Patres Basilius & Gregorius Nazianzenus summis laudibus celebrarunt. Eius autem Corpus Mediolanum translatum est, atque in Basilica Protomartyris custoditum pio cultu celebratur.

AVGVSTI 17.

LIcèt sequenti die Mediolanensis Ecclesia celebret Festum S. Mamantis, quem illa Mammetem vocat (hodie enim agit Officium de S. Eusebio Episcopo Vercellarum & Martyre, quem olim colebat Calendis Augusti simul cum SS. Martyribus Machabæis, *cùm vna eademque die ipsorum omnium*

agere-

ageretur natalis dies, quemadmodum docet Baronius in Notis Martyrol. Romani sub litera *B.* Calendis Sextilibus) tamen hodie iuuat illius Natalem commemorare. Porrò Diuum Mammetem iacere Mediolani in Basilica S. Stephani, auctores sunt Morigius in Sanctuario, & in Hist. lib. 2. cap. 8., Villa de Septem Basilicis Stationalibus, Ioannes Franciscus a Basilica Petri de Ecclesijs Mediolani; nouissimè verò typis edidit Vitam S. Mamantis Ioseph Valuassorius Pœnitentiarius Maior in Metropolitana, & quidem enucleatè, atque in ea agit de Sepulcro S. Mammetis. Duo Epigrammata scripsit Bulzius in eiusdem Martyris laudem; nos alterū in hoc loco reponimus.

S. Mamantes Martyr
Ferales gentes instruit, & a feris alitur.

Mamantes rabidis tradit pia dogmata turbis:
Pòst repetit celeri tesqua remota pede.
Mox Tigris, mox Vrsa volat, Lupa, Cerua, Leana:
Danique inopi expresso prandia lacte fami.
Exemplo didicere Viri dare pabula beluæ;
Istæ homines pascunt: pascit at ille feras.

Nec deest Brautij distichon;

Fertur vtroque Parente satus de Martyre Mamas,
Martyrium longum sustinuisse senem.

Certè Parentes S. Mamantis Martyres fuerunt, teste Romano Martyrologio Pridie Calendas Septembris. Est autem eiusmodi sententia: *Cesareæ in Cappadocia Sanctorum Theodori, Rufinæ, & Ammiæ: quorum duo prini Sancti Mamantis Martyris parentes fuerunt, quem Rufina in carcere peperit, & Ammia educauit*; adeo vt ex carcere materni ventris egressus, phylacam iterum inuenerit, & proinde *a pueritia ad senectutem longum martyrium duxerit Mammes*.

DECIMO QVINTO CALENDAS SEPTEMBRIS.


Ræneste Natalis Sancti 1. Agapiti Martyris, qui, cùm esset annorum quindecim, & amore Christi ferueret, iussu Aureliani Imperatoris tentus est, ac

primò

primò neruis crudis diutissime cæsus, deinde sub Antiocho Præfecto grauiora supplicia passus, exinde cùm ex præcepto Imperatorio leonibus obijceretur, & minimè læsus esset, gladio ministrorum coronandus percutitur; cuius Corpus Mediolanum translatum est. Rauennæ Sancti 2. Raynaldi Ciuis Mediolanensis, qui infulam Rauennatis Ecclesiæ, Pastoralis vigilantiæ & sanctitatis lumine collustrauit.

AVGVSTI 18.

1. HOdie Mediolanensis Ecclesia celebrat Officium cum Missa propria de SS. Mammete & Agapito, cuius pariter Corpus asseruatur in Ara Maiori Basilicæ S. Stephani, eisdem planè auctoribus testibus, quos de Corpore S. Mammetis enumerauimus. Ferrarius in Indice *Corporum Sanctorum diuersis locis assignatorum*, quem præfixit Catalogo SS. Italiæ, affirmat, *Corpus S. Agapiti asseruari Præneste in propria Ecclesia, Romæ in Ecclesia S. Tryphonis, Parmæ in Ecclesia Cathedrali, & Mediolani in Ecclesia S. Stephani*. Vnum igitur eundemque Agapitum tot in vrbibus iacere quis credat? Quamobrem plures fuisse Agapitos censeo: ita tamen, vt quicunque Corpus alterius Agapiti possidet, illum esse Prænestinum Martyrem putet, quem hodie vniuersalis colit Ecclesia, & cuius Reliquias Præneste asseruari tradit Baronius in Notis Martyrologij Rom. hâc die.

Etiam in Martyrologio & in Larario Poetico memoratur Agapitus; en Distichon Brautij.

Non læsere feræ: fumus refrigerat ater:
Tormenti puero machina nulla nocet.

En Bulzij Epigramma.

De S. Agapito Martyre,
Ei suspenso subter fumus excitatur.

Non sat erat Puerum tortis laniasse flagellis,

Fumea

Fumea in inuersum quid rotat vmbra caput?
Vt lubet obscuri denses, rex, nubila fumi
Ingemina ad sæuas vincla, flagella, neces.
Cuncta Puer fumum reputat: soluuntur inanem
In fumum Puero: totaque flamma tua est.

2. Ex Tabulis Ecclesiæ Rauennatis, ex Vghello tomo 2. & 5. Italiæ Sacræ, atque ex Martyrologio Poetico, in quo laudatur S. Raynaldus.

Aptus erat domui Christi Regisque regendæ,
Qui tulit Æmiliæ Principis vrbis onus.

Cæterùm cùm Rauenna Diuo Vitale, Ciue Mediolanensi, ac Patrono suo glorietur (quemadmodum alię Vrbes Sanctorum Mediolanensium patrocinio gaudent, vti Mantua Anselmo, Volaterræ Victore, Ferentinum Ambrosio Martyre, Andegauum Maurilio, Viglebanum Ambrosio Antistite) debuit etiam aliquando ciuem nostrum ad infulæ suæ amplitudinem vocare, sicuti præfuit Diuus Raynaldus. Hunc autem prodijsse ex vrbe nostra & ex nobili Familia Concorretiorum docent Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, & Chalcus Hist. Patriæ lib. 20: atque de eodem agunt Hieronymus Rubeus in Hist. Rauennate, Hieronymus Fabri vir doctissimus in Ephemeride Rauennæ, & in Parte 2. libri, cui titulus *Le Sagre memorie di Rauenna &c.* ex Libro, qui inscribitur *Rauenna ricercata &c.* nouissimè Bagatta in Admirandis & Abbas Seraphinus Pasolinus, demum Morigius in Summario lib. 1. cap. 13.. Familiam verò Concorretiorum nobilem esse testatur Chalcus.

DECIMO QVARTO CALENDAS SEPTEMBRIS.

ROmæ Sancti Iulij Martyris, cuius Corpus in Ecclesia primaria Varisij religiosum meruit cultum.

AVGVSTI 19.

EX Tabulis eius Ecclesiæ, in qua hodie celebratur Officium Solemne de S. Iulio. Nobile hoc Oppidum apud Ferrarium appellatur etiam *Baresium* & Vallexium, quòd sit

ianua

ianua vallium, & *Forum Varronis*. Ita in eiusdem Epitome Geographica V. *Varesium*.

DECIMO TERTIO CALENDAS SEPTEMBRIS.


N Territorio Lingoniensi Depositio Sancti Bernardi, Primi Claræuallensis Abbatis, vitâ, doctrinâ, & miraculis gloriosi, qui Archiepiscopatum Mediolanensem humilitate admirabili recusauit.

AVGVSTI 20.

EXtant adhuc literæ S. Bernardi in tomo illius Operum 2. ad Mediolanenses, ad Clerum Mediolanensem, ad vniuersos Ciues Mediolanensium: & adhuc in nostris auribus resonant dulcissimæ Diui Bernardi voces in Epistola 132. *Audi me inclyta plebs, gens nobilis, Ciuitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuæ &c.* Meritò igitur Mediolanenses Ecclesiæ suæ amplissimæ infulam Diuo Bernardo obtulerunt; quanquam ille onus grauissimum subire noluerit, vt patet ex Breuiarijs Romano & Ambrosiano, ex Actis Mediolanensis Ecclesię, ex Catal. M.SS., Ripamontio Dec. 11. siue Parte altera Hist. Mediolanen. Eccl., Besutio in Hist. Pontific., Vghello tomo 4., ex Libro Successorum S. Barnabæ in Elogio Anselmi Pusterlæ Archiepiscopi, ex lib. 3. Georgij Merulæ de antiquitatibus Vicecomitum, ex Puricello in Monum. Basil. Ambros. num. 359., qui num. 356. & seqq. explicat magnâ ex parte Epistolas a Diuo Bernardo ad Clerum Populumque Mediolanensem scriptas: tum narrat singula, quæ Sanctus ille Abbas egit Mediolani, & præcipuè num. 368. & 369. in repudiando Mediolanensis Ecclesiæ Pontificatu: ibique num. 374. & 383. de Cœnobio Charæuallis, quod tempore S. Bernardi, quarto ab vrbe Mediolani lapide, constructum est; eius verò Monasterij complures Scriptores auctorem faciunt Anselmum Archintum Ciuem nobilissimum

& ditissimum: Manfredum verò Archintum benignissimum largitorem. Tandem Puricellus num. 386. absoluit omnia, queis Diuum Bernardum, eiusque res gestas commendauit, cùm num. 364 narrauisset miracula, quæ ille edidit Mediolani, liberatâ præsertim a Dæmone puellâ. Cuiusmodi etiam miracula patrata fuisse Mediolani a S. Verano Episcopo, Albingauni Patrono, narrat Ferrarius in Catal. SS. Italiæ die 14. Nouembris. *Mediolani (inquit) duodecim energumenos curasse, cæco visum restituisse, & mortuum suscitasse legitur.*

In Martyrologio Poetico illud est de S. Bernardo, quem Doctorem melleum vocant, Distichon:

Ex herbis mel dulce nimis collegit amaris:
Et larga gratis donat habere manu.

Bulzius multa congessit de Diuo Bernardo carmina in Larario Poetico, quem consule; nobis interea vnum placet Distichon.

Diuus Bernardus obiecta Eucharistia Aquitaniæ Ducem expugnat.

Mysta domat furiam, quæ Cæli & fulmina ridet:
Mysta at mellifluus nonnisi melle domat.

VNDECIMO CALENDAS SEPTEMBRIS.


Ediolani Sancti Guiniforti Martyris, qui ibidem sagittis confossus, innumerisque vulneribus penè confectus, cùm Papiam confugisset, in ea vrbe, martyrij coronâ decoratus, migrauit in Cœlum.

AVGVSTI 22.

EGo exteras vrbes cælitibus suis nudare nolo, nec Patriam meam suis fraudare. Quanquam enim plures Martyres varios cruciatûs perpessi fuerint Mediolani, vt Faustinus & Iouita, atque alij, ac Philastrius Episcopus Brixiensis, qui, vt in Martyrol. Brixiano, die decimâ octauâ Iulij *pro Christo peregre profe-*

profectus, permultos ad Fidem induxit: quam Mediolani palàm contra Arianos defendens, ab eis comprehensus, cæsus, atque vulneratus fuit &c.: attamen suis quemque vrbibus dedi. At Guinifortum licèt ex Martyrologij Romani sententiâ Ticinenses sibi vendicent, nihilominus etiam vrbi nostræ ascribimus. Mediolano siquidem Guinifortus Martyrij Lauream, Papiæ tumulum debet.

Magna tamen dissensio est inter Auctores; Ferrarius in Catal. SS. Italiæ vult, Guinifortum, siue Gunifortum, Constantio Imperatore Arianarum partium studioso, martyrij coronâ decoratum fuisse: Tattus verò in Notis Martyrol. Comensis hâc die, Maximiano Imperante, fuisse martyrio affectum. Vt vt res fuerit: Ferrarius, Guinifortum cum Guiniboldo fratre ac duabus sororibus ex Scotia venisse ad Insubres narrat: duas sorores & fratrem Guiniboldum martyrij Laureolâ donatas: Guiniboldum Comi iugulatum: Guinifortum Mediolani sagittis confossum (immo etiam præcipitem e mœnibus deiectum fuisse affirmat Tattus) exanimem se contulisse Papiam, vbi, triduo vix elapso, animam Deo reddidit. Nec discrepat a Ferrario Tattus in narratione martyrij.

Diuus Guinifortus (quem vulgus perperam vocat *Bonifortum*) ferè ignotus est Mediolani, quemadmodum Guiniboldus olim ignotus Comi; habet tamen Guinifortus Mediolani extra Portam Ticinensem Ædem Sacram suo nomini dicatam: atque de eodem agunt Mombritius, Bagatta tomo 1. admirandorum, ac Scriptores omnes rerum Papiensium & Regni Scotiæ, quos ibidem nominat Tattus; fuit enim Guinifortus natione Scotus. Etiam Sanctus Septimius Episcopus Æsij & Martyr, si credimus Ferrario in Catol. SS. Italiæ die quintâ Septembris, *Mediolani demoratus, prædicationis officio functus est, donec sæuiente persecutione discedere fuit coactus &c.*; exteri enim Martyres ad vrbem hanc proficiscebantur Insubrum matrem, ac Imperatorum sedem: vt inibi Catholicos ad Fidem armarent, Acatholicos ad Fidem vocarent.

Porrò Brautius in Martyrol. Poetico laudibus extollit SS. Guinifortum, Guiniboldum, eorumque sorores Martyres.

Germano passo, geminisque sororibus, arsit

Martyrio, donec fossus & vstus obit.

Accedit Bulzius Brautio.

S. Gunifortus Martyr

Mediolani confossus, Papiæ occumbit.

Permeat innocuos cuspis defixa per artus:
Occumbitque Itala Scoticus hospes humo.
Mortuus hæreticis horret decumbere terris;
Seminece hinc alios corpore quærit agros.
Segne fuga Vir repit humi, repensque Ticinum
Intrat: & hac placita dormit in vrbe Deo.
Dormiat hìc fessus placidè: circumstrepit horror
Non hìc hæreticus: Regius hic torus est.

Quoniam Papia olim Regum Longobardorum sedes fuit; verùm hæretica nunquam fuit inter Hæreticos vrbs Mediolani, quamuis Guinifortum pastum inibi putes, aut Maximiano, aut Constantio Imperante; quippe Mediolanensis Ecclesia, & Pastores, & viros Sanctissimos, eisdem illis Imperatoribus, enutriuit, vti liquet ex historicis rerum Ecclesiasticarum. Quare mitiùs reponerem:

Mortuus Anguigeris horret decumbere terris;

nam hoc pacto explicamus, quibus in terris horreat decumbere Guinifortus, nempe *Anguigeris*, hoc est Mediolani, cuius Insigne etiam est Anguis ex stemmate Ducum Vicecomitum: nec vrbem alioqui Cælitibus redundantem appellamus hæreticam, hæresi semper, Sanctissimorum suorum Antistitum ope & doctrinâ, inimicissimam. Nonnulli quidem Scriptores Mediolanensi Ecclesiæ diuturni Schismatis notam inusserunt; ab hac tamen illam egregiè defendit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num 260. & seqq.

OCTAVO CALENDAS SEPTEMBRIS.


Iconzoni in Diœcesi Mediolanensi Sanctorum Astantij & Antoniani Martyrum, qui triumphum gloriæ fuso sanguine sunt adepti.

AVGV-

AVGVSTI 25.

VIconzonum Pagus est prope agrum Laudensem, ex quo ortus fuit Massatius, qui gladio trãsuerberauit iugulum infantis Iesu, vt supra narrauimus die vigesimâ quintâ Martij: verùm miraculo, atque atrocitate flagitij commotus, addixit se Ambrosiano Cœnobio, vbi piè vixit & decessit, quemadmodum liquet ex Tabulario Ecclesiæ Deiparæ iuxta S. Satyri. Circunferuntur quædam vaticinia Massatij, Cœnobitæ pariter Ambrosiani, cuius exemplum M. SS. seruatur in Bibliotheca Ambrosiana. Sedenim duos fuisse Massatios Monachos Ambrosianos arbitramur; nam Vates vixit Anno MCII. (vt ipse fatetur in sua Prophetia) alter verò scelus admisit Anno MCCXLII.: vt proinde Ioannes Henricus a Pflaumero in Mercurio Italico fuerit hallucinatus.

Constat igitur ex antiqua traditione Ecclesię Parochialis Viconzoni, ex Calend. acephalo M.SS., ex Actis Mediolanensis Ecclesiæ Parte 6 in Tabula Archiep. Mediolan. num. 89.; & ex Hist. Pontific. Besutij in Vita Vberti Cribelli Archiepiscopi (quamquam ibi ab eodem inuenta tantùm illa Corpora dicantur). Hæc autem Corpora penè ignorantur Viconzoni; & fortasse Mediolanum delata sunt: atque iacent in Æde Sacra Virginis Deiparæ prope S. Satyri Ecclesiam. Ibi enim inter innumeras eius Templi Reliquias, quæ die Festo Epiphaniæ singulis annis in Ara maiori exponuntur, coluimus cineres multos Diuorum Astantij & Antoniani, fortè Viconzono illuc aduectos, ob memoriam Massatij Oppidani.

QVINTO CALENDAS SEPTEMBRIS.

HIppone Regio in Africa Sancti Augustini Episcopi, ac Doctoris Ecclesiæ eximij, qui Mediolani a Sancto Ambrosio ad Catholicam fidem conuersus & baptizatus fuit.

AVGVSTI 28.

ETiam Sanctum Augustinum inter Sanctos Mediolanensis Ecclesiæ recensemus ex sententia Quintanaduenas, quam supra retulimus die decimâ quintâ Augusti in Notis. Superuacaneum autem existimo afferre Scriptores de Augustino agentes; vnus Cardinalis Bona in Notitia Auctorum ad Librum *de Diuina Psalmodia* sufficiat. *Augustinus* (ait) *Hipponensis Præsul, Phœnix ingeniorum, omni laude superior*. In eius operibus, præsertim in Lib. Confessionum, multa leges de SS. Ambrosio ac Simpliciano, de SS. Protasio & Geruasio, aliaque plura de Mediolanensi Ecclesia. Superest adhuc in Libro de Successoribus S. Barnabæ Epistola, quam Petrus Oldradus Archiepiscopus Mediolani ad Carolum Magnum Imperatorem scripsit *de Translatione Corporis S. Augustini Doctoris Ecclesiæ ex Sardinia Papiam*; de quo multa edentur in lucem a P. Romualdo Augustinensi nudipede in Sanctuario Ticinensis Ecclesiæ, quod propediem adibit Typographos.

TERTIO CALENDAS SEPTEMBRIS.

ROmæ Sancti Modesti Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Alexandri debito honore seruatur.

AVGVSTI 30.

EX Tabulis ornatissimæ illius Ecclesiæ; inibi enim Martyr Modestus quiescere debuit, vbi olim impietas plurimos Martyres coniecit in vincula, extremis deinde supplicijs addictos, cùm Maximianus impiè in Christianos sæuiret.



PRIDIE CALENDAS SEPTEMBRIS.

Mediolani Sanctorum 1. Robustiani & Marci Martyrum. Ibidem Sanctæ 2. Cæciliæ Virginis, quæ martyrio coronata ad Cælestis Sponsi nuptias introiuit. Item Mediolani Sanctæ 3. Candidæ Virginis, quæ fuit socia Beatæ Marcellinæ sororis Sancti Ambrosij. Nouocomi Beati 4. Bernardi Ciuis Mediolanensis & eiusdem vrbis Episcopi.

AVGVSTI 31.

1. Horum SS. Martyrum, quos vetusta Monumenta tradunt fuisse in Ambrosiana Basilica Mediolani tumulatos, mentionem legimus in Calend. acephalo M.SS., vbi totidem verbis memorantur *SS. Marci & Robustiani ad S. Ambrosium*. Scio aliquando eiusmodi formulis indicatam fuisse Festiuitatem; sed enim cùm idem Calendarium meminit *S. Iustinæ ad D. Ambrosium*, *S. Candidæ ad D. Ambrosium*, *S. Cæciliæ ad D. Victorem*, ibi certè non monstratur locus Festiuitatis, sed tumuli; nam verè Iustina & Candida in Templo S. Ambrosij, & Cæcilia in Victoris quiescit: id etiam de SS. Marco & Robustiano existimare possumus, de quibus infra in animaduersionibus Calendarum Nouembrium.

2. Ex Tabulario Basilicæ Victorianæ, ex Visitatione S. Caroli, ex Calend. acephalo M.SS. die vigesimâ secundâ Nouembris, ex Sanctuario Morigij, Villa de Septem Basilicis Stationalibus, Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, Ferrando in Disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. 4 artic. 1. Hæc autem Cæcilia non ea est (vt multi falsò sunt opinati, propterea quòd in hac eadem Basilica sit conditus S. Valerianus Martyr) quæ Romæ sepulta to-

tius

tius orbis terrarum veneratione colitur decimo Calendas Decembres: verùm alia Cæcilia Virgo & Martyr, cuius hodie Translatio fortasse celebratur Mediolani, non autem Natalis. Ferrandus ibidem disputat de Corpore S. Cæciliæ vnà cum Ansossio in lib. de Sac. Reliquiarum cultu §. 17., quod in plurimis locis asseruatur. Sedenim facilè nodus soluitur, si affirmemus Cæciliam, quæ nupserat Diuo Valeriano, tumulatam esse Romæ: alias verò Virgines eiusdem nominis, ab eadem quidem Cæciliorum Gente profectas (quam fuisse nobilissimam testatur Glandorpius in Onomastico Romano) sed alibi martyrio redimitas, ac extra Vrbem pariter humatas. Hanc ergo Cæciliam, quæ iacet Mediolani, aut huc ex Romanis Cœmeterijs aduectam arbitramur, aut hìc martyrij Laureolâ coronatam; quandoquidem nostra vrbs, Romanorum quondam Cæsarum sedes, frequenter se Beatorum Martyrum sanguine viderit purpuratam, vti ostendemus in Notis Calendarum Nouembrium.

3. Ex Indicibus Corporum Sanctorum supra memoratis, qui docent ossa Diuæ Candidæ (cuius meminit Paulinus in Vita S. Ambrosij) iacere in Basilica Ambrosiana, ex Calend. acephalo M.SS. die tertiâ Octobris, ex Libro Ioannis Francisci a Basilica Petri, cui titulus: *Libro delle Antichità di alcune Chiese di Milano*, ex Puricello in Monum. Basil. Ambros. num 98., qui alios citat Scriptores, ex Libro Litaniarum Triduanarum more Ambrosiano, vbi in Litanijs, cùm Statio habetur in eadem Ambros. Basilica, S. Candida associatur Diuæ Marcellinę, denique ex Officio S. Marcellinæ, quod cum Hymnis ac Lectionibus proprijs impressum est Romæ Anno MDCLX., vbi in sexta Lectione commendatur vitæ innocentia & sanctimonia Diuæ Candidæ, & simul Virgo Indicia laudatur sanctimonialis eiusdem Asceterij, quod instituit Marcellina, *paternam domum prope forum piscarium, non longè à Capitolio, in Monasterium Deo, in honorem Deiparæ Virginis dicans: idque sub titulo S. Ambrosij de Maxima, iuxta institutum S. Benedicti, ad hanc vsque diem religiosæ vitæ obseruantia perseuerat.*

Quid si Candidæ & Indiciæ accedat Manlia Dædalia Virgo integerrima? Eam sanè laudibus extollũt Chalcus in Hist. Mediol.

lib. 3.,

lib. 3., Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 19., necnon Carolus a Basilica Petri, non modò in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 6., verùm etiam in Fragmentis Hist. Mediolanensis, vbi affert Hexastichon in laudem eiusdem Virginis. Etenim Diuus Carolus effodiens Corpora Sanctorum, quæ iacebant in Basilica Nazariana, reperit sub altari primario in quodam globo ex aurichalco velamina & particulam ossis, adiectâ huiusmodi Epigraphâ:

Dadalia viuas in Christo.

Ætas quidem Dædaliæ consentit cum temporibus Diuæ Marcellinæ, ac sociarum Candidæ & Indiciæ: quemadmodũ Carolus a Basilica Petri docet in Fragmentis paulò antè memoratis. *Virginem hanc* (ait) *fuisse circa tempus S. Ambrosij verisimile est, quando illius præsertim Præsulis egregia cura Virginale Institutum in hac regione maximè floruit.* Manliam autem putat ibidem Chalcus fuisse sororem Theodori Manlij Consulis, quem commendat carmine Claudianus.

4. Nouocomum Vrbs nobilissima ad Lacum Larium, atque ob Natales Innocentij XI. Pontificis Maximi sæculis omnibus prædicanda, inter suos Antistites, quorum plurimi Sanctitate effulserunt, enumerat Beatum Bernardum, qui Archipresbyteratu S. Mariæ Montanæ prope Varisium in Diœcesi Mediolanensi egregiè perfunctus, primò Astensi, deinde Comensi Ecclesiæ summâ cum laude præfuit. De eo agit Martyrologium Comense hâc die, & Auctores in eiusdem Notis citati, quibus adiunge Cæsarem Tetamantium in Hist. Sacri Montis cap. 8., vbi meminit Beati Bernardi. Porrò fuisse Ciuem Mediolanensem ex clarissima Familia Landrianorum, testatur ibidem, cùm Martyrologium Comense, tum eiusdem Martyrologij animaduersiones.





SEPTEMBER.

TERTIO NONAS SEPTEMBRIS.



Ediolani Depositio Sancti 1. Auxani eiusdem vrbis Episcopi, Sanctitate & miraculis gloriosi. Apud Lacum Verbanum in Diœcesi Mediolanensi Natalis Beati 2. Alberti Confessoris, qui diu in specu vitam eremiticam duxit, ac Sanctitate illustris Deo spiritum reddidit.

SEPTEMBRIS 3.

1. Meminit S. Auxani Martyrol. Romanum, Breuiarium ac Missale Ambrosianum, Catalogi M.SS., Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Galesinius, Liber Successorum S. Barnabæ (in quo tamen auctorem hallucinatum vidimus, qui ait, Festum Diui Auxani celebrari ab Ecclesia Mediolanensi Nonis Septembribus) Vghellus tomo 4., Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib 8., Besutius in Hist. Pontific., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, qui in Notis reprehendit Panuinium, ac putat, Auxano Antistite, Mediolanum fuisse a Longobardis obsessum, captum verò, cùm Mediolanensi Ecclesiæ præsideret S. Honoratus. Etiam Sociacus in lib. 1. Epigrammatum laudauit Auxanum:

Auxano felix Insubria Ciue superbit:

Pre-

Prouocat & ciues Roma superba tuos.
Quòd si Roma potes titulos imponere Diuùm:
Et Diuos didicit gignere nostra suos.

Venustissimis carminibus Sociaci adiunxit Brautius in Martyrol. Poetico Distichon, nomini & parabolæ Euangelicæ talentorum alludens.

Auxit opes Auxanus supra quinque talenta:
Et promissa bonus gaudia seruus adit.

2. Ex Martyrologio Galesinij (qui Albertum appellat Sanctum, cùm ferè ab omnibus Beatus vocetur) ex Ferrario in Catal.SS. Italiæ, Carolo a Basilica Petri in Fragm.Hist.Mediolanen., Morigio in Sanctuario, in Summario lib. 1. cap 13., ac in Hist.Mediol. lib. 3. cap. 5., Antonio Georgio Besutio in eiusdem Vita (prodijt enim Beatus Albertus ex nobilissima Besutiorum Familia) ex Francisco Maria Guatio, Puricello in Differt. Nazar. cap. 38, vbi agit de Cœnobio S.Ambrosij ad Nemus. Fuisse siquidem Mediolani, Ambrosio Antistite, piorum virorum Asceteria non ignoramus; etenim Diuus Augustinus, cuius testimonio vtitur Baronius ad Annum CCCXXVIII., hæc ait: *Vidi ego diuersorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctissimus.* Et in lib.8 Confessionum cap.6. idem Augustinus fatetur, fuisse *Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Monasterium item aliud extitisse Mediolani, in quo exul moratus est Diuus Martinus Turonensium Episcopus, testatur Seuerus lib 2. citatus a Baronio tomo 3. Annalium ad Annum CCCLVIII.; de quo Cœnobio disputabimus infra, cùm de S.Maurilio scribemus. Beatus tamen Albertus cùm in Cælum migrauerit, teste Ferrario, anno MCCCLIX., non fuit ex ijs Cœnobitis, qui sub Ambrosio nutritore viuebant: verùm inter Ambrosianos alios Cœnobitas multò pòst vixit, quos Fratres S. Ambrosij ad Nemus vulgò appellabamus. Eorum autem Ordinem inchoatum fuisse censet P. Eustachius a S. Vbaldo in Quodlibetis Regularibus num. 788. Anno MCCLXXIV.. Brautius quoque meminit

De S. Alberto Besutio,

fortasse accedens Galesinio, quem etiam Bulzius Sanctum vocat.

Albertus voto saluus, periturus in vndis,
Coniugis assensu, pauper in antra migrat.

Pulcherrima sunt de more carmina Bulzij, nisi quòd putat, Beatum Albertum in mari procellâ fuisse agitatum, cùm eiusmodi discrimen in Verbano Lacu subiuerit.

S. Albertus Confessor e procella incolumis
Cælo se deuouet.

Per fas, perque nefas, fluxi cupidissimus auri
Albertus Lydum quæritat arte lucrum.
Diuitijs inhians fluidis dum nauigat vndis,
Infremit horrisono dira procella freto.
Naufragio propior, prauos componere mores
Is vouet; & placidis pinus oberrat aquis.
Exijt vt pelago, scandit iuga inhospita montis:
Et vacat hìc vni per fera tesqua Deo.
Ne mare dic furem: raptam Plutone & ab ipso
Ecce animam Domino restituit Supero.

Aliud.

Scisne quid Albertus furibunda per æquora mersum
Perdidit? auriuoram perdidit ille famem.

Besutij autem Oppidi & Familiæ Besutiorum meminit Bonauentura Castillionæus in Libro de Gallorum Insubrum antiquis sedibus.

PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS.



Mediolani in Basilica Protomartyris Sanctorum 1. Leonis & Marini Martyrum. Romæ Sanctæ 2. Prosperæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Radegundæ colitur. Item Romæ Sancti 3. Iuliani Martyris, cuius Corpus Ciserani in Diœcesi Mediolanensi magnam habet venerationem.


SEPTEMBRIS 4.

1 EX Visitationibus Archiep., & consuetudine huiusce Collegiatæ Ecclesiæ anniuersariâ celebritate colentis SS. Martyres Leonem & Marinum, ex Vghello tomo 4. Italiæ Sac., ex Missalibus vetustis Ambrosianis, in quibus vocantur Confessores, fortasse quia coram Fidei Christianæ hostibus Christi Fidem essent confessi; vt olim appellatos fuisse Confessores docet eruditissimus Cardin. Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad diem secundam Ianuarij sub litera *h.* & ad Calendas Augusti sub litera *h.* pariter; de qua etiam *Confessorum* appellatione tradit Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Eustorgij, Gauantus citatus a Puricello in Vita S. Laurentij Littæ cap. 32. num. 4., atque idem Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 305.. Idem Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 6. cap. 1. Leonem & Marinum vocat Martyres.

Putant aliqui hosce Marinum & Leonem illos eosdem esse, quos hodie memorat Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, eumque Leonem vocat Leum; verùm cùm Corpus S. Marini asseruetur in Oppido Parochiali S. Marini, discedere cogor ab illorum sententia. Vterque verò Marinus & Leus decesserunt titulo Confessionis insignes; & primus quidem Leuita, secundus Presbyter a S. Gaudentio Episcopo Ariminensi ordinatus: nostri verò Marinus & Leo palmâ martyrij fuerunt decorati.

2. Ex Tabulario Sanctimonialium S. Radegundæ, cuius Ecclesiæ Reliquias enumerat Morigius in Sanctuario.

3. Ex Tabulario Parochialis Ecclesiæ Cæsariani in agro Bergomate, quem Pagum vulgus adulterino nomine appellat *Cisevanum*; Corpus autem S. Iuliani recognitum fuit in Curia Archiep. die 20. Augusti Anno MDCLXXVIII.



OCTA-

OCTAVO IDVS SEPTEMBRIS.



Omæ Sancti 1. Petronij Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis religioso cultu honestatur. Item Romæ Sancti 2. Crescentij Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctimonialium Beatæ Virginis Septem Dolorum honestissimè reconditum est.

SEPTEMBRIS 6.

1. EX Tabulis Templi S. Antonij, quod commendatur in Sanctuario Vrbis & Diœcesis a Morigio.

2. Ex Tabulis Cœnobij huiusce Ecclesiæ, quod vulgò Carcanorum appellatur, recèns conditum munificentiâ, & beneficentissimâ erga Gentem Carcanam largitate Ioannis Petri Carcani, cùm ibi antea stetisset Impetigocomium. Idem Carcanus vim ingentem auri erogauit, tum ad ædificandum Noscomium maius Medi.lani, tum ad erigendam frontem Templi maximi.

SEXTO IDVS SEPTEMBRIS.



Omæ Sancti Adriani Martyris, cuius Corpus Cusani honorificentissimè custoditur.

SEPTEMBRIS 8.

PAgus Cusani sexto ab vrbe lapide distat, eiusque Sacræ Ædi, quæ in latifundijs Familiæ clarissimæ Homodeorum nuncupata est Diuo Antonio Patauino, Excellentissimus Marchio Don Carolus Homodeus Prorex Valenciæ in Hispania,

nia, atque ex Magnatibus Hispaniarum, Ossa S. Adriani sibi ab Eminentissimo Patruo Cardin. Aloysio Homodeo donata elargitus est. Neque verò hunc S. Adrianum illum eundem esse censeo, cui Ecclesia Mediolanensis heri, hodie verò Romana cultum impendit; cùm illius Ossa iaceant Romæ in Ecclesia propria, præter nonnullas Reliquias conditas in Ara maxima Basilicæ Laurentianæ Mediolani, si fides Puricello in Vita S. Laurentij Littæ cap. 32: ideoque ibidem die tertio Rogationum in Litanijs inuocamus opem S. Adriani.

QVARTO IDVS SEPTEMBRIS.


SEroni in Diœcesi Mediolanensi Translatio miraculosæ Imaginis Beatæ Virginis Mariæ, quam Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus, ædificato Insigni Templo, honorificentissimâ Solemnitate transtulit.

SEPTEMBRIS 10.


EX Tabulis magnificentissimi huiusce Templi, ex Vita S. Caroli, quam scripsit Glussianus, lib. 6. cap. 13., ex Epigrapha, quæ ibidem prostat in altera pila Templi, ac testatur factam fuisse hanc Translationem a S. Carolo: cuius literæ Pastorales de hac Translatione supersunt adhuc in Actis Mediolanensis Ecclesiæ Parte 7. pag. 1094. Porrò hoc Oppidum mallem appellare *Senonum*, quàm *Seronum*, fortasse a Gallis Senonensibus, qui ex Alpibus sub signis Bellouesi Italiam ingressi, illic consederint, amœnitate soli, cælique felicitate capti, cùm interea nouas sedes quærerent, vt fines imperij propagarent; quemadmodum Gallos item Carnutes moratos fuisse in ea regione agri Mediolanensis tradit Bonauentura Castillionæus de antiquis Gallorum Insubrum sedibus, vbi deinde Oppidum Carnutum excitatum est, vulgò *Carnagum*.

TER-

TERTIO IDVS SEPTEMBRIS.

Ediolani Sancti Valeriani Martyris, cuius Corpus in Basilica Portiana religiosè asseruatur.

SEPTEMBRIS II.

X Tabulis huiusce Insignis Basilicæ, ex Visitatione S. Caroli, ex Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, & alijs Scriptoribus. Neque verò hic Valerianus est sponsus S. Cæciliæ, frater S. Tiburtij Martyris, ille enim iacet Romæ in Ecclesia S. Cæciliæ: sed alius omnino Valerianus. Quapropter nonnulli sunt hallucinati, censentes ideo S. Cæciliam (vt supra significauimus) quiescere in hac Basilica, quòd ibidem S. Valerianus esset humatus.

Fortasse hic Valerianus prodijt ex Gente Valeria, quam fuisse nobilissimam Mediolani testantur acta Diuæ Valeriæ, quæ S. Vitali nupta alios Martyres procreauit, & Gaudentius Merula lib. 1. de antiquit. Gallor. Cisalpin. cap. 5., affirmans, deprompta Epigraphâ, Valerium Maximum Historiographum, Ciuem Mediolanensem fuisse; quod si probabit Merula, Ciuitati nostræ gratulabor vehementer.

PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS.

Ediolani in Ecclesia Visitationis Translatio Sanctorum Hippolyti, Feliciani, & Faustini Martyrum, quorum Corpora ibidem Solemni celebritate recondita sunt.

SEP-

SEPTEMBRIS 12.

HÆc Sacra Ædes vulgò appellatur Sanctæ Elisabeth, quoniam dicata est Deiparæ Virgini Elisabeth visitanti. Recentis structuræ est, in foro olitorio, e regione Palatij Archiepiscopalis. Iacebant in illius Ara horum SS. Martyrum Corpora, inspecta postmodum & recognita die 20. Iulij anno MDCLXXXV.: nec desiderant cultum, quandoquidem illam Sacram Ædem, & colunt, & locupletant magnificè proximorum vicorum incolæ. Hic verò dies est Translationis; translata sunt anno MDCLXXXVIII per vicos frequentiores vrbis, deducente, ac obeunte cæremoniam Nobilissimo Capitulo Basilicæ Metropolitanæ.

IDIBVS SEPTEMBRIS.



ANdegaui in Gallia Sancti 1. Maurilij Episcopi, Ciuis Mediolanensis, qui innumeris miraculis claruit. Varisij 2. Translatio Corporis Sancti Vrbani Papæ & Martyris, atque aliorum Sanctorum Corporum, quæ honorificâ Supplicatione Cæsar Montius Cardinalis Archiepiscopus transtulit hâc die, atque in Ecclesia primaria illius Oppidi pijssimè collocauit.

SEPTEMBRIS 13.

1. DE S. Maurilio agit Martyrologium Romanum, vnàque Scriptores in eiusdem Notis citati, item Missale & Breuiarium Ambrosianum, in quo totidem verba leguntur. *Maurilius, Ciuis Mediolanensis, nobili genere natus, a Beato Martino, qui eo tempore Mediolani Monasterium extru-*

xerat, ad pietatem, sacrarumque literarum doctrinam institutus &c.. De illo autem Monasterio meminit Alciatus in calce lib. 4. Hist. Mediolanensis, & Baronius tomo 3. Annalium ad annum CCCLVIII., videlicet: *his consentientia Seuerus tradit, additque, Martinum Mediolani in Monasterio agentem, ab Auxentio dira passum, exturbatum fuisse: quando secessit ipse in insulam Gallinariam &c.*. Immo idem Baronius alibi quoque meminit eiusdem Martini & Maurilij, nempe tomo 4. ad annum CCCLXXXXIV., cùm agit de nonnullis Sanctis Episcopis in Gallia. *His addendus est* (ait) *S. Mauritius* (errore typographi, cùm Maurilius ab eodem Baronio in Romano Martyrologio appelletur) *Episcopus Andegauensis, a S. Ambrosio Lector ordinatus, & a S. Martino Monastica institutione excultus, & Presbyter consecratus, ac deinde inuitus ordinatus Episcopus*. Maurilij etiam mentionem facit Chalcus lib. 2 Hist. Pat., cùm de Auxentio Pseudoepiscopo scribit. *Auxentius Martinum Turonensem Episcopum varia Mediolani Cœnobia instituentem finibus exegit, item ab eo eruditos, Maurilium splendidissimis Parentibus Mediolani ortum & Gaudentium Eporediensem, quorum vterque postea ad Episcopatum peruenit, ille Andegauensis, hic Nouariensis Ciuitatis*. Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediolani in Vita S. Dionysij, *Martinus* (inquit) *inter discipulos suos Maurilium habuit nobilissimum adolescentem Mediolanensem, qui postea fuit Episcopus Andegauensis, cuius pater Italiam ferè totam rexit &c.* Eo etiam nomine illustratam Mediolanensem Ecclesiam fatetur Diuus Carolus in literis Pastoralibus, quæ in Actis Mediolanensis Ecclesiæ sunt impressæ. Etenim in Parte 7. pag. 1099. col. 1. hæc tradita sunt a S. Antistite Borromæo. *Non è anco da tacere di Maurilio Santo, Cittadino Milanese, discepolo del medemo S. Martino, che in tanti modi, e Monaco, & Abbate, e finalmente Vescouo Andegauense nella Francia, aiutò così diuinamente con la santità sua quella Diocese e paese tutto*. Quæ literæ Pastorales omnem in eo curam ponunt, vt dignitatem Mediolanensis Ecclesiæ ciuibus indicent. De Monasterijs verò a S. Martino extructis consule P. Eustachium a S. Vbaldo in Quodlibetis Regularibus Quodlibeto 1. num. 12. Et licèt Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ vocem

cet Maurilium *Andegauensem*: attamen puto eum ab Episcopatu gesto appellatum, quemadmodum Gaudentium *Nouariensem*, quem scimus Eporediæ natum. Res gestas S. Maurilij (cui Mediolanensium Pietas Ecclesiam, & quidem Parochialem, in Regione Ticinensi vrbis ædificauit) vidimus in Legendario, vt vocant, M.SS., quod asseruari in Sacrario Basilicæ Franciscanæ supra diximus: eiusque meminit Robertus in Gallia Christiana, Martyrologium Gallicanum, Morigius in lib. 2 Hist. Mediol. cap 7 & 8., Puricellus in Dissertat. Nazariana cap. 53, & in Vita S Laurentij Littæ cap. 15. num 5., P. Ribadenera in libro, cui titulus *Flos Sanctorũ*, & Bagatta tomo 1. & 2. admirandorũ, necnon doctissimus P. Gregorius Rosignolus e Societate Iesu in libro, qui inscribitur: *Marauiglie di Dio nè i suoi Santi* pag. 220., quo item in libro pag. 307. scribit de SS. Haymone & Vermundo, de quibus egimus supra die 13. Februarij. Diuus tamen Maurilius fuit Episcopus Andegauensis, non autem Antisiodorensis.

Brautius quatuor Disticha intulit in Martyrol. Poeticum.

S. Maurilij Episcopi Andegaui.

Maurilius precibus fanum, statuasque deorum,
In cinerem lapso desuper igne dedit.

De clauibus in mare lapsis ex manibus S. Maurilij.

In pelagus claues lapsas excepit in ore
Piscis: & exiliens condita furta refert.

De fuga & reditu S. Maurilij.

Naue fugit nauim: quæsitus naue remigrat;
Quo fugit pelago, naue reuectus adest.

De puero resuscitato a S. Maurilio.

Quem trimum puerum quondam suscepit auara,
Septennem reduci reddidit vrna modo.

Nec impar est Brautio Bulzius, cuius ea sunt Epigrammata.

S. Maurilius Episcopus Andegauensis
Mitræ clam se subducens, hortum colit.

Vt melius Diuum Cæli reperiret Amorem,
Nempe suo exardens obuius esse Deo,
Præsul adorata fugiens e sede, colendum
Mentito herbiferum suscipit ore solum.

Sudat in apricis Mystes operosior hortis:
Præ spreto, gaudet dextra ligone, Pedo.
Hortos credo petit Mystes; hortensia in arua
Cum Sponsa Sponsum numen ijsse memor.
Ignem habet diuinitùs in Idolorum delubrum.
Numinibus sacrum falsis euertere templum,
Quod stat adhuc, nullà Vir pius arte potest.
Diruat vt fanum, lapidem mouet igneus omnem:
Vnum sed lapidem non mouet ille domus.
At simul astra rogat; perstans adamantina moles.
Orato pluuium sentit ab axe focum.
Tæda cadens totam serpens condissipat arcem:
Atque in ea cultos dissipat igne Deos.
Audacem iactet iam nemo Promethea: nemo
Maurilio vtiliùs traxit ab Æthre faces.

2. Ex Tabulario Ecclesiæ Collegiatæ Insignis S. Victoris, quæ est primaria Oppidi, vbi asseruari non potest Corpus integrum S. Vrbani, cùm magna illius pars quiescat Romæ; verùm pars tanta erit, vt Corpus appellari possit. Hæc Translatio facta est Anno MDCXXXVII., cùm Cardinalis Montius Archiep. Varisiensem Visitationem inchoaret. Diui Vrbani, quemadmodum & aliorum Sanctorum in Templo illo Varisij quiescentium laudes carmine & emblemate plurimo complexus est nobilis Poeta Augustinus Terzagus, ex Sodalitio Sacerdotum Oblatorum, Præpositus Neruiani; quæ videre est in eiusdem Poesi editâ typis Mediolanensibus Anno MDCLVI. pag. 16.

DECIMO NONO CALENDAS OCTOBRIS.



Ediolani Translatio Capitis & Cinerum Sancti Barnabæ Apostoli, & Primi eiusdem vrbis Episcopi, quos vnà cum Sanctorum Corporibus in Basilica Beatorum Naboris & Felicis iacentibus

Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiscopus, hâc die, ad eandem Basilicam Solemni celebritate transtulit.

SEPTEMBRIS 14.

OLim in hac Basilica recitabatur Officium ritu duplici de hac Translatione: sedenim nescio, quâ de causâ prætermissum sit. Cæterùm Caput & Cineres S. Barnabæ ibidem iacere testantur Calendarium & Breuiarium Ambrosianum ad diem vndecimam Iunij, Liber Successorum S. Barnabæ in Elogio eiusdem S. Apostoli. Ex Vita S. Barnabæ, quam scripsit Abbas Placidus Pucinellus, idem cōstat, item ex Glussiano in Vita S. Caroli lib. 2. cap. 29, ex Carolo a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Barnabæ, qui gratulatur Patriæ suæ, quòd Ecclesia Mediolanensis *Auctoris sui præclara pignora, Dei clementiâ, sortita sit*. Haud equidem ignoro, ostendi pariter Papiæ in Ecclesia S. Marini Caput S. Barnabæ, quod indicat etiam Ferrarius in Catal. SS. Italiæ in Notis ad diem vndecimam Iunij (quamquam enim Corius in Hist. Mediol. tradat, Corpus S. Barnabæ a Mediolanensibus fuisse Papiâ exportatum, delatumque Mediolanum: id tamen refellit ibidem Carolus a Basilica Petri) item coli Caput S. Barnabæ apud Bergomates, & Genuæ in Templo Metropolitano, quemadmodum vult idem Pucinellus; verùm fortasse aliqua pars Capitis S. Barnabæ custoditur alibi, aut Sancti alterius, qui Barnabas vocaretur: ideoque existimatum sit Caput Apostoli. Credere quidem malumus S. Carolo, solertissimo Reliquiarū inspectori, quàm Iacobo Gallæ in Sanctuario Papiæ, Anfossio, Ferrario, atque alijs Scriptoribus. Namque S. Carolus rem totam accuratissimè explorauit: curauitque, vt Acta singula a Notarijs in tabulas referrentur: vti videre licet in Instrumento recognitionis & translationis subsignato ab Hieronymo Castilliono, & alijs Notarijs die 14. Septembris Anno MDLXXI.

Certè in eo Libro, qui custoditur in Sacrario Basilicæ Francisca-

næ sæpenumero a me memoratus, scriptus Anno ferme MCCC., cùm in eo sit mentio Gofredi de Bussero, qui fuit Parochus Rodelli (pagus est in Diœcesi Mediolanensi) isque Vitas Sanctorum scripsit Anno MCCXX., legimus, secundùm testimonium eiusdem Gofredi, atque aliorum Auctorum, Cineres & Caput S. Barnabæ Apostoli compositos in loculo plumbeo tandiu iacuisse sub columna candelis ferè exusta, quoad Fratres Minores antiquam Ecclesiam S Naboris diruerunt: *vt eam amplificarent, ac facerent pulchriorem. Fodientes autem sub prædicta columna, repererunt Caput S. Barnabæ Apostoli cum Cineribus adustis in capsa plumbea &c.* de qua re *quidam Insignis Prædicator & Doctor, scilicet Frater Bonifacius* de Serenio *sic ait:*

Barnabam huc perhibent translatum scripta vetusta:
Fama refert, vsti Cineres, & plumbea tumba.

Hæc in eo Libro; quæ carmina simul cum alijs incisa sunt in silice, ac prostabant in Basilica vetusta sub Organo prope suggestum: sed vtinam restituta nunc Ædes Sacra S. Francisci eam nobis tabulam marmoream, aliaque monumenta salua restituat: nisi fortè ruinis succubuit. Ruinarum tamen ingratijs versus ij perennabunt apud Puricellum in Monum. Basil. Ambros. num. 461., atque narrabunt posteris huiusce Basilicæ Reliquias & cultum.

Porrò Caput & Cineres S. Barnabę donatos fuisse Diuo Benigno Mediolanensium Archiepiscopo narrat Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 7; quos hodie transtulit Diuus Carolus (non autem die quartâ Septembris, vt vult Gluffianus) largitus etiam Indulgentiam perpetuam centum dierum ijs, qui hodie Basilicam hanc religiosè visitarent.

Nescio tamen, quomodo Ripamontius id apertè tradat de Corpore S. Barnabæ; quippe eo tempore, quo fuit repertum, anno videlicet CDLXXXV., cùm tunc verè Mediolanensi Ecclesiæ S Benignus præesset, reconditum fuit in eadem Insula Cypro, teste Gordono in opere Chronologico. *Reperitur* (ait) *in Cypro Corpus S Barnabæ cum Euangelio S. Matthæi supra pectus. Reliquiæ ibidem extructo templo reconduntur. Euangelium allatum est Constantinopolim.* Quo pacto igitur eas Reliquias habere

bere potuerit Mediolanensis Ecclesia, fatetur Carolus a Basilica Petri, se scribere non posse; neque enim vero simile est, Cyprios conterranei sui Apostoli cineres vix inuentos voluisse statim aliò amandare, vt eos dono darent Diuo Benigno.
Cæterùm hæc Basilica commendatur a S. Ambrosio in Epist. ad S. Marcellinam sororem suam, cùm tradit, inuenta a se inibi fuisse Corpora SS. Geruasij & Protasij ante cancellos SS. Felicis & Naboris. Hæc etiam Basilica appellata est Philippi & Philippea, quòd in eam conuersa fuerit domus Beati Philippi, qui ibidem eorum Martyrum Corpora condiderat, de qua Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 172. num. 13.

DECIMO OCTAVO CALENDAS OCTOBRIS.



Omæ. Viâ Nomentanâ 1. Natalis Beati 2. Nicomedis Presbyteri & Martyris, qui cùm diceret compellentibus se sacrificare: Ego non sacrifico, nisi Deo Omnipotenti, qui regnat in Cælis, plumbatis diutissime cæsus, migrauit ad Dominum. Eius Corpus Mediolanum translatum est, atque in Basilica Vincentiana summâ reuerentiâ tumulatum. Canturij Sancti 3. Innocentij Martyris ex Gloriosâ Legione Beatorum militum Thebæorum, cuius Corpus ibidem digno honore seruatur.

SEPTEMBRIS 15.

1 SCitè Ecclesia diem mortis Natalem vocat. En S. Augustinus Sermone 113 (quem antè citaui) de S. Cypriano: *Dicturi enim sumus* (ait) *de laude Cypriani gloriosissimi Martyris, cuius Natalem hodie, sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequen-*

frequentat Ecclesia, idest Natales, vt Natales vocet pretiosas Martyrum mortes. Quid est hoc, fratres? Quando natus est, ignoramus: & quia hodie passus est, Natalem eius hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus. Illo enim die traxit Originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum. Natalis est igitur S. Nicomedis idest mors, qui plumbatis cæsus, martyrij promeruit palmam. Quid autem essent plumbatæ, & quinam plumbatis cæderentur, docet eruditissimus Antonius Gallonius in Libro, quem edidit de SS. Martyrum cruciatibus.

2. Porrò Corpus S. Nicomedis iacere in Basilica S. Vincentij in Prato Mediolani, discimus ex Calendario Ambrosiano, Morigio in Sanctuario, & fusè ex Castillionæo in Libro de Antiquitatibus Mediolanensibus. Quis autem illius Corpus detulerit Mediolanum, in duplici fama est. Sunt, qui ascribant Angilberto Archiepiscopo, & citant Mombritium tomo 2. in Vita S. Quirini, ac in Vita S. Abundij Idibus Decembris; Castillionæus id muneris tribuit Ariberto Archiepiscopo. Sed enim res hæc adhuc mihi hæret; nam alij Diuum Nicomedem affirmant quiescere Romæ in Templo S. Praxedis: Ferrarius autem in Indice Alphabetico, quem Catalogo Italiæ inseuit, docet, illius Corpus asseruari Parmæ in Templo maximo. Nos verò censemus cum eodem Castillionæo Parte 1. Fasciculo IV., Corpus S. Nicomedis custodiri in Basilica Diui Vincentij, qui inibi fusè tradit hæc, tum ex diplomate Innocentij IV. Summi Pontificis, tum ex traditione, confutans in eodem Fasciculo Ferrarium.

Porrò SS. Quirini, Nicomedis, & Abundij Corpora, quæ in Arca lapidea in Confessione huiusce Templi Vincentiani composita sunt, inspexit Cardinalis Federicus Borromæus Archiep., Anno MDCIX., IX. Cal. Februarij quemadmodum Castillionæus in Fasciculo III. narrat, quem consule. Brautius tria disticha pepigit in laudem S. Nicomedis; Nos postremum seligimus

Contempsit statuis Christi libare Sacerdos:
Et cecidit coràm victima pura Deo.

Bulzius Hexastichon addidit,

S. Ni-

S. Nicomedes Martyr
Ob humatam fœminam (nempe Sanctam Feliculam) *quam*
Præses amat, dein necat, interimitur.
Mollia verberibus, Præses, quid terga fatigas:
Atque sub æterno cogis obire flagro?
Delicias num fortè tuas, quòd mysta sepulcro
Abdidit? Intuleras sed prior ipse necem.
Quicquid id est. Sic fortè doces, o dire, puellam
Posse vel exanimem perdere morte viros.

3. Ex Indice Reliquiarum M.SS. Gualuanei Flammæ antea memorato, ex Carolo a Basilica Petri in Fragmentis Hist. Mediolanensis, ex Baldesano in Hist. S. Mauritij lib. 1. & 2., vbi affertur etiam testimonium Martyrologij ex Cœnobio Franciscano Mediolani in hanc sententiam. *In Pago Mediolanensi in Burgo Canturij celebratio S. Innocentij Martyris de Societate Thebæorum. Hic iacet in Ecclesia S. Iacobi: hic de Thebæorum Collegio extitit triumphator magnificus, meritò magnificis laudibus celebrandus*, denique ex Sanctuario Morigij.

DECIMO SEXTO CALENDAS OCTOBRIS.



Mediolani Depositio Sancti Satyri Confessoris, cuius insignia merita Sanctus Ambrosius eius frater commemorat.

SEPTEMBRIS 17.

DE S. Satyro agit Martyrol. Romanum, Breuiarium & Missale Ambrosianum cum Missa propria, Officium eiusdem editum Romæ sub Clemente X. Pontifice Maximo ad vsum Sanctimonialium S. Ambrosij de Maxima in Typogrophia Reu. Cameræ Apostolicæ, Baronius tomo 4. Annalium, Mombritius tomo 2., Hilarion Monachus in eius Vita, Legendarium M.SS. Sacrarij Franciscani, Galesinius, Vghellus tomo 4., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Chalcus lib. 2. Hist. Patriæ, Bagatta tomo 1. admirandorum, Ripamontius Dec. 1.

Hist. Ecclesiast. lib. 3., & Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ, qui num. 404. narrat., *moris olim fuisse* (qui etiamnum viget) *vt Monachi Ambrosiani Cœnobij anniuersariam Festiuitatem S. Satyri celebrarent in Vrbana eiusdem Sancti Confessoris Ecclesia: Canonici verò Basilicæ Ambrosianæ in Sacello S. Victoris* in eadem Basilica. Etenim Anspertus de Blasono (Blasonum est Vicus, de quo Chalcus lib. 5.) Archiepiscopus in vmbilico ferè vrbis Mediolani ædificandam curauit Sacram Ædem SS. Syluestro & Satyro, quemadmodum antea scripsi, in qua Ferrarius falsò affirmauit, asseruari Corpus Diui Satyri. Quòd autem S. Satyrus in naufragio constitutus, in orario Eucharistiam gestans, emerserit incolumis e fluctibus, sciendum est, olim Christianos, etiam Laicos, detulisse domum Eucharistiam, sicuti Baronius indicat in Notis Martyrol. Rom. die 15. Augusti, cùm agit de S. Tarsicio Acolytho ad literam C., meminitq; pariter tomo 4. Annaliũ ad Annum CCCLXXXIII.: necnon tomo 8. ad Annum DCXXXV. memorat factum S. Satyri, cui item simile idem Baronius annectit ibidem de S. Byrino Episcopo Primo Dorcestriensi, quem commendat Martyrologium Romanum tertio Nonas Decembris. De hoc eodem facto S. Satyri meminit Serarius lib. 2. de Processionibus cap. 9.. Quod quidem eleganter, vti solet, Bulzius complexus est carmine.

Sanctus Satyrus Ambrosij Frater
naufragus salutem sperat ab Eucharistia.

Fluctisonis agitata Notis, illisaque saxo
Dat medio turbam fracta carina mari.
Repit hic ad scopulos: is transtra natantia prensat:
Impiger æquoreis innatat alter aquis.
Mysta aderat, stabatque pio daps pendula collo,
Cui suberat Christus, daps sacrosancta, latens.
Liba rogat Satyrus: libo donatus & ipso
Naufragus vndiuomis iam benè sperat aquis.
Speret, quid paueat metuenda pericula Ponti?
Vel merso secum non nequit esse salus.

Idem Puricellus agit de S. Satyro in Dissertat. Nazar. cap 46.; & cùm in Monum. Basil. Ambros. num. 19. plura scripsisset de sepulcro

pulcro S. Satyri (quem S. Ambrosius ad læuã S. Victoris humauerat) vt constat ex Tetrastico, quod refert ibidem Puricellus,

Vranio Satyro supremum Frater honorem
Martyris ad læuam detulit Ambrosius.
Hac meriti merces: vt sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuuias;

iccirco excitauit calamũ Abbatis Raphaelis Monetæ Cœnobitæ Oliuetani dimicantis pro Basilica Victoriana, in qua iacere affirmat Corpus S. Satyri. Monetæ verò respondit idem Puricellus libro edito, cui titulum fecit. *Sancti Satyri Confessoris, & SS. Ambrosij & Marcellinæ Fratris tumulus e nocturnis facibus diurnæ veritatis suæ luci restitutus;* quippe Monetæ liber impressus Genuæ typis Benedicti Guaschi Anno MDCLVI. hunc titulum præferebat: *Sancti Satyri Confessoris, Diui Ambrosij Fratris, in Basilica olim Portiana, nunc S. Victoris ad Corpus Mediolani quiescentis, tumulus illustratus a P. Don Raphaele Moneta, Mediolanensi, Monacho Oliuetano;* quoniam Cœnobitæ Oliuetani Basilicam Victorianam colunt.

Cæterùm Satyrus appellatur *Vranius*, idest *Cælestis*: ac tumulatus fuit iuxta S. Martyrem Victorem; cuius sepulturæ mentionem facit ibidem Baronius, atque addit. *Quanti fecerit ipse S. Ambrosius, apud Sanctos Martyres sepultura locari Christianum hominem, ex eo poteris intelligere, quòd ipse etiam voluit sepeliri in Ambrosiana a se erecta Basilica, in quam transtulerat Corpora Sanctorum Martyrum Geruasij atque Protasij. Porrò id etiam Maiorum instituto vsurpatum, idem affirmat, siue velimus, Maximus Taurinensis (cuiusuis alterutrius sit Sermo ille) cùm ista habet: Ideo a Maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra Corpora sociemus: vt dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes, euadimus Inferi tenebras eorum proprijs meritis, attamen consocij Sanctitate,* & cætera, quæ in hanc rem ibidem affert Baronius. Hæc de sepultura S. Satyri, de cuius morte sequens distichon cecinit Brautius in Martyrologio Poetico.

Ambrosius fratrem Satyrum redamatus amauit,
Marcellina magis; fleuit vterque satis.

DECIMO QVINTO CALENDAS OCTOBRIS.


Ediolani Sancti Eustorgij I., Episcopi, testimonio Beati Ambrosij celebris, qui Corpora Sanctorum Regum Magorum Mediolanum admirabiliter transtulit.

SEPTEMBRIS 18.

EX Martyrol. Rom., ac Scriptoribus, qui in eiusdem Notis citantur, Missali, Breuiarioque Ambrosianis, Actis Mediolanen. Ecclesiæ, Baronio tomo 3. Annalium, Bonauentura Castillionæo in Vita eiusdē M.SS., item ex Catalogis M.SS., Libro Successorum S. Barnabæ, Carolo a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Eustorgij, Galesinio, Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, Ferrario in Catal. SS. Italiæ (qui tradit a S. Eustorgio I. delata fuisse Mediolanum SS. Magorum Corpora, quæ tamen antea in Annotationibus diei sextæ Iunij deuecta a S. Eustorgio II. docuerat) Ripamontio Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 2., Chalco Hist. Patriç lib. 2., Alciato lib. 3 Hist. Mediol., Besutio in Hist. Pontificali Mediolani, Peregrino Merula in Sanctuario Cremonensi, Morigio in Sanctuario Mediolanensi, Pucinello in Zodiaco Mediolanen. Ecclesiæ, atq; ex alijs Scriptoribus. Præclarum quidem est testimonium S. Ambrosij de S. Eustorgio, & S. Athanasij lib. 1. ad Episcopos Ægypti contra Arianos; vbi *nominatur Eustorgius vti primarius inter Italiæ Episcopos*; quo testimonio vtitur Carolus a Basilica Petri in eius Vita. Nec Eustorgio alia desunt Scriptorum encomia, præcipuè Galesinij in Præfatione ad volumen Homiliarum S. Ambrosij a Leinatio digestarum. *Eustorgius* (ait) *claro genere in Græcia natus, clar a etiam virtute Episcopus, nomineque sapientia ac religionis excellens, Diuinis certè monimentis Ecclesiam Mediolanensem instruxit atque ornauit; eius cura Sacris ad vrbem Mediolanum Sanctorum Magorum Corporibus Constantino-*

poli translatis, atque ob eam causam templo religiosissimo extructo; quod sanè Templum Basilica Regum, atque a conditore Eustorgio Eustorgiana vocatur.

De Translatione autem Corporum SS. Magorum Mediolanum agit Puricellus in Monum. Basil. Ambros num. 422., citando Mombritium, S. Antoninum Parte Chronicorum 2. Tit. 16. cap. 9. Petrum Natalem in Catal. Sanctor. lib. 4 cap. 46., Hilarionem Monachum in Supplemento Legendarij Sanctorum Iacobi de Voragine in Vita S. Eustorgij, Galesinium in Notis ad Martyrologium ad diem octauum Idûs Ianuarij, Ægidium denique in gestis Pontificum Leodiensium cap. 45. apud Ioannem Chapeauillam de ipsorum Gestis tomo 2., quem tamen Ægidium reprehendit Puricellus, affirmantem, Corpora SS. Magorum collocata fuisse *in Ecclesia S. Petri prope Ciuitatem Mediolanensem.*

Quòd autem in Breuiario Ambrosiano legimus, Corpora SS. Regum Magorum admirabiliter a S. Eustorgio Mediolanum esse translata, vetusti Annales Miraculum indicant; nos verò eiusdem testes proferemus Menochium lib. & cap. supra citato, cùm de SS. Magis ageremus, Ripamontium & Bulzium, quamuis leuiter inter se discordantes. Ripamontius igitur, loco supra prolato, hæc memorat. *In quibusdam Annalibus inuenio, cùm ea trium Magorum Corpora Mediolanum aducherentur, quendam admirabilem casum incidisse, de quo referam, prout accepi. Cùm vnus e bobus, qui trahebant arcam* (in qua condita fuerant sacra pignora) *labori fortè succubuisset, nec reliquæ deinde belluæ sufficerent oneri, subitò pererrans arua lupus obtulit sese, eumque ministri cicurem & quasi volentem adiunxere iugo: atque ita peregrinum illud animal effusæ ad videndum Ciuitati, noui obsequij spectaculum præbuit. Incredibilis dictu res, vel fortasse etiam eiusmodi, quam seueri homines haud satis historia dignum putent. Sed ego non referrem, nisi accessissem ad columnam, quæ in ipsius Eustorgij Basilica totius eventi sculptam effigiem ostendit: & nisi Vicus, quem inde Vaccam appellauere, miraculi monumentum esset. Porrò cùm ad Diui Barnabæ Fontem pompa peruenisset, dicuntur illicò substitisse iumenta sic, vt de repentina illa tarditate dimoueri non possent. Tunc Eustorgius*

haud dubio argumento loci religionem interpretatus, eo in loco cellam ædificauit: ibique Corpora trium Magorum condidit &c. quæ deinde creuit in magnificentissimam Basilicam, adiecto etiam Canonicorum Collegio, *quos multò pòst Henricus Septalius Archiepiscopus in Laurentiani Templi ministeria, cultumque descripsit, cùm Basilicam ipsam Dominicanis Fratribus attribuisset.* Hæc Ripamontius.

Bulzius verò in Parte 1. Lararij Poetici, die sextâ Iunij (nam Eustorgio II. ascripserat, quæ tribuenda fuerant Eustorgio I., vt antea monui) hæc carmina pepigit.

S. Eustorgius Episcopus
Mediolanum transfert Magorum Corpora.

Climate ab Eoo rutilam diademate gentem
Traxit ad Hebræas lucida stella domos:
Ponè sequebantur præeuntia lumina Reges:
Cerneret vt natum Regia turba Deum.
Gens quoque nunc eadem tecum venit impigra, Præsul;
Sidus es: at tecum possit vt esse, venit.

In eadem Translatione
Lupum ad bouis Officium cogit.

Pignora Bosphoreo properant Sanctissima ab orbe:
Sola tamen currum bina iuuenca trahit.
Altera dente lupi feriente intercidit: atque
Belua datur sacras nulla obitura vices.
Præsulis ad iussum mactatrix belua iuuencæ
Sedula mactatæ munera dura subit.
Sint inimica licèt, concordia bruta iugantur;
Plaustra trahunt æquo bosque lupusque gradu.
Ex, o Mysta, lupo bos est tibi redditus vnus;
Ex, o Mysta, lupis est ouis innumera.

Bulzium sequitur Brautius.

S. Eustorgius I. Episcopus Mediolanen.

Italiam venit Christi recturus ouile,
Velleris implendum multicoloris oue.

Eustorgius siquidem natus est in Græcia, ex qua Regione plurimi ad nos Antistites venere, vt Mediolanensem Metropolim administrarent. Inde Ritus Ambrosiani, non modò ex imita-

imitatione Basilij Magni, sed etiam, ob ritûs patrios Pelasgorum Antistitum, Græciam olent.

De tribus Sanctis Magis
adductis ab eodem.

Tres tulit in magnam Reges Eustorgius vrbem,
Cum quibus in propria conditus Æde iacet.

Nouissimè Bagatta S. Eustorgij meminit tomo 1. admirandorum, secutus fidem Arnoldi Raysij.

Porrò hìc animaduertas velim, hunc S. Eustorgium præferendũ esse, Chronologiæ causâ, Mirocleti & Protasio, sicuti bene docuit Carolus a Basilica Petri in exordio Vitæ S. Materni & S. Eustorgij. quo errore vitiata est Tabula Mediolanensium Archiepiscoporum in Actis huiusce Ecclesiæ, in quibus præponuntur Mirocles, Protasius, & Maternus Eustorgio, cùm ordine series ita constituenda sit, ne dissentiant tempora, vt primò Maternus post Monam collocetur, Maternum excipiat Eustorgius I., deinde Mirocles & Protasius sequantur Eustorgiũ.

DECIMO QVARTO CALENDAS OCTOBRIS.

ROmæ Sancti Ianuarij Martyris, cuius Corpus in Oppido Varisij deuotè honoratur.

SEPTEMBRIS 19.

EX Tabulis Ecclesiæ Maioris Varisij, cuius meminit Morigius in Sanctuario.

DECIMO TERTIO CALENDAS OCTOBRIS.

MEdiolani Sancti Clicerij Episcopi, qui Ecclesiam Mediolanensem, præclarâ sanctitatis suæ testificatione, administrauit.

SEPTEMBRIS 20.

S. Clicerij meminit Martyrologium Romanum, Breuiarium & Missale Ambrosianum, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Catal. M. SS., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Ioannes de Deis in libro de Successoribus S. Barnabæ, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 6., Besutius in Hist. Pontificali, Galesinius, Vghellus tomo 4., Chalcus lib. 3. Hist. Pat., Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 63. & 374., vbi corrigit opportunè postrema carmina Epigrammatis, quo S. Ennodius commendauit Diuum Glycerium, siue Clicerium; nam in editione Parisiensi hæc legimus:

Hunc habuit & populus paruo vix tempore felix:

Et in Libro Successorum S. Barnabæ

Hunc auo & populus paruo vix tempore felix;

quamquam asteriscus in ora paginæ reponat *auus*; sed longè meliùs Puricellus emendat:

Hunc habet & populus paruo vix tempore felix.

Corpus S. Clicerij iacet in Basilica Nazariana, de qua vide Ioannem Franciscum a Basilica Petri, Morigium lib. 2. Hist. cap. 23., & Villam de Septem Ecclesijs Stationalibus.

In Martyrol. Poetico laudatur S. Clicerius:

Te meritò colimus, quia Pastor ouile Cliceri
Rexisti Christi cum pietate vigil.

Torellus tomo 1. Seculor. Augustin. ad annum CDXXXV. narrat aduentum S. Germani Episcopi Antisiodorensis Mediolanum, cuius etiam mentionem facit Sigonius lib. 13. de Occidentali Imperio: *Germanus* (inquit) *ad Valentinianum Rauennam iter ingressus est. In itinere autem multa signa, & in Gallia, & in Italia edidit, præcipuè autem Mediolani, cùm vrbem Templumque incognitus introisset, atque in populi turba lateret, mirandum in modum in ipsa Sanctorum Solemnitate est agnitus.* Enimuerò quanto honore illum S. Clicerius & vniuersa Ciuitas Mediolanensis exceperit, refert Torellus, qui ex Constantio ea descripsit; cui quidem Constantio fidem habere debemus, propterea quòd Baronius in Notis Martyrol Rom. Pridie Cal. Augusti eundem vocet *Scriptorem illorum temporum non ignobilem.*

VNDE-

VNDECIMO CALENDAS OCTOBRIS.



Omæ Sanctæ Iulianæ Virginis & Martyris, cuius Ossa Cesani, Caput verò Mediolani in Ecclesia Sancti Philippi Nerij summo honore seruantur.

SEPTEMBRIS 21.

EX Tabulis Ecclesiæ Parochialis Cesani prope Seuisum (quod Oppidum a præterfluente amne Seuiso appellatū, est Metrocomia illius tractûs) item ex Tabulis Sanctimonialium S. Philippi Nerij, queis donatæ sunt Reliquiæ S. Iulianæ ab Illustrissimo Comite Bartholomæo Aresio Præside Senatûs Excellentissimi die 18. Octobris Anno MDCLXVII.; effossum verò fuit Corpus S. Iulianæ ex Cœmeterio Cyriacæ, donoque datum ab Eminentissimo Cardinali Aloysio Homodeo eiusdem Comitis Aresij sororio; qui Comes, quòd magnificentissimas Ædes Cesani ædificauisset, atque Sacram Ædem Parochialem eius Pagi suo ære ampliorem restituisset, eam deinde lipsanis S. Iulianæ locupletauit. Porrò Ecclesiam ac Cœnobium pulcherrimum S. Philippi Nerij excitauit magno sumptu Illustrissima Comitissa Lucretia Homodea Aresia, cuius antea Asceterij institutionem probauerat, ac primum Sacræ Ædis lapidem rite collocauerat in fundamentis Cardinalis Federicus Borromæus Archiep., vti narrat Riuola in eiusdem Vita lib. 5. cap. 6.: præfeceratque eidem Monasterio primùm Veronicam Calcaterram Virginem lectissimam & integerrimam, cuius Vitam annis superioribus scripsit P. Leander Mediolanensis ex Ordine Capuccinorum.

Hoc pariter die Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus migrauit e vita, de quo plura habentur in Vita S. Philippi Nerij, qui illi fuerat a Confessionibus. Itidem eiusdem Cardinalis Vitã scripsere Ripamontius (qui item illũ commendat in libro de Peste) & Riuola: ac Bulzius hoc die in Lararium

Poeticum lepida Epigrammata duo in eiusdem laudem intulit, & primum quidem, quòd *elegantissimam sculptam Venerem comminuit*, alterum, quòd *optimè domum suam instituit*. Ea verò missa facimus, quandoquidem nostri instituti est, Sanctorum in hoc Martyrologio, aut Beatorum, nomina venerari & describere.

DECIMO CALENDAS OCTOBRIS.


Ediolani Sancti 1. Maximi militis ex inuicta Legione Thebæorum, cuius Corpus in Ecclesia Metropolitana conditum est. Ibidem Sancti 2. Candidi militis ex eadem Legione, cuius Corpus in Ecclesia Sancti Francisci Fideles colunt. Besutij 3. Sanctorum Alexandri & Tiburtij militum itidem Thebæorum.

SEPTEMBRIS 22.

1. CORPUS S. Maximi iacet sub Ara Confessionis in Basilica Metropolitana: Caput verò in thecâ argenteâ ad speciem humani capitis elaboratâ hodie prostat in Ara maxima Fidelium venerationi. Porrò sunt, qui Maximum censeant fuisse socium S. Alexandri, cuius illustre martyrium memoratur in Romano Martyrologio septimo Calendas Septembris: ita vt Alexander Bergomi, Maximus autem Mediolani martyr obierit. De S. Maximo agunt Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, & PP. Henschenius ac Papebrochius in Actis Sanctorum ad diem decimum octauum Calendas Maij; illius autem Corpus transtulit in Metropolitanam S. Carolus Borromæus, qui eam Basilicam, collectis vndique Reliquijs, abundè ditauit, de qua Translatione Baldesanus scribit in lib. 2. Hist. S. Mauritij.

2. Ex Morigio in Sanctuario, & Villa de Septem Ecclesijs, quâ

Cor-

Corpus S. Candidi ibidem sepultum fuisse affirmant; certè illius Caput hodie in Ara maiori exhibetur cultui Fidelium, inclusum in theca argentea, quæ caput humanum refert.

3. Vide Baldesanum in Hist. S. Mauritij pluribus in locis, sed præcipuè in lib. 2., vbi etiam laudat Ecclesiam primariam clarissimi eius Oppidi.

OCTAVO CALENDAS OCTOBRIS.



Arignani in Templo Carthusiæ Sanctorum Felicis Martyris, ac Theclæ Virginis & Martyris, quorum Corpora illuc ab Vrbe translata, cultu pio Fidelium honorantur.

SEPTEMBRIS 24.

CArignanum est Pagus alioqui obscurus, tertio ab vrbe lapide, sed Insigni Carthusiâ clarus. Illam Ioannes Vicecomes Archiepiscopus & Dominus Mediolani magnificentissimè condidit, prædijs amplissimis largè tributis; quamquam miratus sum, ædificationem eius Carthusiæ a Paulo Iouio, ab Auctore libri de Successoribus S. Barnabæ, & in Actis Mediolanensis Ecclesiæ præteritam fuisse. Eam tamen neutiquam prætermisere Ripamontius Dec. alterâ Hist. Mediolan. Ecclesiæ lib. 9., & Dec. 3. Hist. Mediol. lib. 2., Besutius in Hist. Pontific., necnon Morigius in Hist. Mediol. lib. 1 cap. 17.. Erat enim Vicecomes Princeps munificentissimus, regioque planè animo: eiusque nomine atque opibus Carthusia illa Carignani est Insignis, ac nobilis structuræ, seruatque plures sacras Reliquias, inter quas osculati sumus Spinam vnam ex Corona Iesu Christi, tibiam alteram & alia lipsana Sanctorum Innocentum, Mitramque S. Caroli Borromæi diuturno vsu penè attritam. Istius Carthusiæ Reliquias indicat Morigius in Sanctuario Vrbis & Diœcesis Mediolani; asseruantur illæ verò in Sacrario vnà cum Corporibus S. Felicis Martyris, ac

S Theclæ Virginis & Martyris Romanæ; nam alibi aliæ etiam Theclæ sunt, vt videre iuuat in Martyrol. Romano.

Certè illa Thecla, cuius heri memoriam celebrauit Ecclesia Romana, coliturque hodie Festiuitas ab Ecclesia Mediolanensi, nata est Iconij: eiusque exemplum & nomen significauit Insubribus S. Barnabas Apostolus, si credimus Ripamontio Dec 1. lib. 1. Hist Mediol. Ecclesiæ. In Sacra Æde primaria Mediolani hodie exponitur publicæ venerationi illius Caput: extabatque olim in calce areę Metropolitani Templi Ecclesia Diuę Theclæ dicata; cuius aliquoties memor Chalcus, præsertim lib. 15. Hist. Patriæ, *vetustissimam & pulcherrimam* fuisse ait. Arnulphus verò, vti monstrat Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 93., vocat Ecclesiam S Theclæ *æstiuam ac mirabilem*.

Etenim hyberno tempore Liturgi Metropolitanæ psallebant in S. Mariæ Maioris (quæ Ecclesia ideo appellabatur Hyemalis) æstiuo in S. Theclæ. Quas autem cæremonias obirent Mystæ S. Mariæ Maioris, cùm ad S. Theclæ migrarent, consule Beroldum, de quo Scriptore vide eundem Puricellum in memorata Dissertatione cap 97. Ecclesiarum Hyemalis & Æstiuæ meminit Besutius in Hist. Pontific. in Vita Valperti Medicæi aduersùs Villam, qui in Libro de Septem Ecclesijs Stationalibus malè existimat, Ecclesiam S. Theclæ fuisse Hyemalem.

Hæc autem Ecclesia S. Theclæ inibi extructa fuerat, vbi olim Gentiles venerabantur Mineruam, auctore Castillionæo Parte 1. Fasciculo 1. Mediolanensium Antiquitatum. Vnde, si fides Ioanni Henrico a Pflaumern in *Mercurio Italico*, vrbs Mediolanum a Gallis conditoribus vocata fuit *Megdelant*, idest Regio Virginis, scilicet Mineruæ. Consule Emblemata Alciati; quippe a voce *Megdelant paucis corruptis apud Latinos nomen Mediolani enatum est*. En Carmina Alciati.

Quam Mediolanum Sacram dixere puellæ
Terram (nam vetus hoc Gallica lingua sonat)
Culta Minerua fuit, nunc est vbi nomine Thecla
Mutato, Matris Virginis ante Domum.

Vtramque Ecclesiam Hyemalem & Æstiuam refecit S. Eusebius Archiepiscopus, teste Puricello in Vita S. Laurentij Littæ cap. 26. num. 14. & cap. 33. num. 13. in eadem Vita, item in Dissert. Nazar.

Nazar. cap. 100. num. 2.. Frustra autem est Ioseph Vicecomes in libro 5. cap. vlt. de Ritibus Missæ ratus, Ecclesiam Hyemalem esse Confessionem vulgò *Scurolo*: Æstiuam verò esse Ecclesiam superiorem. Ecclesia hæc Æstiua dicata priùs fuerat Saluatori, vti vult Carolus a Basilica Petri in Vita S. Monæ Archiep., a quo censet fuisse conditam, itemque alteram Apostolis in Pago Monati, qui a conditore Templi Mona cognomentum *Monati* deinde acceperit.

Dolemus verò, laboriosissimas lucubrationes minimè fuisse impressas typis, queis S. Theclam Iconiensem illustrauerat P. Gabriel a S. Thecla nudipes Augustinianus, congestis vndique monumentis atque Scriptorum testimonijs, vt Virginem sibi cognominem laudaret, imitatus fortasse Andream du Saussay, qui opus eximium scripsit de laudibus S. Andreæ Apostoli. Illæ tamen lucubrationes auctoris iandiu vitâ defuncti supersunt adhuc in Cœnobio S. Ioseph Ferrariæ. Multa etiam lege de hac fœminarum Protomartyre in Notis Martyrol. Rom., quæ *aliquibus fortasse prolixiora, sed Theclam impensiùs amanti pauca videri possunt*, inquit Baronius.

SEPTIMO CALENDAS OCTOBRIS.



MEdiolani Sancti Anathalonis Episcopi, qui Beati Barnabæ Apostoli discipulus, in eius locum Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus successit.

SEPTEMBRIS 25.

EX Martyrol. Rom., Breuiario Missalique Ambrosianis, ex Martyrol. Brixiensi (nam Ecclesiæ item Brixiensi præfuit Diuus Anathalo) Actis Mediolanen. Ecclesiæ, Catalogis M.SS, Besutio in Hist. Pontific., Libro Successorum S. Barnabæ, Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, Ripamontio Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 1., Carolo a Basilica Petri de Metropoli Mediolanensi, atque in Hist. Mediolani in eius Vita,

Bonauentura Castillionæo in Vita M.SS., Alciato lib. 2. Hist. Mediol.. Puricello in Vita S. Laurentij Littæ, & in Dissertat. Nazar. cap. 2., & ex alijs Scriptoribus, quos Faynus citat in Notis Martyrologij Brixiensis. Nonnulli tamen Scriptores volunt, Anathalonem fuisse Martyrem, quos meritò arguit Faynus, confessus olim Officio vnius Martyris fuisse cultum, sed fortasse ab Ecclesia Brixiensi; nam in Mediolanensi habuit semper cultum Pontificis Confessoris. Legimus quoque res gestas S. Anathalonis in Legendario M.SS. Sacrarij Franciscani, & in Zodiaco Pucinelli quædam carmina Beroldi in laudem S. Anathalonis, quæ in Notis Martyrologij Brixiani scripsit Faynus. Carmen est eiusmodi.

Mediolanensis præclarus Barnabas vrbis
Præsul, Pontificem sibi consecrat Anathalonem,
Metropolitano quem sublimauit honore.
Ad Fidei lumen duxit, tuorum quoque lucem
Primum Pastorem recipit simul Anathalonem
Brixia, quæ Christo fuerat iuncta per ipsum.
Nobilis hæc Regio, tanto fundata Patrono
Ipsum collaudat meritò, reuerenter honorat.

Etiam Diuus Mirocles Archiepiscopus, vt pius, & studiosus Antecessorum suorum Episcoporum, imaginem S. Anathalonis pingendam curauit, subiecto Epigrammate, cuius meminit Baronius in Notis Martyrologij ad hanc diem, Anfossius de Sac. Reliq. §. 34. num. 77., item Faynus in Annotationibus Martyrologij Brixiensis, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Mirocletis, & eruditissimus Cardinalis Bona in Libro de Diuina Psalmodia cap. 16. §. 14. num. 5.; in cuius Epigrammatis lemmate vocatur *Anathalo Atticus Secundus*; licèt Bagatta tomo 2. admirandorum eundem appellet *Anatholium*.

Diuo Anathaloni Attico Secundo Episcopo.
Petri hospes, Sancte Anathalon, Domne probate,
Atque idem socius Barnabæ Apostolici.
Qui Mediolani Verbi mysteria tradens,
Te iubet agnatos visere Cenomanos.
Dum tua membra metu rigidis subducta tyrannis,
Brixia vicino detinet in loculo:

Hic

Hic titulum & picto venerandos pariete vultus,
Mirocles reddit, præstitit alma Fides.
Mirocles Episcopus.

Nec desiderantur carmina Brautij in Martyrologio Poetico.

Vrbs Anathalonem Mediolanensis adorat,
Qui comitis Pauli suaue subiuit onus;

quandoquidem S. Anathalo subiuit onus Pastorale Diui Barnabæ, qui fuit comes S. Pauli Apostoli.

SEXTO CALENDAS OCTOBRIS.



Calari in Sardinia Sancti 1. Chrysonis Martyris, cuius Corpus Tradatum translatum est, vbi in Ecclesia Patrum Capuccinorum deuotissimè colitur. Mediolani Sancti 2. Ioannis Presbyteri & Confessoris ex Ordine Humiliatorum, cuius Corpus delatum est Comum. Castelletti prope Oppidum Abbiati 3. Translatio miraculosæ Imaginis Beatæ Virginis Mariæ, quam, maximo incolarum atque adiacentium populorum concursu, Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus Solemniter transtulit.

SEPTEMBRIS 26.

Ex Tabulario PP. Capuccinorum in Oppido Tradati; est autem magna pars Corporis S. Chrysonis effossa Calari ex Basilica Constantiniana S. Saturnini Martyris: eaque dono data fuit Illustrissimo Senatori Matthæo Bimio, qui eandem recognitam in Curia Archiepiscop. Mediol. die 5. Iulij Anno MDCXXXXV. collocauit in Ecclesia PP. Capuccinorum, quorum ibidem Asceterium extruendum curauit idem

Senator

Senator Bimius, qui illic mortales sui corporis exuuias humari iussit. Familiam verò Bimiam commendat Hieronymus a Basilica Petri in lib. Sacrar. Ephemeridum die 6. Ap. in Vita B. Catharinæ Palantinæ.

Cæterùm Oppidum Tradati insigne est, cuius meminit Bonauentura Castillionæus in Libro de antiquis sedibus Gallorum Insubrum. Vidimus in eiusdem Oppidi tractu & vicinia plura antiquitatis vestigia, non modò in Castro Seprij & in Vico Turbinis, verùm etiam Venegoni, quæ collegit idem Castillionæus; Venegonum enim eo nomine vult appellari, quòd ibi Veneris Agonalia celebrarentur. *Tradate autem* (inquit Castillionæus) *Oppidum est, in quo floret Pusterularum Familia Mediolanensis, hac etiam ætate percelebris. Porrò Oppidum ipsum amœnissimum colli adhæret amœniori, ab Agonalibus meridiem versùs.* Meminit pariter Tradati Morigius in Sanctuario, memorans Reliquias, quæ asseruantur in Sacra Æde Sanctimonialium illius Oppidi. Etiam Gaudentius Merula lib. 3. de Antiquitat. Gallorum Cisalpin. cap. 11. enumerat Tradatum inter vrbiculas, quod tamen mauult appellare *Terdate*, quòd ob feracitatem soli fruges & vina falerna cultoribus *terdare* videatur. *Quid Oppida in vrbium formam deducta commemorem, vt Vergeminum, quod Vigeuanum appellant, Patriam meam? Vt Beatum, Gallarate, Mortarium, Terdate, aliaque multa municipia, quorum frequentia hæc Ciuitas* (Mediolanensis videlicet) *sic vndique munita est, vt nihil videri possit illustrius.* Hæc Merula.

2. Ex Historia Ordinis Humiliatorum M SS. in Bibliotheca Ambrosiana, quæ icunculis ac narrationibus rerum gestarum expressa est Anno MCDXXI., item ex altera Hist. M.SS. in eadem Bibliotheca, auctore Puricello, ad perennitatem eiusdem Ordinis demortui, ex Vita eiusdem S. Ioannis edita typis Comensibus Anno MDCV., ex Missali Ordinis Humiliatorum in eadem Bibliotheca, in quo leguntur nomina plurium Beatorum eiusdem Ordinis, quorum agmen ducit Beatus Guido Mediolanensis Parens Instituti, ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex Breuiario Humiliatorum, ex Fragmentis Hist. Mediolanen. Caroli a Basilica Petri, ex Morigio in Libro, qui inscribitur

Istoria

Istoria dell'origine di tutte le Religioni cap. 29., ex Catalogo Beatorum Comensis Ecclesiæ in calce Officiorum eiusdem Ecclesiæ, ex ijs denique, quæ eruditissimus Tattus Clericus Somaschensis tradidit, non solùm in Decade 2. lib. 5 Sacrorũ Annalium Comi, sed etiam in Martyrologio Comensis Ecclesiæ, tum ad diem octauum Idûs Iunij, tum ad diem sextum Calendas Octobris, demum in Vita eiusdem S. Ioannis, in qua cap 21. plures enumerat auctores de S. Ioanne agentes, cuius cultus, quamquam extinctus sit Ordo, viget nihilominùs apud Sanctimoniales Ordinis Humiliatorum, quæ de illo hodie recitant Officium ritu duplici.

Porrò Diuus Ioannes migrauit ad Superos in Cœnobio Braydensi Mediolani, quod postea, magno cum literarum & cultûs Diuini incremento, S. Carolus Cardin. Archiep addixit Patribus Societatis Iesu. Iacet nunc illius Corpus extra mœnia Nouocomi in Sacra Æde Clericorum Somaschensium, quam antè Humiliati tuebantur. Et quamuis vulgò appelletur S. Ioannes Meda, quòd in Pago Medæ ortus sit (eiusque supra mentionem fecimus, cùm de SS. Haymone & Vermundo ageremus) tamen illum prodijsse ex illustri Oldratorum Familiâ arbitramur.

Quòd autem Tattus conatur vendicare Comensibus Diuum Ioannem, id facillimè tribuam, cùm Nouocomi conditus sit; sin autem sibi eundem repetat Natalium causâ, ego pergam, illum Mediolanensibus asserere, propterea quod Ferrarius & Carolus a Basilica Petri, eundem ortum esse in Pago Medæ affirment, quem in agro ac Diœcesi Mediolanensi contentum esse omnes sciunt. Itaque Diuus Ioannes, sine malâ Tatti & Bulzij gratiâ, Mediolano & Como adiudicabitur, animis adhuc nostris ad Patriæ suæ charitatem consentientibus. Perperam verò Ferrarius, Diuum Ioannem Auctorem facit Cœnobij Sanctimonialium Medæ, quod supra, in mense Februario, docuimus, conditum fuisse a Sanctis fratribus Haymone & Vermundo. De Pago Medæ Gaspar Bugattus scripsit, & de S. Ioanne distichon Brautius.

Quis Ioanne Meda discretior? Ille virorum
Segregat a sexu debiliore loca;

namque S. Ioannes discreuit mares Humiliatos a fœminis eiusdem Ordinis, statuens, ne ampliùs eodem communique contubernio vterentur. Succedit Brautio Bulzius ex clarissimo Ordine Somaschensium.

S. Ioannes a Meda Comensis
puer amictu candido vestitur a Deipara.

Flexus humi genibus, versoque ad sidera vultu,
Meda puer Superis vota, precesque dabat.
Cùm Paradisiaca Virgo resplendet ab arce:
Induit & canis dorsa tenella togis.
Viue: & eris totus felix, o Pupule, candor;
Quæ tibi candorem veste dat, ipsa facit.

Ab Angelo pecuniam accipit.

Multa cucullatam torquet penuria pubem:
Quæritur ac frustra tecta per ampla Ceres.
Anxius annonæ dum migrat ab vrbe Sacerdos,
Prouidus e Superis obuius Ales adest.
Verba vbi iucundus dixit solantia Cæles,
Inijcit in vacuas aurea dona manus.
Aligeri si sæpe darent hæc munera terris,
Obsequiosus homo quàm foret Aligeris!

Ex acceptis ab Angelo nummis æri campanos immiscet.

Plaudite de turri bombis concordibus æra:
Cælestem vobis quis neget esse sonum?

Sub ara Deiparæ tumulatur.

Perge tuo, Præsul, tutus dormire sepulchro:
Non Draco, Diua tibi Virgo agit excubias.

Alia verò carmina pulcherrima eiusdem Bulzij, quibus S. Ioannem in Larario suo commendat, legere libet, quæ nos hic describere non vacat.

3 Ex Vita Cardinalis Federici Borromæi, quam scripsit Riuola lib. 5. cap. 16., ex Tabulis Parochialis Ecclesiæ Castelletti. Oppidum autem Abbiati siue *Beati* celebre est, & commendatur a Gaudentio Merula lib. 3. cap. 11. supra memorato. Appellatur vulgò, ob pinguedinem terræ *Abbiagrasso*: eâque vulgari appellatione vsus est Blondus Flauius in Lombardia,

item-

itemque Ripamontius Dec. 3. Hist. Mediolani lib. 1. docet, ei Oppido *ab optimo feracique agro Beatum Pingue cognomen manere*.

QVINTO CALENDAS OCTOBRIS.



Ediolani Sancti 1. Caij Episcopi, discipuli Beati Barnabæ Apostoli qui Sanctos Geruasium & Protasium baptizauit, & multa in persecutione Neronis passus, in pace quieuit. Ibidem Sanctæ 2. Iustinæ Virginis, cuius Corpus in Ambrosiana Basilica conditum est.

SEPTEMBRIS 27.

1. PArticulam hanc de Baptismo SS. Geruasij & Protasij (de quibus agit etiam Maurolycus sicut & de alijs Sanctis Mediolanen. Eccl. in suo Martyrol.) nouimus sublatam fuisse ex Martyrologio Rom. Anno MDCXXXII., vti Puricellus confitetur in Dissertat. Nazar. cap. 173.: *ob controuersiam de tempore, quo Sancti duo illi Martyres occubuere*; verùm cùm nonnulli sequantur ei idem Puricelli opinionem, censentis, eos verè martyrium obijsse, Nerone imperante, quemadmodum supra die 19. Iunij docuimus in Notis; inde potis est, vt fuerint baptizati a S. Caio, & quidem in Fonte, quo Diuus Barnabas eiusdem Caij & omnium Mediolanensium magister, ciues primùm nostros abluerat. Hunc Fontem *benedictum fuisse Solemniter a S. Caio* intelleximus ex Legendario M. SS. Sacrarij Francifcani in Vita eiusdem Caij; de quo Fonte omnes Scriptores nostrates, quos supra retulimus, & præsertim Mombritius in Vita S. Eustorgij I.; *Fons* (namque S. Barnabæ) *celeber & Sanctissimus, in quo baptizabantur Sancti ad Fidem venientes. Cuius aqua salubris pro meritis in ea baptizatorum & magna Fide credentium, tantam fertur olim diuinitus acce-*

pisse virtutem: vt nonnulli febricitantes, cùm ex ea biberent, a suis citò liberarentur febribus, & pristinam reciperent sanitatem. Hæc Mombritius.

In eodem itidem Legendario dicitur Diuus Caius migrasse e vita *Pridie Calendarum Ianuarij*; quod nos, ne in vetustissimis quidem Calendarijs Mediolanensis Ecclesiæ inuenimus, immo eius memoriam hâc die semper cultam fuisse, licèt in Missali Ambrosiano, qui typis editus est Anno MCDLXXXII. dies illius indicetur sexto Calendas Octobris.

Porrò Diuum Caium martyrio decoratum fuisse Mediolani, auctor est Alciatus lib. 2. Histor. Mediol.: atque ea tradit, quæ Mediolanensis Ecclesiæ Ritibus aduersantur. *Perijsse* (inquit) *Pridie Calendas Ianuarij Ambrosius auctor est: quotannisque eo die Insubres eius memoriam celebrant*; cùm hâc die cultus Diuo Caio exhibeatur vt Confessori, non solùm in Breuiario & Missali Ambros., verùm etiam in Martyrol. Romano.

Duo adhuc supersunt inuestiganda de S. Caio, videlicet, vtrùm fuerit natione Romanus, an Hispanus: & an Centurio ille sit, qui, teste Diuo Marco in Euangelio cap. 15., *ex aduerso stabat, videns, quia sic clamans Iesus expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat*.

Eum fuisse Ciuem Romanum, qui cum Anatalone Græco secutus est Diuum Barnabam, affirmat Breuiarium Ambros, Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad hanc diem, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Vghellus tomo 4., Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Caij, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Galesinius in Præfatione ad volumen Homiliarum Leinatij, Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Besutius in Hist. Pontific., denique Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, qui tamen in Alciati errorem labitur. *Eius Ossa* (inquit Ripamontius) *& Reliquias* Franciscana Ædes habet, *certa Sanctitatis, ambiguæ martyrij. Ego Martyrem Caium affirmare non dubitauerim, vel quia tempora fuerant eiusmodi, vt euadere non potuerit, vel quia vnà cum Clateo Brixiæ Pontifice multa sæua pertulisse ipsum grauissimæ literæ testantur.* Sed enim euasit Anathalo, ac reliqui Mediolanensium Antistites, præsertim Maternus, qui, persequentibus Ecclesiam Diocletiano & Maximiano, multa pas-

sus est? Si igitur in longo Mediolanensium Archiepiscoporum agmine vsque ad Ambrosium vnus Calimerius martyrij Lauream obtinuit, ac reliqui euaserunt, cur non etiam euadere potuit Caius? Qui licèt sæua multa pertulerit, quemadmodum plures alij Confessores, non ideo ab Ecclesia in Album Martyrum est relatus.

Pucinellus in Zodiaco appellat *Caium Oppium* (*Caium Sergium* vocant Acta Mediolanen. Ecclesiæ) eumque vult, esse natione Hispanum. Pucinellum itaque puto, descendisse in sententiam Lucij Flauij Dexteri, qui mira narrat de Philippo Oldano Mediolanensi, & de S. Geruasio Ciue item Mediolanensi (atque ea Tamayus in Martyrologium Hispanum intulit), illa verò scripsit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 172.; verùm Dexter, Diuum Caium Ciuem Romanum esse dicit, sed in Hispania floruisse.

Cæterùm quis fuerit ille Centurio, quærit Cornelius a Lapide; & quidem cum Baronio, Metaphraste, & Surio autumat, fuisse Longinum, martyrio postea decoratum, vt etiam scribit S. Ioannes Chrysostomus. Recitat deinde Cornelius a Lapide sententiam Flauij Dexteri in Chronico ad Annum Christi XXXIV.. *Floret per id tempus in Hispania* (ait Dexter) *Caius Oppius Centurio Filius Cornelij pariter Centurionis, qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse Filium Dei, inter fragores saxorum mutuò sese collidentium, obducto tenebris die, ex Gentilibusque a Christi morte primus hic Christianus, Centurio credidit, qui fuit Ciuis Romanus, baptizatusque a Barnaba, factus est tertius Mediolanensis Episcopus, vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem, & Eclypsim admirabilem, primus omnium Hispanis, genti suæ, cum audientium stupore refert.* Hæc Cornelius a Lapide in 27 caput S. Matthæi versu 53. & 54.; cùm tamen Dexter vocet Caium Ciuem Romanum, deinde tradat, Genti suæ, idest Hispanis Christi mortem annuntiauisse, videtur nostræ sententiæ suffragari. *Sed enim penes Dexterum* (ait Cornelius a Lapide) *sit horum fides, quæ, qualis, & quanta sit, dixi Proemio in Acta Apostolorum*; quæ, aut ibi legere poteris, aut in Dissertat. Nazar. Puricelli cap. 172., vbi de Flauio Dextero agit.

Vtinam verò Dexter & Tamayus sententiam mihi suam confir-

marent, & Centurio ille ad nos venisset: summopere enim gloriari eo Antistite posset Mediolanensis Ecclesia; cùm tamen eius rei monumenta nonnisi apud memoratos auctores sit reperire, quam refutat quoque Donatus Caluus vir eruditissimus in Proprinomio Euangelico Resolut. 79.

Scripsit quoque Vitam S. Caij Bonauentura Castillionæus, quæ vnà cum Vitis vndecim priorum Archiepiscoporum Mediolani manu exarata seruatur in celeberrima Bibliotheca Ambros. Mediolani: eiusque meminit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 17.. S. item Caium laudant Catalogi M.SS. simul cum Pizolpasso, cuius pariter Monumenta M.SS. seruantur in eadem Bibliotheca. Brautius in Martyrol. Poetico Caium nostrum cum S. Caio Pontifice Maximo comparat:

Pontificem Caium gens Dalmata totius Orbis,
Vrbs Mediolani tollit honore suum.

namque Caius Dalmata præfuit vrbi Romæ, Caius Romanus Mediolano,

Verùm Romanæ gentis vterque decus.

Etiam Galesinius in suo Martyrologio meminit S. Caij, quemadmodum Tamayus in Martyrologio Hispano, affirmans, eum fuisse natione Hispanum, Centurionem &c. *Sanctus Caius* (inquit) *Oppius Hispanus, primùm Centurio, pòst Mediolanensis Præsul &c.* Sunt, qui *Gaium* vocare malint, quàm *Caium*; ego nolo deserere vsum, qui plura docet, Auctore quidem Quintiliano lib. 1. cap. 13. *profertur per G. & notatur per C.*: ita vt scribatur *Caius*, & proferatur *Gaius*. Vide de hac re Cælium lib. 24. cap. 5. Simile quiddam est de S. Clicerio Antistite Mediolanensi; quem nos *Clicerium*, S. Ennodius *Glycerium* appellat.

2. Ex Aduersarijs M.SS. Puricelli in Bibliotheca Ambrosiana, in quibus fit mentio codicis ex membrana confecti & manu exarati Anno MCDX., vbi inter Corpora, quæ iacent in Basilica Ambrosiana, enumeratur Corpus S. Iustinæ Virginis. Item ex Calẽdario Missalis Ambrosiani editi Anno MCDLXXXII., licèt in eo dies festus assignetur diei vigesimo sexto Septembris, demum ex Morigio lib. 2. Hist. Mediol. cap. 19.. Huic Virgini olim dicatum fuerat altare ad læuam aræ maioris, quà nunc Templi fores patent, ac respiciunt Cœnobium Ambrosianum

sianum. Ara diruta est, reliquis tantummodo carminibus, in lateribus valuarum, vtrinque incisis. Duo autem Tetrasticha vadentibus in Basilicam obijcit cælatum marmor, alterum a dextera, alterum a læua; literæ verò ita fugiunt oculos, vt difficillimè legantur: quippe maiores literæ alias minores includunt, seseque mutuò obruunt. Scribemus carmina fideliter, vti sunt incisa.

Tetrastichon a dextera.

Non oculis centum, claro sed prospicit vno,
Qui mecum est Argus, qui Deus atque bifrons.
Vesta vocor, Iustina fui: sed sum tamen illa;
*Tota bonis pateo, * sedere perdo malos.*

Porrò asteriscus a me impositus fortasse *sydere* pro *sedere* mallet reponere, quoniam syderatione perdat malos, vt Martialis cecinit in Zoilum:

Sydere percussa est subitò tibi, Zoile, lingua.

Tetrastichon a læua.

Iustitia clausit, virtus patefecit Olimpi,
Castus amor portas: hic Deus, illa Dea est.
Numen vtrumque meum est, claudo delubra prophanis:
Iusta grauis pateo, delitiosa bonis.

In limine autem supero Portæ alia epigraphe, cubitalibus prope literis incisa, est eiusmodi.

Virtute iure verbo more pateo.

Hæc carmina & epigrapham censeo esse Portæ alloquentis eos, qui Templum ingrediuntur. Illorum meo Marte interpretationem excogitaui: verùm eandem operæ pretium est discere ab eruditissimo quoque viro: quemadmodum Puricellus explanauit eos versûs, qui incisi sunt in fronte Basilicæ Georgianæ Mediolani; vti ille explicauit in Dissertat. Nazar. cap. 47. Hæc de Porta S. Iustinæ.

Cùm autem primo die Rogationum Triduanarum fit Statio in Basilica Ambrosiana, in Litanijs imploramus opem S. Iustinæ, cuius etiam meminit Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ. Quòd si quæris, quænam sit hæc Iustina, fateor, me prorsus eius Acta ignorare, quæ fortasse, direptâ, dirutâque sepenumerò vrbe, interierunt. Ioannes Franciscus a Basilica Petri in libro Ita-

lico

lico supra citato affirmat, Corpus S. Iustinæ iacere in Ara S. Benedicti: eique assentitur Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 127. num. 4., & Calendarium acephalum M. SS., vbi tamen Festus dies S. Iustinæ indicitur septimo Calendas Octobris. Quamobrem in Basilica Ambrosiana ignotus est tumulus S. Benedicti Archiepiscopi, necnon SS. Robustiani & Iustinæ.

TERTIO CALENDAS OCTOBRIS.



Isauri Natalis Beatæ Felicis Medæ, Ciuis Mediolanensis, quæ Monasterium Clarissarum ibidem condidit, & adhuc incorrupto corpore veneranda a Fidelibus colitur.

SEPTEMBRIS 29.

NAta est Mediolani, claro loco, Beata Felix, vt fatetur Vuadingus, & Haroldus in sect. 2. ad Annum MCDXXXIX. num. 12., ac Marcus Vlysiponensis lib. 2. Chronicor. cap. 21., atque diu commorata est in Cœnobio celebri S. Vrsulæ Mediolani, ex quo a S. Bernardino Pisaurum euocata, in ea vrbe ædificauit Monasterium Corporis Christi secundùm Regulam S. Claræ. De eadem agunt Auctores citati ab Arturo in Notis Martyrologij Franciscani: & de eadem admiranda scripsit Haroldus ad Annum MCD XXXXIV. num. 13. & 14. *Obijt hoc anno* (ait) *ætatis suæ sexagesimo sexto, in Festo Dedicationis S. Michaelis, Beata Soror Felix a Meda Clarissa, cuius Vitæ priores actus alibi descripsimus, virtutibus & miraculis ante & post mortem clarissima &c.* Floruit quoque spiritu Prophetiæ, arcana cordium intelligens, *& futuras successiuè Abbatissas sub mortem nominauit singillatim,* ac præcipuè Eugeniam Mediolanensem, quæ in Antistitam electa fuit, cùm suffragijs Monialium ferendis præesset S. Ioannes a Capistrano: eaque Eugenia *die præcedenti dum omnes triclinium ingrediuntur, solaribus radijs ex ipsius vultu prodeuntibus, ab omnibus fulgere visa est.*

Beatæ

Beatæ autem Felicis exequias Regularis & Secularis vniuersus Pisauriensis Clerus celebrauit &c. Corpus eius in loculo ligneo humatum, corrupta cista post triennium, integrum illæsumque repertum est, & adhuc ita manet, vt aliquando pro populi deuotione in pedes erectum perstiterit, innixum parieti obiecto cratibus, per quas poterat a populo videri &c. Horum testes sunt Vuadingus & Haroldus. In Martyrologio Franciscano eiusmodi elogio laudatur hæc Virgo. *Pisauri in Piceno Beatæ Felicis a Meda, Virginis Abbatissæ, spiritu prophetico, ac miraculorum gloria insignis.* De Incorruptione Corporis S. Felicis meminit quoque Bagatta in tomo 2. admirandorum.

PRIDIE CALENDAS OCTOBRIS.



Omæ Sanctæ Sophiæ, Ciuis Mediolanensis, Matris Sanctarum Virginum Fidei, Spei, & Charitatis.

SEPTEMBRIS 30.

Diuam Sophiam esse Ciuem Mediolanensem, cui etiam Mediolani Sacra vna Ædes dicata est, testantur omnes Auctores, quos supra Calendis Sextilibus nominauimus, cùm de illius Sanctis filiabus ageremus, de qua meminit Morigius in Sanctuario & in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 7., & Merula in Sanctuario Cremonensi. Idem etiam traditur a Ioanne Presbytero Mediolanensi in eius Vita, quam legimus in Legendario M.SS. Sacrarij Franciscani. Et quamuis præclarissima hæc Matrona, Romæ interrogata de Patria, respondit, *se de solo Italo esse*: attamen Ferrarius in Notis ad Catalogum Italiæ hâc die illam Mediolanensem fuisse ostendit. Citant autem aliqui Breuiarium Mediolanense, cùm tamen Ecclesia Ambrosiana nullo Ecclesiastico Officio colat S. Sophiam: nec nisi in Breuiario Ambrosiano impresso Anno MCDLXXXVII. memoratur die quintâ Octobris. Est verò hic titulus mendosus eius Officij: *In Sancta Sophia, Fide, Spe, & Charitate filiabus natione Mediolanenses.* Huic Sanctæ Matronæ S. Carolus

Borromæus Societatem Virginum dicauit, vt testatur in eiusdem Vita Glussianus lib. 5. cap. 3., quam ille instituit Mediolani. Gemino Epigrammate Bulzius eandem exornauit.

S. Sophia Mater
SS. Virginum Fidei, Spei, & Charitatis.

Inter adoratas Sophiam, pia sydera, matres
Tollite; fœmineos stat super vna choros.
Quæ nurus impleta tumuit felicius aluo?
Pignora quæ Mundo nobiliora dedit?
Virginis in gremio fit homo Deus; ipsa Fides, Spes,
Et soror in gremio, Diua Sophia, tuo.

Peregrinatur duce S. Raphaele.

Promptus credo, decem seruorum millia quondam
Magna sub imperio, Diua, fuisse tuo;
Nam video Angelicos superis descendere regnis,
Et tecum famulos ire, redire choros.

Brautius alludit nominibus Filiarum, quibus Theologicarum Virtutum nomen impositum est.

Virtutum signis conuertit millia multa,
Virtutum genitrix alma Sophia trium.

Porrò Baronius in Annalibus tomo 2. ad Annum CXXII. vult, Sophiam cum filiabus martyrium obijsse: eique consentit S. Carolus in Actis Mediolanensis Ecclesiæ, in literis Pastoralibus de Translatione S. Simpliciani pag. 1098. col 1.; sed enim Martyrol. Rom., & alij auctores testantur, illam ad sepulchrum filiarum orantem decessisse, quos inter Ferrarius supra citatus, & Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Eccl. Mediolanensis. Eandem Sophiam vnà cum filiabus sepultam fuisse Romæ, fama est: ita vt pars Corporum in Basilica S. Petri, pars in Ecclesia S. Syluestri in Campo Martio asseruetur. Faynus verò, in Martyrol. Brixiano, die decimo sexto Cal. Ianuarij, docet, easdem simul cum Matre Sophia iacere Brixiæ in Ecclesia Monialium S. Iuliæ: affertque Epitaphium, quo constat, Corpora *SS. Virgg. & Martt. Pistis, Helpis & Agapes, ac Sophiæ earum Matris cum alijs SS. Corporibus translata fuisse Anno MDC. sexto Cal. Ianuarij.*

OCTO-



OCTOBER.

CALENDIS OCTOBRIS.


Mediolani Sancti Thomæ eiusdem vrbis Episcopi & Confessoris, qui Ritûs Ambrosianos, adiuuante Sancto Eugenio Episcopo, constantissimè defendit.

OCTOBRIS 1.


Ex consuetudine Basilicæ Laurentianæ Mediolani, cuius Clerus anniuersario Officio colit S. Thomam, ex Iosepho Vicecomite in Obseruationibus Ecclesiasticis de Ritibus Missæ, ex eiusdem Vita, quam scripsit Ioannes Antonius Castillionæus, Vghello tomo 4 Italiæ Sacrę ex libro de Successoribus S. Barnabæ, ex Actis Mediolanensis Ecclesiæ, ex Puricello in Vita S. Laurentij Littæ, Besutio in Hist. Pontific., Indice Reliquiarum M.SS. in Bibliotheca Ambros., ex Calendario acephalo M.SS., demum ex Missali Ambros., qui impressus est Anno MDLX.; licèt in eo dies Festus S. Thomæ indicatur quarto Calendas Octobris. De Basilica Laurentiana, atque de eius Reliquijs agit Morigius in Sanctuario, necnon in libro, cui titulus *Il Duomo di Milano* cap. 23. Ioannes Franciscus a Basilica Petri, & Villa de Septem Basilicis. Quòd verò, adiuuante S. Eugenio, propugnauerit Diuus Thomas Ritûs Ambrosianos, scribemus infra die 30. Decembris, vbi de S. Eugenio agemus. Quam-

quam autem Castillionæus affirmet, Diuum Thomam coli anniuersario Officio a Capitulo Laurentiano die vigesimâ octauâ Septembris: attamen id negat Puricellus in vita S. Laurentij Littæ cap. 33. num. 22.

SEXTO NONAS OCTOBRIS.


Ediolani in Basilica Portiana Sanctæ Diateriæ Virginis, quæ lampadem perenni sanctorum operum oleo accensam ferens, venienti Sponso obuiàm iuit.

OCTOBRIS 2.

EX Tabulario huiusce Basilicæ, ex Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, Ioanne Francisco a Basilica Petri, Sanctuario Morigij, denique ex Villa. Corpus autem S. Diateriæ vnà cum alijs pluribus Sanctorum Corporibus in ea Basilica quiescentibus transtulit S Carolus Borromæus Cardin. Archiepiscopus, vt supra innuimus.

TERTIO NONAS OCTOBRIS.


Omæ Sancti Herculani Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani honestissimè tumulatum est.

OCTOBRIS 3.

SAnctorum Cosmæ & Damiani Ecclesia, in qua Corpus S. Herculani custoditur, est in Regione Orientali vrbis; nam alia eisdem Sanctis Martyribus dicata, est in Regione, quã appellant Nouam, de qua infra. Corpus igitur S. Herculani asserua-

asseruatur sub ara Deiparæ Virginis simul cum Corpore S. Iusti Martyris (de quo egimus superiùs Pridie Calendas Martij) De hac verò Ecclesia & Cœnobio scripsit abundè P. Ioannes Bartholomæus a S. Claudia in Historia Cōgregationis Italiæ Augustinensium Excalceatorum, quæ prodibit in lucem.

NONIS OCTOBRIS.



Omæ Sancti 1. Marcelli Leuitæ & Martyris, cuius Corpus Triuillij summâ religione custoditur. Pisauri Beati 2. Anastasij Confessoris, Ciuis Mediolanensis, qui orationis, silentij, & pœnitentiæ operibus insignis, mortem obijt in conspectu Domini pretiosam.

OCTOBRIS 7.

1. EX Tabulario Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini, quæ est primaria illius Oppidi, in qua hodie recitatur Officium ritu duplici de S Marcello.

2. Ex Martyrologio Franciscano, atque ex Auctoribus, quos in eiusdem Notis affert Arturus; Haroldus autem in sect. 2. ad Annum MCDLXXII. virtutes & miracula Beati Anastasij Mediolanensis, Laici ex Ordine Minorum, narrans hæc tradit. *Anastasius aliquot miracula viuus patrauit, ex quibus pulchrum est, quo Dæmonem, crebro tentantem, aliquando fugauit. Mulieris specie ad fores Conuentus ignem ab Anastasio petijt, vt aspectu & colloquio noxiorem ignem inijceret. Vir Dei desuper edoctus, quid esset, ad culinam ocyùs currit: & acceptos vtraque vola carbones, absque vlla manuum læsione, portans: accipe (inquit) quem petis ignem, proditor, & ad Inferni ignem quantocyùs descende. Ac statim disparente ad hæc verba Diabolo, Anastasius carbones suos eadem securitate ad culinam retulit, & in caminum quietè reposuit.*

Illud

Illud etiam narrat Marcus Vlysiponensis de B. Anastasio Parte 3. Chronicorum lib 5. cap 36. *In questo tempo passò al Signore Fra Anastasio da Milano, Frate laico nel Conuento di Pesaro, Prouincia della Marca. Il dì della sua morte apparue vna stella risplendente, circondata da tanti raggi, che pareua vn Sole: e si fermò sopra quel Monastero, sinche fù leuata dagli Angeli l'anima di Fra Anastasio, e portata alla gloria &c.* Ibidem verò prosequitur idem Auctor summis laudibus Anastasij virtutes.

OCTAVO IDVS OCTOBRIS.



Pud Antiochiam Sanctæ Pelagiæ Virginis, & Martyris, quam Sanctus Ambrosius magnis laudibus effert. Eius cineres Mediolanum delati, sub ara Confessionis, in Basilica Metropolitana, a S. Carolo Cardinali Archiepiscopo reconditi sunt.

OCTOBRIS 8.

HOdie Mediolanensis Ecclesia anniuersario Officio colit S. Pelagiam, non quidem ob Natalem S. Pelagiæ Pænitentis, sed quia hodie fortasse est dies Translationis; namque dies Natalis S. Pelagiæ Virginis in Martyrol. Rom. commemoratur quinto Idûs Iunias; nisi fortè, quia in Menologio Græci hodie de alia Pelagia Antiochena agunt, placuit Mediolanensi Ecclesiæ Græcis Ritibus obsequi. Duplicem autem video Pelagiam Antiochenam, sicuti etiam significat Baronius in Notis Martyrol. Rom. ad diem quintum Idûs Iunij; quænam autem earum Pelagiarum hâc die colatur a Mediolanensi Ecclesia, nondum liquet, cùm *in Martyrol. Rom. de vna eademque Pelagia SS. Ambrosius & Ioannes Chrysostomus æquè citentur.* Hic verò mihi placet sententia Baronij, nempe: *quid ad hæc dicamus, non habemus*; neque ex Lectione Matutini, quam

quam hodie ex Tractatu Diui Ambrosij in Psalmum centesimũ quartum legimus, quidquam certi eruere possumus. Cæterùm conditos esse in Metropolitana Mediolani cineres S. Pelagiæ Virginis & Martyris Antiochenæ, qualiscunque ea sit, affirmant Lectionarium Ambrosianoromanum, Morigius in Sanctuario, Villa, & Calendaria Ambrosiana. Compositos autem inibi fuisse a S. Carolo testantur Carolus a Basilica Petri in eiusdem Vita lib. 5. cap. 2., & Glussianus pariter in eiusdem Vita lib. 5 cap. 2.. Quantum verò hallucinatur Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 2., hæc scribens! *Pelagia Caput* (quo tamen caremus) *est in Templo maximo, Virginis inclytæ, quæ veluti facta Mediolanensis ex Antiochena, celebratur Ambrosij literis &c.* Cùm autem vult indicare, quænam Pelagia Antiochena illa sit, quæ laudata est a S. Ambrosio, nobis vtique illam tribuit, quam commendauit S. Chrysostomus; ait enim: *id* (nempe iacturam pudicitiæ) *vti vitaret, dedit se præcipitem ex alto loco: & impudicum illum animum pudore simul & admiratione confudit.* Atqui hæc Pelagia, *quæ se dedit præcipitem e sublimi tecto*, illa eadem est, quam S. Chrysostomus laudauit; nam alia, quæ potiùs nostra est, & commendatur ab Ambrosio, *vnà cum Matre & Sorore fluuio est mersa.* Bulzius in Parte 1. Lararij Poetici die nonâ Iunij vtramque Pelagiam confundit: Brautius in Martyrol. Poetico aliam laudat:

A Sponso rapienda, timens vim Sponsa pudoris,
Ad Sponsum sese præcipitando migrat;

A Sponso nimirum impudico ad Cælestem Sponsum confugiens. At nostra Pelagia, vt ex Lectione Matutinarum precum, non Sponso, sed *vallata persecutoribus, immo septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula integritatis & vitæ nequaquam inclinata est.* Verùm rursus cum doctissimo Cardinali Baronio, *quid ad hæc dicamus, non habemus.*



QVAR-

QVARTO IDVS OCTOBRIS.


Ediolani Sancti 1. Monæ Episcopi, qui, cùm de Episcopo eligendo ageretur, cælesti lumine circumfusus, eo signo mirabiliter in Episcopum est assumptus. Romæ Sancti 2. Cornelij Martyris, cuius Corpus Vicomercatum in Diœcesim Mediolanensem aduectum, in Ecclesia Sancti Laurentij cultu honorifico requiescit.

OCTOBRIS 12.

1. HIc non est dies Natalis S. Monæ, sed dies primæ Translationis (nam secundæ antea meminimus) vt bene animaduertit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ; decessit enim ille septimo Cal. Aprilis, vti legimus in Breu. Ambrosiano. De S. Mona agit Missale Ambros. cum Missa propria, eo fortasse nomine, quòd Ecclesia Mediolanensis, ob diuturnum gesti Pontificatus spatium, sit illi maximè obærata; etenim *diutiùs, quàm quisquam alius, quinquaginta scilicet nouem annos*, Metropolim Ambrosianam gubernauit. Cùm autem dies septimus Calendas Apriles semper incidat, aut in Quadragesimam, aut in Octauam Paschatis, idcirco Mediolanensis Ecclesia hodie celebrat Festum S. Monæ. Commendant quoq; Diuum Monam Martyrol. Romanum, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Catalogi M. SS., Bonauentura Castillionæus in Vita eiusdem M.SS., Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in eius Vita, qui *eundem Conuentu in Basilica Portiana celebrato, Diuini luminis indicio*, electum scribit, Alciatus lib 3. Hist. Mediol., qui docet Diuum Monam abijsse ad Superos octauo Cal. Aprilis, immo ipsis Calendis Aprilibus ex Datij sententia, Besutius in Hist. Pontific., Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Liber Successorum S. Barnabæ, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Eccles. lib. 2.;

Vghel-

Vghellus tomo 4. Pucinellus in Zodiaco, deniquè Scriptores omnes nostrates. Vidimus pariter Vitam S Monæ in Legendario M.SS. Sacrarij Franciscani; *electum ibi fuisse in Antistitem in Basilica Portiana* legimus, *cùm tunc Diaconatus Officio fungeretur: item obÿsse octauo Cal. Aprilis, & locum sepulturæ eius manere incognitum*; quod tamen falsum est, quando, non solùm Eriberto Archiepiscopo, sed etiam Diuo Carolo innotuit. In Martyrol. Poetico Brautius Distichon scripsit.

Luce Monas fertur lapsa signatus ab alto
Inuitus collum supposuisse iugo.

Bulzius sua carmina adiungit.

S. Monas Episcopus Mediolanensis
prodromo splendore iubetur Pontifex.

Instabilis dubio nutat sententia voto,
Tractet honorificum quæ pia dextra Pedum.
Protinus irradians alto cadit Æthere flamma:
Et rutilo Monam lumine flamma tegit.
Sic, flammæ allapsu, Cælo præeunte, tiaram
Monæ signatis vrbs dat anhela comis.
Illa peregregiè; quoties sed concita, princeps
Dum præit, immeritum turba sequax redimit!

Aliud

Fusas ore preces exaudijt Æthra: rogasti
Anceps gens lumen, lumen & Æthra dedit.

2. Ex Tabulario Sanctimonialium S.Laurentij, in quarum Ecclesia quotannis, secundo die Dominico huiusce mensis, fit Festum de S. Cornelio cum Officio Ritûs duplicis: eique sacellum excitatum est, vbi collocata sunt Ossa Martyris. Hic verò dies duodecimus est Translationis, qui anno MDCLXIV. incidit in diem Dominicum; Corpus effossum fuit ex Cœmeterio Priscillæ, & recognitum in Curia Archiepiscop. Mediol. die 5. Iunij Anno antea memorato.

Porrò Vicomercatum est Oppidum celeberrimum, & Metrocomia Martisanorum, hoc est populorum, qui olim in eo tractu colebant Martem. Ea propter Vicomercatum appellabatur *Vicus Martis*, vti affirmat Gaudentius Merula in opere sæpè citato lib. 1. cap. 5., & lib. 2. cap. 16., atque in Querela Apolo-

getica. Quamquam sunt, qui arbitrantur, potiùs Forum aliquod olim fuisse, in quo fierent nundinæ: ideoque esset *Vicus Mercatus*, quò Briantæi omnes, atque Lambranæ Gentes, mercium causâ, confluerent. Attamen vetustam Notationem nominis haud negligimus; præcipuè cùm illa Regio adhuc retineat antiquissimum nomen *Martisanæ*, quo alteram item fossam nauigabilem *Martisanæ* vocamus. Appellant *Vicum Mercatus*, & quidem populo quondam frequentissimum, Blondus Flauius in Lombardia, & Paulus Merula Parte 2. Cosmographiæ lib. 4.. Commendat Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ Ecclesiam S. Stephani primariam & Collegiatam Vicomercati: immo ibidem Collegiatas omnes, tam vrbis, quàm Diœcesis Mediolanensis laudat & enumerat.

Quinto Idûs Octobris migrauit ex hac vita Alexander Saulius Episcopus Ticinensis, oriundus Genuâ, ortus tamen Mediolani in Ædibus, quas nunc vocant *Sanctæ Coronæ*, cælesti veluti numine afflante: vt domus illa, quæ iussu Parentum Alexandri quotidie patebat egenis, in egenorum pariter asylum verteretur. Quæstiones super illius Vitâ sunt habitæ: ijque Processus iudicium Sedis Apostolicæ præstolantur; quæ si illum Beatorum numero ascribet, nostro pariter Martyrologio accedet. Interea illius laudes & Virtutes egregias lege in Vita S. Caroli, cui aliquando fuit a Confessionibus, quam scripsit Glussianus, in Synopsi de Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, quæ prodijt Auctore Anacleto Sicco (Saulius enim illi Congregationi præfuit vniuersæ) item in eius Vita, quam edidit typis Valerianus Madius Anno MDCLXXXIII., in tomo 1. Italiæ Sacræ Vghelli inter Episcopos Papienses, denique in literis autographis S. Caroli, quæ custodiuntur in Bibliotheca Ambrosiana: cui cùm præsiderem, earum exemplum a Notarijs subsignatum misi Romam, illud Clericis Regularibus S. Pauli exposcentibus. In ijs verò literis elucet maximè humilitas Saulij recusantis Episcopatum Aleriæ in Insula Corsicæ, quem illi vltro offerebat benemerenti Beatus Pius V. Pontifex Maximus. Quamquam deinde, suadente S. Carolo, Aleriensis Ecclesiæ onus subiuit: atque ab eodem in Basilica Metropolitana Mediolani Episcopus est consecratus.

Certè

Certè Clerus Populusque Ticinensis, Pastoris sui apotheosim votis omnibus exoptat.

IDIBVS OCTOBRIS.



Ediolani Beati Michaelis Carcani Confessoris, Ciuis Mediolanensis, Verbi Dei prædicatione, & vitæ integritate conspicui.

OCTOBRIS 15.

EX Martyrologio Franciscano, Marco Vlysiponensi Parte 3. lib.8. cap. 35., ex Vuadingo tomo 5., 6., & 7., ex Haroldo sect. 2. ad Annum MCDLXXXV., ex ijs denique auctoribus, quos in Notis Martyrologij Franciscani Arturus, & in animaduersionibus Comensis Martyrologij congessit Tattus, plùs tamen nimiò Patriæ suæ fauens, & tantùm non Mediolano Ciuem Sanctissimum eripiens. Vt vt autem res se habeat, Tattus vtique Comensem, ego Mediolanensem Ciuem fuisse Beatum Michaelem Carcanum censeo, quæ Gens præstantissima Carcanorum in vtraque vrbe floruit. Quòd si Tattus, secutus sententiam Morigij, pergat asserere Como Beatum Michaelem, eo nomine, *quòd ortus sit Lomatij, qui Pagus est Diœcesis & agri Comensis*: meminerit in eodem Pago tres Parœcias institutas olim fuisse, & adhuc superesse, quarum vna pertinet quidem ad Ecclesiam Comensem, verùm duæ ad Mediolanensem; vnde pars maior incolarum paret Ambrosiano Metropolitæ. Immò sit etiam Comensis Beatus Michael natalium causâ, tumuli saltem nostras erit; namque fuit conditus in Ecclesia S. Angeli Mediolani, quemadmodum Tattus ibidem confitetur. Vt meritò in ea vrbe eiusdem cineres veneraremur, in qua simul cum Beato Bernardino Feltrensi animarum saluti consuluerat; licèt Vuadingus, illum decessisse Comi affirmet. Verùm Comi abire ad Superos potuit, deferri deinde Mediolanum, vt in tumulum inferretur: sicuti S. Ioanni

Medæ (de quo supra) accidit, qui mortuus Mediolani cùm esset, postea sepultus est Comi.

Pietate & scientia (inquit Haroldus) *celebris adeo euasit Beatus Michael, eaque gratia & efficacia dicendi per præcipuas Italiæ Ciuitates: vt concurrenti populo ad ipsum audiendum non sufficerent amplissima templa, sed in areis & campis sæpissime sermocinari oportuerit*; Quod pariter legimus in Martyrologio Comensi: vbi etiam laudatur, quòd *Xenodochiorum Mediolani & Nouocomi extruendorum vnà cum Beato Bernardino Feltrensi auctor fuit*. In Martyrologio autem Franciscano dicitur Beatus Michael *signis quoque admirandis illuxisse*.

DECIMO TERTIO CALENDAS NOVEMBRIS.



MEdiolani Dedicatio Basilicæ Metropolitanæ, quam Sanctus 1. Carolus Cardinalis Archiepiscopus, Arâ Maximâ eiusdem Templi multò antè a 2. Martino Quinto Summo Pontifice consecratâ, hâc die ritè consecrauit. Huius autem Consecrationis Solemnitatem tertio quoque die Dominico Octobris fieri mandauit; cuius item Mensis tertio pariter die Dominico celebritatem anniuersariam Dedicationis Ecclesiæ Sanctus 3. Eusebius Archiepiscopus instituit: cùm Ecclesias Mediolani, Barbarorum impietate pollutas, idem Beatus Antistes consecrauit. Nouocomi Sancti 4. Ioannis, eius nominis Tertij, Ciuis Mediolanensis, qui Nouocomensem Ecclesiam magna cum Sanctitatis laude gubernauit.

OCTOBRIS 20.

1\. CONsultò prætermisi silentio Consecrationes singularum Ecclesiarum Vrbis & Diœcesis (quæ tamen in aliarum Vrbium Martyrologijs sunt frequentes) cùm enim fere omnes sint consecratæ, earum vtique Consecrationum commemoratione Martyrologium redundasset. Multæ quidem Ecclesiæ, tam Vrbanæ, quàm Diœcesanæ, fortasse ignorantes diem certum suæ Consecrationis, hodie illius Officium celebrant: & nonnullarum minorum Ecclesiarum Consecrationes monstrantur in Calendario Missalis Ambrosiani, quod impressum fuit Mediolani Anno MCDLXXXII. per Christophorum Ratisponensem. Nazariana quidem Basilica Mediolani celebrat suam Consecrationem feriâ secundâ post Dominicam in Albis: Basilica Protomartyris octauo Idûs Septembris: Georgiana decimo octauo Calendas Februarij: Ecclesia Sancti Sepulchri Idibus Iulij, de cuius Dedicatione egi lib. 1. de origine & Statu Bibliothecæ Ambrosianæ. In Diœcesi celebris est Calendis Octobris Dedicatio Insignis Basilicæ S. Ioannis Baptistæ Modoetiæ, quam Theodelinda Regina Longobardorum regio sumptu extruxit in honorem Sanctissimi Præcursoris Anno DLXXXXV., (quemadmodum testatur Baronius tomo 8. Annalium, ac vir eruditissimus Alexius Ledesmus in Vita eiusdem Theodelindæ) & S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus vnà cum Ara Maxima consecrauit tertio Idûs Aprilis Anno MDLXXX., de qua vide Vghellum tomo 4. Italiæ Sacræ. Calendis Nouembribus nobilis item est in Diœcesi Dedicatio Templi Virginis Montanæ prope Varisium, quod a S. Ambrosio consecratum fuisse narrat Cæsar Tettamantius in Historia illius Sacri Montis, Ioannes Rò in libro, cui titulum fecit *Sabati del Giesu di Roma* exemplo 38., Morigius lib. 3. Hist. Mediol., & Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 54. num. 21.

Porrò Basilicam primariam Mediolani consecratam fuisse a S. Carolo testatur Epigrapha impendens foribus Templi maximi in hanc sententiam.

Aram

Aram maximam
Martinus PP. V.
Templum
Diuus Carolus
Consecrarunt.

idemque narrat alia Epigraphe a tergo Odæi eiusdem Basilicæ; ea est eiusmodi.

Sancto Carolo Borromæo
Cardin. Archiep. Mediolani
Qui post dedicatum a Martino V.
altare Maximum
Totum Templum XX. Octobris MDLXXII.
Solemni ritu consecrauit
ac tertio quoque Mensis eiusdem Dominico die
huius Consecrationis memoriam fieri mandauit
Amplissimaque munus Indulgentiæ
Templum hoc eodem die rite visentibus
impetrauit
Fabricæ Præfecti Anno MDCXI. P.

quotquot enim, tertio die Dominico Mensis Octobris, Sacramento priùs Pœnitentiæ expiati, atque Eucharistiæ refecti, Ecclesiam Metropolitanam visitant, Plenariam suorum peccatorum Indulgentiam consequuntur.

Hanc verò cæremoniam Consecrationis Basilicæ suæ Maioris S. Carolus obiuit tantâ Maiestatis Ecclesiasticæ pompâ: vt eiusdem inaugurationi quinque Abbates Cistertienses, & quidem Insignibus Pontificalibus ornati, interfuerint, si credimus Bartholomæo Aresio in Serie Chronologica Abbatum Cœnobij Ambrosiani Mediolani in Elogio Abbatis Domni Cosmæ Plantanidi. Sicut autem Diuus Carolus, in administranda Ecclesia Mediolanensi, nulli vnquam labori pepercit. ita, & Sacras Ædes plurimas ædificauit, & consecrauit. Glussianus in eiusdem Vita lib. 8. cap. 10, docet, trecentas ampliùs Ecclesias a S. Carolo fuisse consecratas: immo, intra decem & octo dies, quatuordecim Ædes Sacras ab eodem fuisse inauguratas, cui cæremoniæ horas octo solidas impenderet, præterquam quod ante consecrationem pernoctabat in Oratione Dei, ieiu-

nabat-

nabatque in Peruigilio, arcto pane & aquâ contentus. Hoc igitur ornamentum debebatur Templo Maximo Mediolani: vt illius Ara maior a Martino V. Summo Pontifice, Basilica verò a S. Carolo consecraretur; cuius Consecrationis meminit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio desiderantur, quinto decimo Cal. Nouembris, minimè tamen consentientibus monumentis antè memoratis.

2\. Ex Scriptoribus Historiarum Mediol. qui res gestas Ducis Philippi Mariæ Vicecomitis literis consignauere; hic enim redeuntem a Concilio Constantiensi Martinum V. enixè rogauit: vt Altare maius Templi, quod Virgini Deiparæ Ioannes Galeatius Vicecomes Dux Mediolani sumptuosè condiderat, consecraret. Peregit eam cæremoniam Pontifex Maximus: inclusitque in Ara eadem vndecim Corpora SS. Infantum Innocentium, si fides Glussiano in Vita S. Caroli lib. 2. cap. 10.. Simulacrum deinde marmoreum positum est Martino V. in Metropolitana iuxta Sacrarium Meridionale, cui subest carmen in peractæ cæremoniæ monumentum.

Aram igitur maiorem consecrauit Martinus V. decimo septimo Cal. Nouembris Anno MCDXVIII., vt narrat etiam Bernardinus Corius in Hist. Mediol. Parte 4. *Martino Pontefice giunse a Milano: della quale Città gli vscì incontro tutto il Clero, e'l Collegio de' Dottori con pompa conueniente a così gran Signore, & supremo Sacerdote. Principalmente andò il Pontefice al maggior Tempio di Maria Vergine: & quiui all'Altare co Cardinali fece vna brieue oratione, dando a ciascun penitente l'Indulgentia, & poi vscendo, entrò nella contigua Corte Ducale, doue fù allogiato. In questi giorni si lauoraua a furore del Popolo al nuouo Altare del detto Tempio. Onde a sedici d'Ottobre il Pontefice vi celebrò la prima Messa con molte cerimonie secondo il costume Ponteficale: alla quale interuennero meglio di cento mila persone: & poi il Papa raffermò l'Indulgenza, soggiungendo in perpetuo cento giorni di perdono a qualunque visitaua quell'Altare nel giorno & Vigilia della Dedicatione della Chiesa &c.* eadem retulit vbertim in Historia Patria Ripamontius Dec. 3. lib. 4.

Cæterùm Basilicam Metropolitanam Mediolani, structurâ, opibus, magnificentiâ, cultu, Mystarum copiâ & amplitudine, sacris-

sacrisque lipsanis admirandam describit Stephanus Dulcinius Canonicus Scalensis in Libro de Nuptijs Io: Galeatij Vicecomitis cap. 2. Tit. *De Templo Mediolanensi*, Morigius in Libro, cui titulus *Il Duomo di Milano*, & in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 16. & 17.: itemque laudat Tobias Corona in Libro, cui titulum præfixit *Sacri Tempij* cap. 26.: *nec iniuria octauum Orbis miraculum a Scriptoribus appellari* auctor est Ioannes Henricus a Pflaumern in Mercurio Italico. Fusè pariter Villa de septem Basilicis Stationalibus, necnon alij Scriptores, narrant ornamenta, opes, & magnitudinem eius Basilicæ; cuius initia memorat Ripamontius Dec 3. lib. 3. Hist. Vrbis Mediolani: molem verò insanam admiratur Sociacus lib. 1. Epigrammatum.

3. Ex Missalibus ac Breuiarijs Ambrosianis, præsertim in Lectione S. Eusebij, ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex ijs demum omnibus Scriptoribus, quorum testimonia protulimus antè, die duodecimâ Augusti, ad commendationem eiusdem S. Eusebij. Polluerant autē Hunni Templa Mediolani, cùm Duce Attyla vastarent Italiam, quæ postmodum ritu Solemni consecrauit Eusebius, institutâ, die tertio Dominico Octobris, anniuersariâ eius Consecrationis Festiuitate.

4. Ex Martyrologio Comensis Ecclesiæ, Vghello tomo 5. Italiæ Sacræ, ex Summario Morigij lib. 1. cap. 12., ex Antonio Bessa Negrino in Elogijs Familiæ Castillionæorum, quæ Cœlestinum IV. Pontificem Maximum procreauit, demum ex ijs Scriptoribus, qui citantur hâc die in Notis Martyrologij Vrbis Comi, quam multi Scriptores, sed præsertim Boldonus commendat in Topographia Lacûs Larij.

NONO CALENDAS NOVEMBRIS.


Iguardæ Translatio Solemnis Sancti Felicis Martyris, cuius Corpus ibidem asseruatur. 1.
Mediolani Beati Ioannis Angeli Confessoris ex Ordine Seruorum Beatæ Mariæ Virginis, cuius Corpus 2.

adhuc

adhuc incorruptum Ciuitas Mediolanensis, quarto die Dominico Augusti, annuâ Festiuitate, & singulari religione, veneratur.

OCTOBRIS 24.

1. EX Tabulis Ecclesiæ Parochialis, vbi in Sacello proprio seruatur Corpus S. Felicis, cuius postea Festiuitatem anniuersariam intelleximus translatam fuisse in mensem Maij, causam tamen ignorantes, cùm hâc die illius Corpus fuerit translatum. Porrò Pagus Niguardæ, qui distat secundo ab vrbe lapide, illustratus fuit a Puricello in Differtat. Nazar. cap. 62. num. 10. & seqq., non modò, quia ibi rusticabatur Bernardinus Corius, tradebatque monumentis res Mediolanensium (ac propterea Corius meminit eiusdem Pagi Parte 3. Historiarum ad Annum MCCCXLV.) verùm etiam propter Sancti Germani Episcopi Antisiodorensis (quem antea memorauimus) commorationem, cui Leporius morbo laborans hospitales ædes aperuit: atque ideo altera Sacra Ædes in eodem Pago dedicata est S. Germano Episcopo, vt ibidem tradit Puricellus, plura congerens deprompta ex Mombritio & Surio de eodem S. Germano.

2 Ex Archangelo Gianio tomo 2. Annalium Ordinis Seruorum, Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex eiusdem Vita, quam scripsit Paulus Maria Palearius, & Hippolytus Porrus, atque Ioannes Baptista Corneus, ex Picinello in Elogijs extemporalibus, ex Bagatta tomo 1. & 2. admirandorum, ex traditione, cultuque vetusto Populi Mediolanensis & Ecclesiæ S. Mariæ Seruorum, vbi hodie in arca affabrè elaborata, plurimisque laminis argenteis distincta, atque interlucente Venetâ crystallo, prostat illius Corpus, post duo fere secula, incorruptum. Eius Corpus Anno MDCLXXXXI., magnâ Populi Plebisque frequentiâ, septimo Calendas Septembris, collocatum fuit in sacello recèns ædificato, eleganti, sumptuosâ, magnificentissimâque structurâ.

Quare autem celebretur in præsens Festiuitas Beati Ioannis An-

geli quartâ quâque die Dominicâ Augusti (cùm aliàs perageretur Dominicâ quartâ Octobris, vt pote proximâ diei, quo Beatus ille migrauit in Cælum Anno MCDLXXXXVI.) monstrat P. Aleuazolus in eiusdem Vita cap. 19. & 20.: capite verò 21. indicat Scriptores, qui Beatum Ioannem Angelum commendauerunt, quorum ego testimonijs inuestigandis consultò abstinui, certior factus ab Auctore humanissimo de sui operis instituto: ac proinde Martyrologium Poeticum tantummodò emendaui. Errauit autem Galeatius Gualdus Prioratus, qui in Libro, cui titulum prætulit *Relatione della Città e Stato di Milano*, affirmat B. Io: Angelum decessisse Anno MDVI.

B. Ioannes Angelus ex Nobili Porra Familia natus est (inquit Ferrarius) quæ vox *Porra*, typographi fortasse vitio, Brautium in errorem induxit: vt illum deinde in Martyrologio Poetico vocet semper Ioannem Angelum *Portam*, reponens *Porta* pro *Porra* familia. Hæc autem a nobis ideo traduntur: ne quem Brautius fallat in carminibus, quæ subijcientur. Hodie verò in Ecclesia S. Mariæ Seruorũ Mediolani proponuntur spectantiũ oculis tabulæ pictæ, in quibus res gestæ Beati Ioannis Angeli expressæ sunt, & simul cælestis auxilij testimonia, quod illius patrocinio ciues a Deo exorauerunt; inter quæ, illud planè memorandum est, quòd Diuum Carolum Borromæum septennem, cùm graui morbo laboraret, repentè liberauerit: vbi illius Parentes votum pro incolumitate pueri nuncupantes, Beati Ioannis Angeli opem implorauere.

Ecce autem carmina Brautij descripta ex Martyrologio Poetico.

De B. Ioanne Angelo Porta (veriùs Porro)
Ordinis Seruorum.

Angustam portam Cælorum Porta sciebat:
Ossibus & neruis attenuatus agit.

Confectus enim erat ieiunijs, queis viginti annos carnem domuit in Monte Senario apud Florentiam; distichon autem sic corrigo:

Angustam Portam Cælorum, Porre, sciebas:
Ossibus & neruis attenuatus agis;

sublatâ sic annominatione *Portæ*, quæ falso cognomine nitebatur.

De

De Angelis ministrantibus B. Ioanni Angelo.

Reginæ Cæli Seruo conseruus egenti,
Aliger obsequium ferre paratus adest.

De racemo viti consolidato a B. Ioanne Angelo.

Restituit cæsum viti sic, Porta, racemum:
Vt cæsum nullus crederet esse priùs.

Loco tamen primi carminis, aliud collocarem, nempe

Restituis cæsum viti sic, Porre, racemum &c.

De obitu B. Ioannis Angeli.

Cælorum Portas, Portæ patuisse repentè,
Cymbala festiuis asseruere sonis.

In articulo enim mortis B. Ioannis Angeli Campanæ Ecclesiæ Seruorum Mediolani sponte sonum edidere: verùm distichon emendarem hoc pacto; satius enim est veritati omnia esse consona, quàm nominis allusioni.

Cælorum Portas Porro patuisse repentè,
Campanæ festis asseruere sonis.

De Sepultura B. Ioannis Angeli.

Ad Fratrum grauitans tumulum, leuitansque seorsim,
Secreto condi postulat ossa loco.

Narrat rem mirabilem Ferrarius, atque ibidem Hexastichon affert, quod nos prætermus, Bulzij mox elegantia carmina allaturi, nempe, quòd cùm Corpus B. Ioannis Angeli inferre in commune sepulchrum Fratrum sandapilarius conaretur, eò magis *immobile & grauius erat: vt propterea in priuato tumulo supra terram illud condere coactus fuerit.*

Illud quoque admirandum (ait Ferrarius) *quòd cùm in morbum incidisset, & sanguis per venæ sectionem extrahendus esset: accidit, vt adueniente eo, qui sanguinem mitteret (Eusebius illi nomen erat) nullus, qui ei inseruiret ex Fratribus omnibus in Processionem per vrbem profectis adesset: cùmque is aliquem, qui lumen, vas, & alia ministraret, perquireret: continuò duo adolescentuli egregia forma, quos ille nouitios ex habitu arbitrabatur, adfuere, illique ministrarunt, peractaque phlebotomia disparuerunt.* Rem miram Epigrammate & Disticho complexus est Bulzius.

Febrili iuuenis morbo dum decubat æger:
Et datur exerto vena secanda stylo:

Aduolat æthereis duplex ex arcibus Ala,
Sedula, tyronum fronte, ministra viro.
Eia quid insueta tyronis imagine claustris
Aliger e superis obsequiosus adest?
Tyronum formam referat gens Cælica, tale
Antea cùm nulli fecerit obsequium.
Aliud.
Non mirum, obsequium præstans e sedibus adsit
Angelus Empyreis, Angelus æger erat.

Aliud item Epigramma Bulzius scripsit, videlicet in hoc argumentum.

B. Ioannes Angelus vulsum viti racemum restituit.
Abiugat: ac iterum viti pia dextera frondem
Adiugat, in querulos gente ruente sonos.
Hoc ad portentum quid turba domestica præstat?
Hæret, & immotis obstupet illa labris.
Iam tua vina licèt faciant capita ebria, vitis:
Hæc tua frons sensus obruit vna magìs.

Vitam & res gestas B. Ioannis Angeli scripsit Augustinus Aleuazolus ex eodem Ordine Seruorum, vt mihi literis suis significauit; cuius nobis eruditio & accuratissimus labor copiosè eiusdem Beati facta monstrat; eius quoque meminit in Libro, cui titulum indidit *La Reina de Martiri* Parte 2, cap. 2. alios citans Scriptores.

Octauo Calendas Nouembres coluntur ab omni Ecclesia Sancti Martyres Chrysantus & Daria, quorum Corpora olim iacuisse in Basilica Ambrosiana fama est: verùm Galesinius in literis ad S. Carolum scriptis (de quibus meminero infra die nonâ Nouembris) vnà cum Sigonio ait, *illa donata fuisse a Berengario Rege Longobardorum Vidoni Episcopo Aretij, qui ea Mediolano Aretium exportauit*. Atqui nullus Berengarius fuit Rex Longobardorum: deinde Corpora SS. Chrysanti & Dariæ (vti vult Ferrarius, non solùm in Notis in Catal. Italiæ ad hanc diem, sed etiam in Indice Corporum Sanctorum) non Aretij, at *Regij in proprio Sacello, Vriæ in Ecclesia Cathedrali, & Romæ partim in Ecclesia SS. Apostolorum, partim in Ecclesia S. Sebastiani* asseruantur.

SEXTO CALENDAS NOVEMBRIS.

N Pago S. Iuliani prope Coloniam Sancti Matthæi Martyris, cuius Corpus ibidem digno honore sepultum fuit.

OCTOBRIS 27.

QVoniam alius Pagus est eiusdem nominis in Via Romana, ideo hunc a vicinia Vici Colonij seu Coloniæ nominamus, qui Pagi continentur in Plebe Segrati. Ex Tabulis constat Ecclesię Parochialis S. Iuliani, quæ olim cùm parêret Capitulo Basilicæ Insignis Modoetiæ, iccirco a nobis memorabitur in eiusdem Basilicæ Monumentis, quæ prosequimur. Ibi verò custoditur in Ara maiori in arca, quam argenteæ laminæ plures ditant: eiusque dies Festus a confluentibus populis deuotè celebratur.

QVINTO CALENDAS NOVEMBRIS.

Pud Comum Sancti 1. Fidelis, Ciuis Mediolanensis, qui, sub Maximiano Imperatore, sui generis claritatem martyrij Laureâ coronauit. Romæ Sancti 2. Cyrilli Martyris, cuius Corpus translatum est Seconagum, vbi religiosè colitur.

OCTOBRIS 28.

1. DIuum Fidelem fuisse Ciuem Mediolanensem auctor est Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Histor. Mediolanen. Ecclesiæ; de illo autem meminit Martyrol. Romanum, Baronius tomo 2. Annalium ad Annum CCCIII., Martyrol. Nouoco-

uocomense, & Officia propria Comensis Ecclesiæ, in qua sequenti die celebratur Officium S.Fidelis Ritu duplici, Breuiarium & Missale Ambrosianum (in quibus hodie fit commem. eius Martyris, cùm tamen die sequenti Sacerdotes, qui more Romano psallunt, Officium peragant de S. Fidele Ritu semiduplici) Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Materni, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Chalcus in Hist. Mediol. lib. 1., Galesinius, Surius, Morigius lib. 1. Histor. Mediol., & lib. 1. cap. 6. de Nobilitate, Baldesanus in lib. 1. Hist. S. Mauritij, Tattus in Annalibus Comi Dec. 2. lib. 1., vbi agit de cultu ac veneratione S. Fidelis, atque in eiusdem Vita, denique Scriptores omnes, quos ille citat in Notis Martyrologij Comensis, sed ante omnes Beatus Petrus Damiani Sermonem & Hymnũ scripsit de S. Fidele, atque illius Acta vulgauit Mombritius.

In ea autem area, quam nunc insidet Templum S. Fidelis Mediolani magnifico sanè opere extructum, fuit olim Ecclesia Parochialis S. Fidelis, verùm multò antè alia Ecclesia, cui nomen *S. Mariæ in Solariolo*: eaque adhuc supererat Anno MXXVI., & MLXV., vti ex tabulis arguit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 280.: quemadmodum in Regione Ticinensi Vrbis condita est Ecclesia Parochialis *S. Ambrosij in Solariolo*, cuius Dedicationis diem indicatum vidimus die secundâ Nouembris in Calendario Missalis Ambrosiani typis Mediolanensibus impressi Anno MCDLXXXII.

Cæterùm rursus quæstio redit, vtrùm in Sacra Æde vetustissima & Collegiata S. Euphemiæ Comi (quæ nunc S. Fidelis appellatur) an in magnificentissimo Templo S. Fidelis Mediolani requiescat Corpus eiusdem Martyris, ad quod illud ex Oppido Aronæ transtulit S. Carolus Borromæus, vt supra tradidimus. Tattus pro Templo S. Euphemiæ dimicat in Notis Martyrologij Comensis hâc die, necnon in eiusdem Vita: nos iam antè sententiam nostram exposuimus. Atque huc congruere videntur, quæ Alciatus lib. 3. Hist. Mediol. docuit. *Innumeræ* (inquit) *Diuorum Reliquiæ, & plerunque eædem vbique gentium reperiuntur, & rumor falsis auctoribus principio vulgatus, ita demum animis nepotum insidet: vt verissimum esse vel iurati affirment. Ecquæ Christianorum, ne dicam Italiæ vrbs est, quæ ex*

Salua-

Saluatoris nostri Corona Spinas non habeat? tametsi tot fuisse, dictu credibile non sit. Nemo tamen hunc honorem Patriæ suæ non vindicandum putauit. Certè Mediolanenses Fidelem suum, cuius hodie meminit Martyrol. Romanum, in sua vrbe tumulatum censent: Comenses verò in sua; ego, vt hunc nodum soluam, Dauus sum, non Oedipus.

Porro Brautius hæc cecinit in laudem S. Fidelis.

Testificata fuisse fidelia cuncta Fidelis,
Sanguinis effusi rubra litura probat.

Ex Lario Poetico Bulzij Tattus elegit alterum Epigramma, quod Notis Martyrologij Comensis adiunxit; nos alia duo reliqua secernimus.

S. Fidelis Martyr
ob liberatos Martyres Martyr efficitur.

Christigenas, piceo nexat quos carcere ferrum,
Educat illata dextra Fidelis ope.
Traxit vt hos vinclis, vinclis adstringitur ipse:
Adstrictusque truci funere Martyr obit.
Carcere subductos fecisti viuere, Martyr:
Munus idem felix tu quoque Martyr habes.
Te siquidem Mundi soluit de carcere lictor:
Et vel sydereo viuere in Orbe facit.
Insidetur occisor ab Orco, & eximitur.
Miles vbi sæuum gladio vibrat arduus ictum:
Tactaque fumanti terra cruore madet.
Insilit audaci fera Styx inopina ministro,
Quem cruciat suetis irrequieta modis.
Parce reo, tunc lictor ait, mihi cæse Fidelis;
Orcum trude: sacro mox ego fonte lauor.
Sic ait impatiens furiæ vir tristis Auernæ:
Et furia insessum linquit Auerna virum.
Es felix miles; sacro Dis fonte rigatus.
Quisque fugit: viso nec quoque fonte, tuus.

Epigramma verò selectum a Tatto funeri Diui Fidelis alludit, quo moriente Cælum tonuit.

2. Ex Tabulis Parochialis Ecclesiæ Seconagi, qui Pagus est in Plebe Busti Arsicij, quod oppidum Busti memoratur a Bona-

uentura.

uentura Castillionæo in Libro de sedibus antiquis Gallorum Insubrum. *Non procul* (ait) *a Gallarato Vicus est, Insubrum victoria aduersùs Hetruscos celeberrimus. Bustum Arsium vulgus appellat, sed veriùs Bustaccium, quòd ibi busta hostium compleuerint omnia.*

QVARTO CALENDAS NOVEMBRIS.


Ediolani Sancti Quinctini Confessoris.

OCTOBRIS 29.

ACta huius Sancti Confessoris excidisse certum est; nam de eodem nulla vsquam monumenta apparent. Immò cùm in Martyrologio Galesinij legissem illius nomen, timui: ne fortasse ad alias vrbes pertineret; siquidem plures sunt vrbes Transalpinæ, quæ *Mediolanum* appellantur, vti videre est in Lexico Geographico Ferrarij. Idem tamen Ferrarius liberauit animum meum religione, qui non modò in Indice ad Catalogum SS. Italiæ, verùm etiam in Indice Topographico eiusdem Catalogi, in quo enumerat nomina Sanctorum *Mediolani in Insubria*, inserit nomen S. Quinctini.

TERTIO CALENDAS NOVEMBRIS.


Atalis Sancti Saturnini Martyris, cuius Corpus Mediolani in Basilica Sancti Victoris tumulum habuit.

OCTOBRIS 30.

DE S. Martyre Saturnino habemus hodie Officium in Breuiario, & Liturgiam in Missali Ambros.; verùm, an sit Calaritanus, an alius Saturninus a Calaritano, admodum ambigitur. Alium sanè esse censeo, humatum tamen in Basilica Victoriana, si fides Vghello tomo 4., Morigio in

Sanctua-

Sanctuario, & Villæ de Septem Ecclesijs Stationalibus. Siquis verò de sua sententia nolit desistere, ac Saturninum hunc Caralitanum esse asseueret, de quo hodie meminit Martyrol. Romanum, rem sibi esse sciat cum Ferrario in Catal. SS. Italiæ, qui monumẽta Ecclesiæ Calaritanæ, Mombritium, & Dimam in suam causam vocat: doceatque, quis, & quo tempore ex Perinsigni Basilica S. Saturnini eiusdẽ Martyris Corpus Mediolanũ exportauerit, tunc enim pedibus in illius sententiam ibo. Illud etiam accedit, quòd Acta S. Saturnini Calaritani apud Ferrarium, & alterius Saturnini in Lectione Breuiarij Ambrosiani discrepant: vt hinc etiam credam, Saturninum, qui hodie colitur ab Ecclesia Mediolanensi, & in Basilica S. Victoris quiescit, esse quidem natione Sardum, sed alium a Calaritano.

PRIDIE CALENDAS NOVEMBRIS.



Ediolani Sancti Antonini eiusdem vrbis Episcopi, qui Pastoralis Officij exemplo & in omni vita admirabilis fuit.

OCTOBRIS 31.

EX Missali & Breuiario Ambrosianis, ex Actis Mediolanensis Ecclesiæ, Catalogis M.SS., Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, ex Libro Successorum S. Barnabę Besutio in Hist. Pontific. Ferrario in Catal. SS. Italiæ, Ripamontio Dec. 1 Hist Mediolanen. Ecclesiæ in calce lib. 8.. Corpus autem S. Antonini, quod tumulatum est in Basilica S. Simpliciani, translatum est a S. Carolo Borromæo, sicuti antea indicauimus, atque ibidem reconditum. In Martyrologio Poetico Brautius Antonini sanctimoniam disticho veneratur.

In terris populus Sanctum clamauit agentem:
De Cælo nec adhuc poscere cessat opem;

quoniam Diui Antonini (si credimus Ferrario) *tanta vitæ sanctitas fuit: vt, viuentem etiam, Sanctum illum homines appellarent.*





NOVEMBER.



CALENDIS NOVEMBRIS.



Ediolani plurimorum Sanctorum 1. Martyrum, quorum Populos a nobis possideri Beatus Ambrosius disertè testatur. Ibidem plurimorum Beatorum 2. Confessorum, atque Beatarum Virginum, quos Cælitum numero associatos pia Fidelium deuotio venerari consueuit.

NOVEMBRIS 1.

1. 

Ignitatem, amplitudinemque, Mediolanensis Ecclesiæ latè commemorat S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus in literis suis Pastoralibus ad Populum Vrbis, Diœcesis, & Prouinciæ Mediolanensis, quarum est exordium: *Misericors & Miserator Dominus &c.* in Parte 7. Actorum Mediolanen. Ecclesiæ pag. 1096. col. 2., & Cardinalis Federicus Borromæus in Præfatione Cæremonialis Ambrosiani, necnon Petrus Galesinius in Præfatione ad Librum Homiliarum Stephani Leinatij. Quòd autem Mediolanensis Ecclesia, non vnum Populum Martyrum, (quod sanè mirandum esset) sed Populos possideat, patet ex Cœmeterio Martyrum, tum in Basilica SS. Naboris & Felicis, tùm in Ambrosiana, quam S.

Ambro-

Ambrosius conditor SS. Protasio & Geruasio, ac SS. omnibus Martyribus dedicauit. Aliud item Polyandrion veneramur prope Fontem, in quo S. Barnabas Apostolus Ciues Mediolanenses baptizauit iuxta Basilicam Eustorgianam: eiusque mentionem fecimus in lib. 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. De hoc Martyrum Cœmeterio Isidorus Isolanus ex Ordine Prædicatorum in Panegyrico Mediolani, quem habuit sexto nonas Maij Anno MDXVIII., hæc tradit. *Quid miramur Romanos Pontifices, ac Cæsares, pluris fecisse Mediolanum, quando in ea vrbe innumeri martyrium pro Christo subierint? Vbi nempe Templum Diui Eustorgij nunc est, quindecim millia hominum gladij animaduersione pro Ecclesiæ Sanctæ Dei Fide tutanda animam exhalasse leguntur.* Galuaneus verò Flamma ex eodem Prædicatorum Ordine alios mille Martyres supperaddit cuius testimonium vide apud Puricellum in Dissertat. Nazar. cap. 50. num. 17. explicantem, quomodo *Populos Martyrum possideamus*, parcè tamen. Flammæ & Isolano subscribit quoque Morigius in Sanctuario. Certè in Martyrologio Romano frequens est SS. Martyrum Mediolanensiũ nomenclatura, qui Mediolani vel alibi martyriũ subiere, puta Sebastiani, Aquilini, Victoris, Naboris, Felicis, Geruasij, Protasij, Vitalis, Valeriæ, Nazarij, Celsi, Calimerij, Robustiani, Petri, Clatei, Fausti, Maximi, Ambrosij, Guiniforti, Fidelis, Fidei, Spei, & Charitatis, præter eos, quos solius Dei scientia complectitur.

Iure igitur S. Ambrosius Sermone in Festo SS Martyrum Nazarij & Celsi affirmat (quod testimonium totidem verbis attulimus etiam in vestibulo huiusce operis) *exultare felices singularum vrbium populos, si vnius saltem Martyris Reliquijs muniantur. Ecce nos Populos Martyrum possidemus.* Huic autem sententiæ Diui Ambrosij consentit Legendarium M. SS. Sacrarij Franciscani in Vita S. Materni; ibi enim hæc traduntur, videlicet. Maximianus vrbem Mediolani *roseo innumerabilium Martyrum cruore perfusam inter affines vrbes decoram reddidit.* Plurimi certè Martyres enumerantur in Martyrologijs, de quibus nunc agam; iuuat enim digredi ad monumenta Martyrum, quorum nomina licèt in tabulis Mediolanensibus perierint, attamen cùm descripta sint in Libro Vitæ, interire omnino

nino non potuerunt. Porrò hæc a nobis iccirco scribuntur: ne videamur peregrina monumenta ignorare, contenti testimonio S. Ambrosij nobis Populos Martyrum vendicantis. Plurium itaque Martyrum nomina nobis occurrunt in Actis Sanctorum die sexta Maij, quorum meminit etiam Hieronymus a Basilica Petri eâ die in Libro Sacr. Ephemeridum; siquidem *in antiquissimo Martyrologij Hieronymiani apographo Epternacensi, ante mille propemodum annos exarato, sequentes referuntur hoc modo.*

Mediolani, Victoris, Felicis, item Victoris, Caluiciæ, Affidiæ, Iudith, Emeriæ, item Victoris, Acutæ, Faustinæ, Hilariani, Victorianæ, Saturninæ, Gauinæ, Hedenti, Furtunæ, Victuriæ, Primæ, Gaiani, Valentinæ, Fortunatæ, Postumi, Faustini, Maiorici, Venuti, Massuni, Processæ, Secundiani, Importunæ, Quintiani, Petri, Tassi, Casserici, Mapparici, Veneræ, Bonefaciæ, Quinti, Florianæ, Victorinæ, Demori, Gaudalæ, item Victorinæ, Crispini, Possini, item Felicis, Donati, Labori, Massilæ, Gaiani, Farperi, item Quinti, Rogati, Maxenti, Ninnæ, Virtuniæ, Valexiæ, Tironi, Matronæ, Citini, Floriani, Herenei, Fortunati, Faustini, Gauini, Hereni, Pappalici, Primi, Secundi, Cassi, Celerini, Hieremiæ, Flaui, Macrobi, Marcellini, Maximi, Bafroditi, Augustiniani, Nitici, & aliorum LXV. item Gaiani & aliorum XX.

En Syllabus Martyrum LXXIX. suis nominibus expressorum: De quibus, cum aliqua tamen varietate, agitur in alijs tribus apographis eiusdem Martyrologij Hieronymiani, scilicet Corbeiensi Parisijs excuso, Lucensi a Florentinio edito, & M.S. Blumiano. Hæc Papebrochius.

Hanc quidem varietatem animaduertimus apud Florentinium, virum eruditissimum, in Martyrologio vetustiori Occidentalis Ecclesiæ, quod ille edidit, Notisque aspersit. Ac primùm Pridie Nonas Maij nobis suppetunt Martyres, nempe.

Mediolani Sanctorum Martyrum Victoris & Felicis, itemque aliorum plurium Martyrum sub Maximiano Imperatore interemptorum.

Horum autem Martyrum nomina subinde monstrantur, videlicet, alterius Victoris, Cariciæ, Aufidiæ, Iudith, Emeriæ, item Victoris, Acutæ, Faustinæ, Helariani, Victoriani, Saturninæ,

Gauinæ, Hedenti, Fustunæ, Victoriæ, Primæ, Marsuni, Processæ, Secundiani, Importunæ, Quintiani, Petri, Taßi, Casserici, Mappalici, Veneriæ, Bonefaciæ, Quinti, Florianæ, Victorini, Domuli, Gaudolæ, item Victorinæ, Crispini, Poßisni, Labori, Maßilæ, Gaiani, Saferi, item Quinti, Rogati, Maxenti, Ninæ, Virtumæ, Valeriæ, Tyroniæ, Matronæ, Citini cum Socijs eorum & reliquis Sanctis, Floriani, Herenei, Fortunati, Faustini, Gauini, Herenti, Pappalici, Primi, Caßi, Secundi, Celerini, Hieremiæ, Flaui, & Gaiani cum alijs viginti, Magropi, Marcellini, Maximi, Bafrobiti, Agutiani, Niceti cum alijs quadraginta duobus. An autem hi omnes martyrium obierint eâdem die, non docet Florentinius: addit tantùm, in codicibus M.SS. Serenißimæ Reginæ Sueciæ socios horum Martyrum explere numerum centum triginta nouem: in Martyrologio Antuerpiensi numerari centum sexaginta & vnum: in Corbeiensi verò ducentos quatuordecim. Adeo verum est, a Mediolanensibus *Populos Martyrum poßideri*. At nulla horum Martyrum mentio apud Scriptores nostrates? Quid tum? Fortène vrbs nostra sæpe direpta, sæpe excisa, potuit suorum Martyrum monumenta seruare, quin illa faciliùs apud exteros temporum iniuriæ subducerentur? Quot etiam Romæ Martyres minimè noti, de quibus agit Mabillon in Itinere Italico pag. 139.

Quærit postea Florentinius, an hic Victor sit ille idem, cuius nomen celebratur in Romano Martyrol. Octauo Idûs Maij, sibique respondet hoc pacto. *An Victor Mediolanensis Martyr ex Africa, qui chorum omnem ducit, idem sit cum eo, qui in Romano, & alijs Martyrologijs ad diem octauam huius mensis recolitur, non putarem, quòd ille etiam in vetustiori nostro reponatur, & alij Socij addantur. Plura nomina, quæ hac die adducuntur, Africæ vsitata erant, vt Mappalicus, Matrona, & alia paßim. Hoc vnum educerem ex Actis alterius Victoris scriptis a Maximiano Notario apud Surium tomo 5. tantam Martyrum Mediolanensium carnificinam sub Maximano Imperatore accidisse, quãdo in illis Actis initio legitur: Regnante impio Maximiano in Ciuitate Mediolanensi ingens fuit persecutio Christianorum.* Maximianus enim Mediolani moratus ob patrij soli studium

(nam Ciuis Mediolanensis erat, si Alciato in lib. 3. Hist. Mediol. fides) *acerbissimam cōtra Christianos crudelitatem exercuit.*
Quæ verò hæc Martyrum carnificina, quam indicat Maximianus Notarius testis oculatus? Occisum Mediolani pro Christo Victorem nouimus: item virgis cæsum, coniectumque in vincula Antistitem Maternum: eodem carcere inclusos Cassium, Licinium, Secundum, Seuerinum, Alexandrum, Firmum, Rusticum, Fidelem, Carpophorum, & Exanthum. Hæc autem tanta est carnificina? Vnus Victor Mediolani martyrio coronatur: Nabor & Felix in vrbe Laudis Pompeiæ, Alexander Bergomi, Firmus & Rusticus Veronæ securi percutiuntur: alij apud Nouocomum Martyrij Lauream accepere: Maternus Confessor decessit. Sebastianus Palmam martyrij obtinuit Romæ: ibidem iugulantur Fides, Spes, & Charitas: Geruasius, Protasius, Vitalis, Valeria, Nazarius, Celsus, Calimerius, Robustianus, Faustus, Clateus, denique Ambrosius Centurio, multò antè Martyres occubuerunt, quàm imperaret Maximianus. Aquilinus autem, Guinifortus, & Petrus multò pòst euolarunt ad Superos; siquidem Aquilinus Theodorico Rege, Guinifortus Constantio Imperatore, Petrus ab hæreticis interimitur Anno MCCLII. Hiccine Populus, immò Populi Martyrum? In Insubribus verò quæ Martyrum laniena? Maximianus Bergomi Asteriam Virginem cælesti Sponso immolauit: ibidem præterea necandum curauit Domnionem, eiusque sororem Virginem Eusebiam, item auum Domnionem, ac Proiectitium: Placentiæ Antoninum: Papiæ Dalmatium: Comi Matthæum & Gusmæum, necnon Iulianam Virginem, atque alios: Iuliæ Domninum & Gislemerium: Vercellis denique Theonestum. Hi sunt Martyres in Insubribus Maximiano Imperatore? Vbi odium in Christianos internecinum & implacabile? Vbi acerbissima persecutio a Scriba Maximiano literis consignata? An in tota Gallia Cisalpina, satis amplâ regione, paucissimi Martyres? Hæc verò Cœmeteria Mediolani, tot Sanctorum exuuijs ditata, in quorum cryptis numeras tantummodò Protasium, Geruasium, Naborem, Felicem, Robustianum, Clateum, & Maximum?
Neque verò ij sumus, qui nobis vim illam ingentem Martyrum assera-

asseramus, quę Papebrochio in Actis Sanctorum tomo 2. Aprilis non arridet: verùm, cùm S. Ambrosius *Populos Martyrum a nobis possideri* affirmat, qui persecutionum temporibus proximus monumenta certa nouerat, alij nobis, & longè plures Martyres sunt tribuendi, quàm qui in vulgaribus Martyrologijs commendantur. Quamobrem fatendum est, non modò hosce Martyres, qui hoc die commemorantur in vetustiori Martyrologio, sed etiam alios posse accedere, præsertim cùm Franciscus Maurolycus in suo Martyrologio, die duodecimâ Iulij, non tantùm meminit Naboris & Felicis, verùm etiam Sociorum ex Africa ad nostram vrbem transuectorum. Præterea Ado in Martyrol., die octauâ Maij, docet, Ianuarium ac Marinum vnà cum Nabore & Felice translatos fuisse Mediolanum. Ad hæc in Appendice Adonis, Pridie Idûs Maij, legimus Martyrium Camoris (quem alij Naborem, Timorem, & Nemorem vocant) Felicis, Rustici, & SS. quadringentorum quatuor Martyrum, qui cum S. Cirico, seu Quiriaco passi sunt. Quam Appendicem licèt adulterinam existimet Rosuueydus: tamen eadem reperimus in Notkero Balbulo apud Canisium, in Martyrologio vetustiori, & in Actis Sanctorum apud Papebrochium die decimâ quartâ Maij; quamquam Epternacensi apographo subscribere Papebrochius malit, quàm alijs M.SS., & Vaticano præcipuè numero 5949., in quo *ascribuntur Mediolano trecenti quatuor Martyres*, ratus, eos Martyres obijsse Antiochiæ vnà cum Quirico & Iulitta. Sed enim cùm apud plures Scriptores tribuantur Mediolano, quid est, quòd nobis eripiantur?

Neque miror, Naborem appellari etiam *Namorem*, quando in sacello Templi Celsiani Mediolani, in quo iacent Corpora SS. Martyrum Basilidis, Cyrini & Naboris, Nabor vocatur *Nemur*: quemadmodum antea monstraui.

Verùm hìc mihi plura objiciam, quæ sæpissime objiciuntur. Nulla horum Sanctorum apud nostrates, aut in Rom. Martyrologio mentio est: tum verò aliæ vrbes enumerantur a Geographis, quæ Mediolanum appellantur: ac proinde illarum fortasse vrbium Martyres sunt, aut etiam commentitij. Ibo igitur statim inficias: ac profitebor cum Bollando eruditissimo

tomo

tomo 1. in Actis Sanctorum cap. 4. §. 4. in Præfatione Generali, *ex hoc Martyrologio plurima, ignorata alijs, nobis multorum Sanctorum nomina fuisse suppeditata*. Neque ego controuersiosam illam causam diiudicare audeo, nempe, an hoc Martyrologiũ auctorem habuerit Diuum Hieronymum: an adulterinæ sint Chromatij & Heliodori ad Hieronymum, eiusdemque Hieronymi responsoriæ literæ ad eosdem; quarum imposturam detegit doctissimus Cardin. Baronius in cap. 5., 6., & 7 ad Martyrologium Romanum; licèt Florentinius argumenta omnia Baronij refellat, confessus tamen, Epistolam responsoriam non esse scriptam a S. Hieronymo, quòd ab eiusdem charactere prorsus abhorreat. Certè Lucas Holstenius, vir ingenio præstantissimus, in Epistola, quam scripsit Florentinio: eaque in vestibulo Martyrologij vetustioris præfixa est, hæc scribit. *Ego verò, clarissime Florentini, felicitatem istam, & tibi, & rei Christianæ ex animo gratulor, quæ frustra hactenus quæsitum thesaurum tibi tandem in manus dedidit: vetus illud, inquam, & genuinum Martyrologium Romanum, Baronio, Rosuueydo, alijsque sacræ antiquitatis amatoribus tantopere expetitum &c.* Ascribit autem Florentinius hoc Martyrologium Diuo Hieronymo ex sententia Cassiodori, Bedæ, Vualfridi, & Notkeri. Et quidem S. Antoninus Archiepiscopus Florentiæ testatur, Hieronymum & alios monumenta Martyrum collegisse Parte 2. Chron. Tit. 14. cap. 4 §. 1. *Idem Carolus* (Magnus videlicet) *secundùm Chronographum, per vniuersum Mundum, ad indagandum nomina, & actus, & obitum Sanctorum nuntios misit: quæ per Vsuardum Monachum in vnum volumen compilari fecit; Hieronymus enim, ac Beda, & Florus hoc fecerat antè, sed non integrè. Hic autem diebus singulis annotauit ea. Inuentum est autem, quòd diebus singulis concurrebant plus quàm trecenta festa; ideoque statutum est, vt in Martyrologijs, lectis ijs, quæ ibi ponuntur, addatur, & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, Confessorum, atque Virginum*. Igitur Hieronymus & alij singillatim collegerunt, vtpote ijs annis proximi, qui persecutionibus Sanctorum Martyrum æstuabant. Quia verò adhuc sub iudice lis est: iccirco assignauimus Festiuitati Omnium Sanctorum nomina cunctorum Martyrum, quæ in hoc Martyrologio

rologio sunt descripta. Cæterùm fateor, alias itidem vrbes appellari Mediolanum, vti legere est in Lexico Ferrarij; verùm quæ vrbes, si vrbi Insubrum Principi eas componis? Mediolanium Albionis Oppidum est: aliud Mediolanium Pagus Frisiæ, quorum ne mentio quidem in Romano Martyrologio. Mediolanum verò Eburaicorum appellatur Ebroica: Mediolanum Santonum, Santona: vnde in eodem Rom. Martyrol. legimus Ebroicis & in Pago Ebroicensi, Santis, & apud Santones. Quamobrem appellatio, nomenque inclytum Mediolani, indicat hanc vrbem, quæ (vt cecinit Sidonius Apollinaris lib: Epist. 7.)

lanigero de sue nomen habet;

idemque Mantuæ contingit, Placentiæ, alijsque vrbibus Italis; quamquam & Mantua sit in Carpetanis, & Placentia in Cantabris. Ideo vrbibus transalpinis accedit sæpe cognomen Prouinciæ, vti Placentiæ in Hispania, Valentiæ in Gallia, Valentiæ in Hispania, Viennæ in Gallia &c. Vni Neapoli additur in Campania, propterea quod Geographi aliam Neapolim ostendant in Palestina, aliam in Thracia, geminamq; in Africa. Cæterùm Martyrologium illud Lucense vulgatum a Florentinio octingentos annos superare videtur, vti Mabillon. testis oculatus tradit in Itinere Italico pag. 188.

Porrò cùm Imperatores Mediolani domicilium haberent, in hac vrbe, non autem in alijs eiusdem appellationis, Christiani conquisiti fuerunt ad necem, rebus omnibus vitâque orbati. Maximianum autem Mediolani consedisse, non modò affirmant nostrates, sed etiam Mamertinus in Genethliaco, vnàque Diocletianum. Quanta enimuerò cædes bonorum, vbi tyrannus vterque, atque osor perpetuus Christiani nominis in vrbe nostra consisteret? Certè Bollandus tomo 1. Actorum, postridie Cal. Ianuarij, docet, Placentiæ recoli memoriam plurimorum Sanctorum Martyrum, persequente Maximiano, occisorum: atque affirmat, esse puteum in Ecclesia S. Mariæ in Campo, Martyrum lipsanis insignem. Quantò autem maiori cæde respersum fuerit Mediolanum, vbi Imperator vterque restitit, & in vrbe multò quidem frequentiori, quàm Placentia? In Ambrosiana quidem Basilica Mediolani in Confessione S. Vic-

toris, vt aiunt, *in Cælo aureo*, non absimilem puteum veneramur, ossibus & cruore cælestium militum redundantem. Eius autem putei frons huiusmodi Epigrapham præfert.

Hic subter superque
Tumulosum pauimentum prominens
Cineres & ossa iacent
Protomartyrum Mediolani
Ex vetustissima traditione.

Vocantur autem Protomartyres, quos persecutio Neroniana interfecit; eorum enim Corporibus tumulandis Diuus Castritianus Archiepiscopus Cœmeterium Martyrum consecrauit. Vt autem noueris, quot Christiani, insectantibus Ecclesiam Diocletiano & Maximiano, sublati sint, tradet Epigraphe, quam Cluniæ in Hispania incisam profert Cardin. Baronius tomo 2. Annalium ad Annum CCCIV.

Diocletian. Iouius
Maximi. Herculeus
Cæss. Augg.
Amplificato per Orientem & Occid.
Impe. Rom.
Et nomine Cristianorum deleto
Qui Remp. euertebant.

Herculeum autem appellatum fuisse Maximianum, reliquiæ thermarum Herculearum Mediolani significant. Sed enim viuit adhuc Christianorum nomen, licèt Mediolanenses suos impius Maximianus malè habuerit.

Ac primò quidem Alciatus lib. 3. Hist. Mediol. hæc monumentis consignauit. *Verùm quamuis faustus & felix fuerit Maximiani aduentus, Christianis tamen non æquè profecit; quippe per præcones edici mandauerat: vt ad vetera Deorum Sacra redirent omnes, & antiquorum credulitate reuocata, nouam Christi Fidem abalienarent; parere negantibus pœna mors erat; qua affectos ciuium quinque millia, & eò ampliùs quidam scribunt.* Eadem tradit Chalcus lib. 1. Hist. Patriæ. *Igitur atrocia per edictum denuntiant* (Diocletianus videlicet & Maximianus Mediolani consistentes) *minas, sæuosque terrores ingeminant, siquem deinceps Christi religione teneri compererint. Sed nihil timebant*

deuotæ

deuotæ Deo animæ: quòque magìs comprimebantur, eò plures emergebant Christi cultores. Vnde Sacerdotes ipsi, simulque ciues, & nobiliores Matronæ in supplicia rapiebantur, bonisque mulctabantur: reliqua plebs virgis fustibusque cædi cœpta est. Demum iussi parentes liberos deferre, & frater fratrem, soror sororem promissa impunitate. Qua voce soluta pietas est, & præ multitudine accusatorum, velut in prædam Ciuitate concessa, passim dilapsi carnifices obuium quemque iugulant, domos diripiunt, rationum libros in triuijs coaceruatos comburunt: vbique atrocissima cædes, ac fœdum & funebre spectaculum. Chalco astipulatur Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ. *Primum facinus, quo Mediolanensem Ecclesiam concuteret, illud fuit, cùm vrbem eam ingressus* (Maximianus) *apparatu superbissimo, edixit omnibus locis, capitali pœna proposita: vt quicunque Christianum aliquem nosset, sisteret ad tribunal, noxiumque caput accusaret &c. Ab eo edicto multi mortales vtriusque sexus occidione sunt occisi.* Nec dissentit Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in Vita S. Materni. *Huius igitur temporis calamitatibus & Mediolanensem Ecclesiam, vel Imperatorum ipsorum præsentia, valde affligi necesse fuit. Hinc Nabor & Felix, hinc Victor, & alij multi pro Fide Christiana fortiter sanguinem fuderunt. Quorum* (vt cum Prudentio loquar)

solus habet comperta vocabula Christus.

En itaque Populi Martyrum in persecutione Neronis, Diocletiani, & Maximiani, quorum purpuratas cohortes nominatim citaremus: nisi eorundem immanitas nobis tabulas & monumenta inuidisset. Scriba Maximianus, testis oculatus, hoc quoque ferinæ crudelitatis auctarium in rebus gestis S. Victoris commemorauit, quod ex Mombritio descripsimus. *Anolinus consiliarius* (Maximiani videlicet) *iussit comprehendi omnes exceptores, qui erant Palatij: fecitque iurare per Deos suos, quòd si quis haberet aliquam chartam, vel schedulam, nemo illi celaret. Tunc iurauerunt omnes per Deos vi & per salutem Imperatoris, quòd nemo illi celaret. Et afferentes omnes chartas, fecit, eas incendi ante se a Scurrone; quod factum placuit Imperatori. Tunc ego Maximianus Notarius Imperatoris, Christianus ab infantia, iuraui per paganismum eorum: & tamen per noctem cum lumina-*

 ribus

ribus in Hippodromo Circi scripsi, prout memoria potui retinere, quia ibi manebam: & adiuraui omnes: vt si quis inueniret scripturam hanc, Christiano viro non negaret. Hæc omnia oculis meis vidi, eo teste, & Sancta Trinitate. Eâ quidem tempestate, eodem Mombritio teste in Vita S. Materni, *aliqui agones Martyrum ad posteritatis memoriam chartis tradebant, & Christianis Bibliothecis inserebant*; quæ tamen monumenta nobis sublegit vetustas, & multiplex vrbis excidium, odiumque Christiani nominis. Id etiam animaduertit Carolus a Basilica Petri in Vita eiusdem S. Materni. *Ex quo possumus obseruare malignam Christiani nominis hostium mentem, qui scribas suos, seu Notarios, seu exceptores Palatij, vt ait Maximianus* (nempe Scriba, de quo antè) *Martyriorum memoriam literis mandare, iuramento interposito, prohiberent, quò Sanctorum cultus impediretur; vt mirum non sit, Martyrum gesta postea in Ecclesia Dei esse desiderata, pluraque ad nos sine auctoribus manasse, qui deprehendi se timerent; licèt contra in Ecclesia constituti fuerint Notarij, qui hoc ipsum præstarent; qui tamen, neque vbique id efficere, neque, quæ notassent, posteris salua tradere potuerunt, homines improborum iniurijs tantopere vexati.* Ergo si ignota nomina ex vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio depromimus, neque vnquam aliàs in Ecclesia Mediolanensi audita, mirandum non est; fortasse enim, aut aliò delata, ibique seruata sunt nostrorum Martyrum monumenta: aut fugâ elapsi Scribæ, in alijs vrbibus ea literis consignauere, quæ Mediolani exurere cogebantur. Si enim auctor Martyrologij Nouocomensis, decimo Cal. Septembris, plurimos Martyrio coronatos memorat ob truculentissimam persecutionem Maximiani: ita vt Comi *quotidie Christianum nomen se habere confitentes ingularentur*: multò plures Mediolani interemptos fuisse credimus, propter immanium tyrannorum domicilium, & vrbis celeberrimæ frequentiam.

Enimuerò prosequamur in eodem vetustiori Martyrologio alios Martyres; legimus autem *Pridie Idus Iunij Inuentionem Sanctorum Nazarij & Celsi.*

Hæc quidem Inuentio memoratur in Rom. Martyrol. sexto Idûs Maij; Beda tamen hâc die illius meminit. Einsdem pariter

Translationis mentio fit hodie in Martyrologio M.SS. vetusto Sanctimonialium S. Catharinæ in Brayda Mediolani, quod nunc asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana: itemque in alio Martyrol. vetustissimo M.SS. Bibliothecæ pariter Ambrosianę, quod scripsit quidam Monachus anonymus: & in alio item Martyrol. M.SS. eiusdem Bibliothecæ, quod manu exarauit quidam Franciscanus anonymus Anno MCCIC.; cui quidem Martyrologio præfixę sunt literæ Chromatij & Heliodori Episcoporum ad S. Hieronymum; verùm titulus earum hic est: *Domino Sancto Fratri Hieronymo*, non autem *Patri*: sicuti in alijs Martyrologijs M.SS. animaduertit opportunè Florentinius, diluens alterum argumentum, quod illi Epistolæ doctissimus Baronius obiecerat.

Aliæ itidem Festiuitates SS. Nazarij & Celsi, immo etiam SS. Geruasij & Protasij indicantur in hoc eodem Martyrol., puta decimo tertio Cal. Iunij, & Pridie Cal. Nouembris. Porrò has Festiuitates putat Florentinius, *esse fortasse iteratas Inuentionis, Translationis, aut Basilicarum Dedicationis*. Certè ab Ecclesia Græca cultos fuisse anniuersariâ celebritate Nazarium & Celsum, itemque Protasium & Geruasium Pridie Idûs Octobris testatur Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 49. num. 10., quòd eo die eorundem SS. Martyrum Reliquiæ Mediolano Constantinopolim essent delatæ, vel in eorundem Templo collocatæ; quod postea collapsum Basilius Macedo restituit, si credimus Puricello in eadem Dissertat. cap. 81.. Idem dicendum videtur de Natali S. Victoris Martyris duodecimo Cal. Octobris; nisi alius Victor sit, aut potiùs Translatio SS. Martt. Victoris & Coronæ ad Basilicam Eustorgianam.

Post hanc Inuentionem, in eodem Martyrol., memoratur *Septimo Idus Iulij Natalis S. Mochi*.

Hunc Martyrem alij appellant *Mochimum*, alij *Mochium*, alij *Mocum* & *Mecum*; nos de eo nihil certi decernimus. Quamquam autem Canisius legendum ait *Monæ*, id quidem minimè probamus; nam Monas Episcopus martyrio decoratus non fuit, obijtque tertio Cal. Aprilis, vt antea docuimus.

Sequuntur alij Martyres, *Sexto Idus Iulij*, *Ianuarius*, *Marinus*, *Nabor & Felix*, quorũ meminit Beda: eosque tradit in Africa

securi

securi fuisse percussos, ac eorundem Corpora fuisse Mediolanum translata. In hac quidem vrbe quiescunt Ianuarius, Marinus, Nabor & Felix: verùm alij omnino ab ijs, quos nobis tribuit Beda; nisi fortasse illi ijdem iacent in Cœmeterio Martyrum; nolo enim fidem abrogare Bedæ Scriptori Sanctissimo & Doctissimo.

Ignoti quoque nobis sunt Martyres, qui describuntur *Decimo septimo Calendas Augusti, Mecharus & Migetia*; licèt alij apud Florentinium vocant *Moecium, Mogitiam*, alij *Mocharium & Megetiam*. In Martyrologio quidem Corbeiensi fit mentio vnius Macarij. Horum autem Martyrum coronas Ecclesia Mediolanensis huic tantùm Martyrologio debet.

Item Mediolani memoratur *Decimo sexto Calendas Augusti Natalis S. Marcelli*.

Sedenim nisi Martyrologium Corbeiense, cui plura alia Martyrologia M.SS. consentiunt, Marcello adiungeret etiam Iustinum & Nonnum, putarem, mendam aliquam in hæc monumenta irrepsisse, & Marcelli mentionem factam loco S. Marcellinæ sororis Diui Ambrosij, cuius hodie meminit Martyrol. Romanũ, præsertim cùm idem Martyrologium a Florentinio euulgatum Decimoquinto Cal. Octobris mentionem inijciat SS. Eustorgij & Satyri fratris Ambrosij & Marcellinæ; quo die item memoratur ibidem Trophimus & Iocianus Martyres; sed in Martyrol. Rhabani & Florentinij inter nomen Satyri ac Trophimi alia interiungitur clausula, quæ Chalcedoni, aut Alexandriæ Trophimum, Nicomediæ verò Iocianum cum Xisto ascribit.

Accedunt alij Martyres Mediolanensi Ecclesiæ *Quinto Calendas Decembris Lucas, Andreas, Ioannes, Seuerus & Euphemia*.

Hoc in loco existimabunt aliqui, fortasse recoli memoriam Apostolorum ac Euangelistæ, atque ideo iterum ea celebrari, quæ memorauimus septimo Idûs Maij. Sed cùm Seuerus & Euphemia alios comitantur, non Apostolos, aut Euangelistam, sed Martyres eius nominis esse censemus; eius verò nominis legimus plures Martyres in Rom. Martyrologio. Audi Bollandum § 4. in Præfatione Generali in Vitas Sanctorum. *Vehementer quoque dubito* (inquit) *num, qui diuersis diebus referun-*

tur, semper diuersi sint Sancti : an non qui cognomines videntur, præsertim simul plures, ijdem fortasse sint, vel oscitante librario, vel variantibus in dierum serie codicibus, bis descripti : nisi quando alijs iuncti Socijs sint. Quamobrem cùm Seuerus & Euphemia iungantur Lucæ, Andreæ, & Ioanni, non eos, Apostolos, sed Martyres esse arbitramur, præcipuè factâ iam commemoratione Apostolorum die nonâ Maij etiam in Martyrol. apud Florentinium, vti nos indicauimus eo die propter anniuersariam Festiuitatem Apostolorum in Basilica Nazariana. Hos autem Martyres laudant quoque Martyrologium Antuerpiense & Corbeiense; quos Florentinius negat esse Apostolos, tum quia *nullus insignitur titulo Apostolico*, tum quia Lucas præponitur Andreæ ordine martyrij, vel ætatis. Adde, hosce Martyres fortè appellatos nominibus Apostolorum & Euangelistarum, quòd olim (teste Dionysio Alexandrino, quem citat Baronius in Notis Martyrol. Romani ad diem decimum quartum Cal. Martij) *conuersi ad Fidem, Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum Fidem essent amplexi, etiam sibi nomina sumebant.*

Claudit agmen Sanctorum Mediolanensium *Sancta Felicitas Octauo Calendas Ianuarij.*

Felicitatis, quæ Mediolano tribuitur, meminerunt Martyrologium Antuerpiense & Corbeiense; omnesque hosce Cælites vetustius Martyrologium Populis nostrorum Martyrum adiunxit.

Cæterùm redeundo, vnde digressi sumus, Petrum quoque & Laurentium Martyres habemus (de quibus supra tertio Cal. Iunij) conditos olim in Sacra Æde Diui Romani: eorumque nomina descripta sunt in Litanijs, quibus die secundo Rogationum precamur Superos in proximo Templo S. Babylæ, & in Breu. Ambros. edito typis Anno MCDLXXXX., & in Missali Ambros. impresso Anno MDLX. Porrò in eadem Sacra Æde S. Romani peractam fuisse quotannis celebritatem Diuorum Petri & Laurentij tertio Calendas Iunij testatur Calendarium acephalum M.SS. in Bibliotheca Ambrosiana, quod continetur in Libro Epistolarum, quæ in Ambrosianis Liturgijs cani solent.

In eodem pariter Calendario legimus, tumulatos fuisse in Basilica Ambrosiana SS. Marcum & Robustianum, quorum memini supra. Vtriusque Martyris suffragia olim exposcebantur in Basilica Vincentiana, cùm illuc die primo Litaniarum supplicantiū in morem procederemus; verùm de Robustiano meminit Martyrol. Romanum; de Marco autem nihil hactenus vidi, nisi in Breuiarijs & Missalibus Ambrosianis impressis sæculo superiori. Quid si fortasse sint Reliquiæ alterius Robustiani, qui cum Marco martyrium passus memoratur in Romano Martyrol. Pridie Cal. Septembris, ad Basilicam Ambrosianam aduectæ? Ferrarius in Indice Catalogi SS. Italiæ illos ascribit Sardiniæ, cui volens assentior; siquidem in Litanijs Basilicæ Vincentianæ, die primo Rogationum, associantur Marcus & Robustianus Luxorio, Cisello, & Camerino, qui in Sardinia gladio cæsi sunt, vt in Rom. Martyrologio Duodecimo Cal. Septembris; eorum autem Corpora fortasse accepta referimus Sardiniæ.

Alios quidem, nisi Martyres, saltem Confessores, profert Mediolanensis Ecclesia, quos Constantius Imperator Arianarum partium studiosus coniecit in carcerem, cùm Sanctus Antistes Dionysius cum alijs actus fuisset in exilium. Eos commendat Alciatus lib. 4. Hist. Mediol. Constantius *Dionysium & cæteros in extremas Orientis insulas exulare iubet: ciues centum & quadraginta Herculeis thermis sub custodia esse imperat.* Eas autem thermas fuisse proximas Palatio Maximiani credimus; nam earum *ad Laurentij certissimas ruinas adhuc superesse* idem Alciatus eodem lib. 4. testatur.

Alia itidem Christianæ Fidei trophæa ostentat Mediolanensis Ecclesia: cùm cruentis inter Arianos & Catholicos, Ambrosio Antistite, prælijs, multi vitam Christo Domino immolauere. Testis est sanguis concretus in Rotam, qui ad Diui Stephani Basilicam fluxit, quasi Martyrum vectigal ad Protomartyris Templum, quod ex Rota deinde cognomen accepit. Id significat Epigraphe, marmori literis vetustissimis incisa, impendens alteri pilæ, in hanc sententiam:

Rota Sanguinis Fidelium.

Huic autem Epigraphæ & Rotæ alia subest, quam afferimus.

Quis-

Quisquis hanc suspicis Rotam
Monumentum habes cruentissimi prælij
Catholicos inter & Arianos
Diuo Ambrosio Ecclesiæ Mediolanen. Antistite
Cuius precibus
Concurrens antè promiscuus
Cæsorum sanguis Catholicorum
Cum hæreticorum sanguine
Repentè in Rota figuram concretus
Sacrum a profano discreuit
Cognomentumque fecit huic Ecclesiæ
Quòd in eius pauimento
Qui ex aduerso Rotæ iacet
Cauus lapis
Prodigiosè huc deuolutum pium cruorem
Exorbuit.

Cæterùm eam sedem pauimenti, quæ hausit Catholicorum cruiorem, ænei clathri tegunt: Et quamquam Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 54. neget, Diuum Ambrosium vnquam in pugnam descendisse: attamen ibidem ait cap. 36 num. 7. *Ambrosij tempore, cruenta aliquando fuisse inter Catholicos & Arianos certamina, multorumque cædes patratas fuisse*; quod etiam monumentis patrijs plures Auctores tradidere. Eius autem Rotæ meminit etiam Ioannes Rò in libro, cui titulum fecit *Sabati del Giesu di Roma* in exemplo trigesimo octauo. Quid si cruenta illa prælia commissa etiam sint inter Catholicos & Nicolaitas, cùm S. Herlembaldus Dux Fidelium pro Fide Catholica Mediolani decertaret, pro qua martyrium etiam subiuit, sicuti in mense Aprili indicauimus? Necatus ergo ab hæreticis est, quemadmodum etiam Sanctus Arialdus: vt conijcere possimus, alios quoque in vrbe nostra Fideles vitam ob defensionem Fidei Catholicæ libenter impendisse. Quòd autem miraculosè sanguis Catholicorum discretus fuerit a sanguine hæreticorum, miraculum videtur illi simillimum, quod refertur a Baronio in Notis Martyrol. Rom. die tertiâ Nouembris ad literam C. de SS. innumerabilibus Martyribus Cæsaraugustæ. En igitur, secundùm testimonium

S. Ambrosij, tum ex Martyrologio vetustiori Occidentalis Ecclesiæ, tum ex alijs Scriptoribus, *Populi Martyrum*, quos Mediolanensis Ecclesia possidet, *nutrix cælestium militum, & tantarum Parens fœcunda virtutum*. De Martyrologio autem S.Hieronymi vide Bollandum in Præfatione Generali in Vitas Sanctorum cap. 4. §.4.

2. Venio nunc ad agmina Confessorum, Virginumque, qui, aut sub Mediolanensi cælo in lucem prodierunt, aut ad Superos profecti in nostra Vrbe tumulum inuenere. Eorum nomina nobis indicauit Martyrologium Hispanũ, Franciscanum, Comense, Brixianũ, Gyneceum mulierum auctore Arturo a Monasterio, qui Martyrologium pariter Franciscanum vulgauit, Isolanus in Panegyrico Mediolani, Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano, Aloysius Torellus in seculis Augustinianis, & in Vitis Sanctorum sui Ordinis, Ioannes Michael Piò in Vitis virorum illustrium Ordinis Prædicatorum, Dominicus Maria Marchesius in Diario Sacro SS. eiusdem Ordinis, Lucas Vuadingus in Annalibus, & Marcus Vlysiponensis in Chronicis Ordinis S Francisci, Archangelus Gianius in Chronicis Ordinis Seruorum Beatæ Virginis Mariæ, Morigius in Hist. Mediol. lib. 1. cap. 56. & in lib. 2. cap 7. & 8. necnon in Summario lib. 1. cap. 13., Bagatta, in admirandis Orbis Christiani, Bollandus, Henschenius, & Papebrochius in Actis Sanctorum, Ciacconius, atque Oldoinus in Vitis Summorum Pontificum & Cardinalium, alij demum Scriptores plurimi, tam nostrates, quàm exteri. Eorum itaque Confessorum atque Virginum nomenclaturam hìc trademus, secuti eorundem Auctorum testimonia; nempe

Beatus Gregorius X. Pontifex Maximus ex clarissima Gente Vicecomitum, cuius cultus frequentatur in Ecclesia Aretina, & a Placentina desideratur.

Beatus Alexander II. Pontifex item Maximus ex nobilissima Familia Badagiorum.

Beatus Alexander V., qui ab Archiepiscopatu Mediolanensi ad supremam Petri sedem elatus fuit, ac Mediolani Gerontocomium ædificauit.

Beatus Martinus Turrianus Martyr.

Beati Philippus Oldanus, eiusque filij Portius & Fausta.
Beatus Liprandus Presbyter.
Beatus Rolandus Medicæus.
Describam nunc nomina Virorum, qui Ordinibus Religiosis nomen dedere, ac Beatorum numero sunt ascripti; eos ordine referam, ita tamen, vt nulli Religiosorum hominum cœtui iniurius sim, si fortasse alter alteri præferatur; neque enim volumus alicuius Instituti primatum statuere, sed singulos Ordines Beatorum nomenclaturâ insignire, suo cuique agmini decus Ordinis reseruando.

Beati ex Ordine Canonicorum Regularium.

Comes Casatus Cardin., Alboinus Cardin., Petrus de Grossis Cardin., Ioannes Vicecomes Cardin, Thomas Cardin., Ioannes Applanus Cōcionator ad Scythas, Bartholomæus Applanus, & alter anonymus ex eadem Gente Applanorum, Donatus Vicecomes, Petrus Pirouanus, Nicolaus Castillionæus, Augustinus Fagnanus, Antonius Burrus, Clemens Dugnanus, Eustachius Vicomercatus, Basilius Borromæus, Martinus Triuultius, Borgius Mantegatia, Iacobus Glussianus, Leo Caratus Auctor Congregationis de Frigionaria, Francischinus & Seuerinus Marianus, Hieronymus Bossius, Seuerinus Chalcus, Gabriel Borromæus, Eusebius Corradus, Cambius Bossius, Bassianus, Francischinus, Simon, Thadæus, Ambrosius, Christophorus, Bartholomæus, Augustus Landrianus, & Raymundus Turrianus Episcopus Comi, & Patriarcha Aquileiensis.

Ex Ordine S. Benedicti.

S. Anselmus Episcopus Lucensis.

Monachi Beati Hieronymiani.

Iacobus Vglonus, Hieronymus Ripa, Gabriel Montius, Georgius Seronus, Cyrillus a Basilica Petri, Modestus Ferrarius.

Beati ex Ordine Prædicatorum.

Dominicus Socius S. Petri Martyris, Iacobus Puteobonellus Martyr, Iacobus Sitonus, Vincentius Mandellus, Nicolaus Vicecomes, Iacobus Sextius, Paulus Cusanus, Petrus Arconatus, Robaldus Ardigonus, Iacobus Seronus, Paganus de Leuco Martyr, de quo infra, Charinus de Balsamo, Sebastianus de

Brixia, Petrus, Stephanus Serenius, denique Beata Columba.

Beati ex Ordine S. Augustini.

Georgius Cremonensis, Ioannes Paulus Bossius, Andreas, Bilius, Lanfrancus Septala, Antonius Turrianus, Gabriel Sfortia Archiepiscopus Mediolani, Rocchus Porrus, Bonifacius & Paulinus de Mediolano, Luchinus Arconatus, Christina Vicecomes, Felicitas a S. Vrsula, Lucia a S. Vrsula, Beatrix Ruscona, Modesta Bolla, quæ condidit Cœnobium S. Catharinæ ad Clusiam Mediolani, Beata Veronica de Binasco cum Beatis Virginibus, ijsque omnibus alumnis Insignis Monasterij S. Marthæ Mediolani, videlicet Prudentia Casata, Archangela Panicarola, Seraphina, Clara, Thadæa, Iustina, Margarita, Benedicta, & Michelina Ariminensi.

Beati ex Ordine Carmelitarum.

Beatus Iacobinus Eleutherius ex Oppido Louinij ad Lacum Verbanum.

Beati ex Ordine Ambrosianorum, suppresso.

Albertus Besutius, Alexander Cribellus, Ioannes Cribellus, Nicolaus Besutius, Augustinus Morigius, Gulielmus Cribellus, Stephanus Petrasancta, & Antonius Petrasancta.

Beati ex Ordine Humiliatorum, suppresso.

S. Ioannes Oldradus, Beati Guido de Capitaneis, de quo Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num 375., & Vbertus Landrianus, cuius Corpus iacere in Ecclesia Gerontocomij Mediolani testatur Morigius in Sanctuario.

Beati & Beatæ ex Ordine S. Francisci.

Alexander V. Pontifex Maximus, Leo Peregus Archiepiscopus Mediolani, Michael Episcopus Bergomi, Petrus Carcanus Martyr, Antonius Rosatus Martyr, Andreas Cantonus Martyr, Amadeus, Didacus, Iacobus, Demetrius, Christophorus Cribellus, Bartholomæus Cattaneus, Bernardinus Mandellus, Christophorus Macasolius, Seraphinus Castillioneus, Massæus Socius S. Francisci, Xystus Magister in Religione Beati Bernardini Feltriensis, Hieronymus, & alter Hieronymus, Christophorus Modoetiensis, Ambrosius, Bernardinus de Busto doctrinâ insignis, Christophorus Cattaneus, Ludouicus de Blassono, Franciscus Triuultius, Bernardinus Caimus Auctor

tor Sacri Montis apud Varallum, Gentilis de Vedano, Albertus Morigius, Gandolphus Mediolanensis, & Gandolphus de Binasco, Alexander, Anastasius, Christophorus Picinellus, Damianus de Padua Conditor Cœnobij S. Mariæ Gratiarum Modoetiæ, Michael de Busto, Ioseph de Ferno, Antonius Modoetiensis, Iacobus a Castro Leone, Paulus Brixiensis, Ioannes Fassatius, Archangelus de Triuillio, Franciscus a Canobio, Anastasius, Franciscus Sampsonius, Albertus a Sartiano, Christophorus de Varisio, & Antonius de Arzca, denique plurimi Martyres, de quibus paulò pòst.

Beatæ Maria Magdalena, Hieronyma, Maria, Perpetua, Angela, Gabriela, Beatrix Casata, Ioanna Maria Cauenaga, Franciſchina, Paula Maria, Paula Isabella, Archangela de Triuillio, Iulia, Angela, Seraphina, Catharina Cusana, Ludouica Castella, Scholastica, Modesta de Soncino, Hippolyta de Meleniano, Angela Cæcilia Reyna, Catharina Vicecomes, Barbara, Laura Felicitas Saulia, Dorothea Lissona, Felicitas Meda, Isabella Cribella, Felicitas Besutia, Angela Felicitas Parpaliona, Iacoba Cliuata, queis Morigius adiungit Felicitatem a S. Vrsula, & Luciam pariter a S. Vrsula. Tot asseclas habet Diuus Franciscus Sanctitate eximios, remuneratus sic hospitium, quod olim in nostra vrbe incoluit iuxta Sacram Ædem Fulcorinæ. Supersunt tamen adhuc aliqui ex Ordine Minorum, de quibus paulò pòst scribemus.

Beati ex Ordine Seruorum Mariæ Virginis.

Ioannes Angelus Porrus, & Cedonius Modoetiensis.

Beati ex Ordine Iesuatorum, suppresso.

Lucas Cribellus, Nicolaus de Comite, Butius Albutius Episcopus, Hieronymus Ripa, Andreas Cruceius, Bernardus Mandellus, & Anselmus Cattaneus.

Hæc agmina sunt Religiosorum, Beatorumque virorum & Fœminarum; nunc de nonnullis singillatim dicamus. Et primò quidem ex Ordine Minorum occurrunt Anselmus & Laurentius, quorum Corpora sæpenumero aspeximus in Sacrario Ecclesiæ S. Mariæ Pacis Mediolani: & ambos in Beatorum Albo descripsit Auctor Martyrologij Franciscani. Quam benè verò homines de Anselmo fuerint opinati, licet conijce-

re ex Breuibus literis Xysti Papæ IV., quas iuuat depromere ex Tabulario Cœnobij S. Mariæ Pacis.

Xystus P.P. IIII.

Dilecti Filij salutem & Apostolicam Benedictionem. Supplicari nobis humiliter fecistis, quòd cùm quondam Frater Anselmus Regulæ & Societatis vestræ, propter singularem, dum vixit, Religionis obseruantiam, a multis Christifidelibus in Ciuitate Mediolani in præcipua habeatur deuotione, non sine manifesta ostensione miraculorum, dignaremur vobis licentiam concedere, vt eius Corpus, satis humili loco pro eius meritis sepultum, exhumare, & alio loco reponere possitis. Nos consolationi & deuotioni Fidelium in hac parte consulere volentes, vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati, vobis Corpus eiusdem olim Fratris Anselmi exhumandi, & illud in alio decentiori loco & sepultura, prout deuotioni Fidelium placere cognoueritis, recondendi licentiam & facultatem concedimus & elargimur, Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis iuramento, vel aliàs roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Nouembris MCCCCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

Subscrip. *L. Grifus.*

A tergo. *Dilectis Filijs Guardiano & Fratribus Ecclesiæ S. Mariæ de Pace de Mediolano Ordinis Minorum de Obseruantia Societatis Fratris Amadei de Hispania.*

Hic verò Amadeus ille idem est, de quo supra egimus Quarto Idûs Augusti. Nullo tamen adhuc cultu Anselmus & Laurentius sunt insigniti: sed in arcis seiunctim tumulati, prostant vtrinque in Sacrario Ecclesiæ S. Mariæ Pacis. In eodem pariter Franciscani Ordinis Martyrologio, Octauo Idûs Nouembris, legimus Elogium eiusmodi. *In Insubria prope Mediolanum commemoratio plurimorum Beatorum Fratrum, qui, cùm pestis sæuissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere: quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consueuit;* queis simillimos Martyres, eodem videlicet mortis genere defunctos, totidem planè verbis commendat Romanum Martyrologium Pridie Cal. Martij.

Ad

Adhæc in Templo Gratiarum Mediolani est ara quædam minor, Sacris minimè idonea, in qua custoditur Corpus Beati Iacobi Mediolanensis; porrò eam spectamus in Sacello Deiparæ Virginis: ac præfert in fronte hanc Epigrapham. *Hìc iacet Corpus Beati Iacobi de Mediolano Ordinis Prædicatorum*, cuius egregias virtutes narrant Piò, & alij Scriptores.

In Sacra Ædæ S. Mariæ Coronatæ Mediolani posita est Ara Diuo Augustino, vbi quiescit Corpus Beati Georgij Cremonensis, cuius mentionem inijcit Molanus in Martyrol., Decimoseptimo Cal. Septembris, eiusmodi Elogio. *Mediolani in Monasterio Coronatæ, Ordinis Fratrum Eremitarum Beati Augustini, Depositio Beati Georgij Cremonensis, qui vitæ, Sanctitatis, & miraculorum gratia fuit insignis.* In superliminari verò Portæ huiusce Templi legimus hanc Epigrapham. *Illustrissimus D.D. Franciscus Sfortia Vicecomes, Ducali insignitus corona, in signum deuotionis, Coronatæ Virgini Templum hoc construi fecit, suadente Beato Georgio de Cremona huius Monasterij Fundatore Anno MCDLI.* Eiusdem itidem Beati Georgij meminit Peregrinus Merula in Libro, qui præfert hunc titulum: *Nobilissima raccolta de Cremonesi in Santità insigni & eminenti.*

In Templo Insigni Beatæ Virginis Montanæ prope Varisium asseruantur Corpora duarum Virginum eius olim Cœnobij incolarum, & quidem Ordinis S. Augustini, nimirum Beatæ Catharinæ de Palantia, & Beatæ Iulianæ. Earum Virtutes eximias commendant plures Scriptores, nempe Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus Mediolani (cuius memoria pariter in benedictione est) in Libro, qui typis editus est, eiusque titulum nuncupauit *De amore Virtutis*, vbi in Libro 7. eum disertè titulum legere est, nempe *Facta & dicta Beatæ Catharinæ & Beatæ Iulianæ*: atque affert præclaras etiam laudes aliorum, tam virorum, quàm fœminarum, præsertim Mariæ Catharinæ Bugoræ Sanctimonialis cuius Corpus nullam adhuc tabem sentiens asseruatur Mediolani in Cœnobio S. Margaritæ. Earum verò Catharinæ & Iulianæ virtutes, simulque Benedictam Bimiam, atque Lucretiam Alciatam Antistitas laudauit Cæsar Tettamantius in Historia Beatæ Virginis Montanæ, cuius testimonio Papebrochius in Actis

San-

Sanctorum, Octauo Idûs Aprilis, laudibus extollit Beatam Catharinam Palantinam,& Hieronymus a Basilica Petri in Libro sacrarum Ephemeridum Aprilis. Beatæ Iulianæ Vitam vulgauit typis Petrus Augustinus Crispus: Beatæ verò Catharinæ Vitam scripsit Morigius lib. 3. Hist. Mediol. cap. 3., eiusdemque pariter meminit in Sanctuario, in Summario rerum memorabilium Mediolani, in Historia Sacri Montis, necnon in descriptione Lacûs Verbani.

Neque verò præterire possum nomenclaturam Sanctorum Archiepiscoporum Mediolani, quos nonnulli triginta sex tantùm fuisse putant; ego plures vtique indicabo. Iis igitur, quorum nomina iam in Romano Martyrologio sunt descripta, accedunt S Mauricillius, S. Ampellius, S. Natalis, S. Theodorus, S. Laurentius, S. Thomas. In Dissertat. Nazar. Puricellus cap. 127. num. 2. ex fide cuiusdam codicis M. SS. enumerat inter Corpora Sanctorum iacentia in Basilica Nazariana, Corpora Archiepiscoporum Arefredi, Angelberti, Anselmi,& Henrici, seu potiùs Arderici. Alij inter Sanctos Antistites Mediolani collocant Arnulphum II., & Arnulphum III., inter Beatos autem, Vitalem, Stabilium, Anselmum Bilium, Obertum Pirouanum, qui exul decessit Beneuenti, ne schismati Imperatoris Federici Ænobarbi consentiret: ac propterea laudatur a Mombritio in Vita S. Galdini,& ab Hilarione Monacho; quorum testimonia consignauit Puricellus Monumentis Basilicæ Ambros. num. 431.&480. In Missali quidem Ambrosiano typis edito Anno MDLX., non modò Sexto Nonas Martij Vitalis Archiepiscopus appellatur Sanctus: verùm Nonis Maij proponitur Festum S. Dominici Episcopi Mediolani. Nos S. Dominicum Brixiensis Ecclesię Episcopum nouimus, quem Tertio decimo Cal. Ianuarij memorat Romanum Martyrol.: sed nemo hactenus eius nominis Mediolanensi Ecclesiæ præsedit. His adde Beatum Lætum Marcellinum, atque ex nonnullorum Auctorum testimonio Diuum Arsatium, cuius certus est cultus in Basilica Protomartyris, vt infra ostendemus Pridie Idûs Nouembris.

In Martyrologio Franciscano tres item Beati commemorantur, videlicet Alexander Papa V., qui, vt diximus, Metropolim

Ambrosianam rexit, item Leo Peregus Archiepiscopus, & Iacobus Picentinus, cuius mentionem faciemus die vigesimâ octauâ huiusce Mensis; quos certè Mediolanensis Ecclesia, vti suos Antistites, veneratur. Auctores Chronicorum Ordinis S. Augustini, præter Diuum Simplicianum, etiam Gabrielem Sfortiam Archiepiscopum Cælo donatum tradunt, testibus Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ, & Torello tomo 7. sæculorum Augustinensium, qui illum Beatorum agmini associant.

Hos sequuntur tres prorsus ignoti Archiepiscopi, nimirum S. Marinus, S. Sabinus, S. Gundulphus. S. Marini, de quo egimus supra die vigesimâ tertiâ Iulij, nemo hactenus meminit, nisi Hermannus Crombach in Historia Vrsulana. Ripamontius Dec. 2. lib. 2. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ irrepsisse autumat nomen Marini Episcopi in Monumenta S. Victoris, ac nomen iccirco S. Materni reponendum. Vtinam tamen saluum sit iudicium Ripamontij, cùm lacunam ingentem temporum inter Monam & Maternum reperiamus. De Sabino agunt Petrus de Natalibus, Iacobus Ianuensis, & Ludouicus Zacconus.

Vnus superest Gundulphus Archiepiscopus, cuius res gestas legi in lib. 4. Benedicti Gononi Burgensis, qui inscribitur *Vitæ & Sententiæ Patrum Occidentis*. Narrat ergo Gononus, Gundulphum abdicasse se Mediolanensi Archiepiscopatu, seque contulisse Biturigas, ibique vitam eremiticam duxisse. Nititur auctor testimonio Tabularum & Breuiarij Ecclesiæ Mediolanensis (in quibus tamen nunquam inuenimus nomen Gundulphi) Breuiarijque Bituricensis: ait, eius Corpus delatum fuisse ad Oppidum Nobiliacum: testatur, se vidisse eius sepulcrum in vmbilico Odæi, sed in præsens eiusdem Corpus fuisse ab hæreticis combustum, atque in cineres redactum: ibi demum coli die decimâ septimâ Iunij. Et quidem in Martyrol. Romano, Quinto decimo Cal. Iulij, fit mentio S. Gundulphi Episcopi in pago Bituricensi: verùm, neque in Notis Baronianis, neque in vllis Necrologijs, hunc Gundulphum fuisse Mediolanensem Archiepiscopum legi. Et licèt, vti antea memorauimus, nonnullæ vrbes Transalpinæ Mediolanum appellentur, earum tamen nulla est Archiepiscopalis, sicut putamus, nisi hæc, quæ Insubrum est princeps. Andreas du

Saussay in Martyrol. Gallicano, die septimâ Septembris, inter Cælites Metensis Ecclesiæ collocat Diuum Gundulphum eiusdem Antistitem; quem tamen, nec Claudius Robertus, nec Sammarthani in Gallia Christiana Sanctum vocant. Itaque nodum hunc alij soluant; mihi Alexandri gladius deest. Et fortasse Gononus fuit hallucinatus; ex Oppido quodam Biturigum, quod a Latinis Mediolanum, a Transalpinis *Meun* appellatur (de quo Michael Antonius Baudrand in Lexico Geographico Ferrarij) censeo errorem coaluisse: vt deinde Diuus Gundulphus, relicto Mediolano, se contulerit Biturigas, vbi summâ austeritate vitam transegerit. De Archiepiscopatu autem illo, quem S. Gundulphus repudiauit, quid scribam, prorsus nescio.

Attamen vir doctissimus Philippus Labbe tomo 2. Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum impresso Parisijs anno 1657. pag. 386. ex codice M.SS. Ecclesiæ S. Austregisili de Castro hæc deprompsit de S. Gundulpho. *Fidelibus populis Deum intimasse credimus, quatenus Corpus Beati ac pijssimi Gundulphi Mediolanensis Archiepiscopi ad honestum sepulturæ locum transferrent. Hic namque propter mala suæ Ciuitatis, quæ per eum Dei iustitia nondum sedare disposuerat, ab eadem vrbe digrediens, comitante grege discipulorum suorum ac sociorum, transcensis alpibus, Bituricas partes adijt, & syluam vastitate eremi a frequentia humanæ conuersationis & accessu valde remotam inibi reperiens, eremiticæ vitæ & contemplationi vacare studuit.* Hæc Labbe; sunt autem Bituriges Galliæ Aquitanicæ populi.

Si igitur Gonono & Labbe credimus, ecce Antistes Sanctissimus quem Mediolanensis Ecclesia ignorat. Verùm quibus Patriæ nostræ malis coactus est solum vertere? Aut quo tempore præfuit Metropoli Ambrosianæ? In illa prorsus temporis intercapedine, quâ vacua fuit Mediolanensium sedes inter SS. Lazarum & Eusebium, sæuiente Attylà Hunnorum Rege. Id apertè Besutius testificatur in Hist. Pontificali in Vita S. Eusebij. *Era a quei tempi vacata per lungo spatio di tempo la Sede Archiepiscopale &c.* sed ante Besutium Acta Mediolanensis Ecclesiæ in Eusebio illud docuerant. *S Eusebius Paganus, Mediolanensis, Ecclesiæ Ambrosianæ, quæ ob Gothorum* (verius

rius Hunnorum) *immanes excursiones diu vacauerat, instaurator vigilantissimus &c.* Hoc tempore verosimile est, Gundulphum cum discipulis suis in Gallias secessisse, quorum Gregem nobis tunc ademptum fuisse dolemus.

Alterius quidem Gundulphi, siue Gandulphi Episcopi & Confessoris, superest memoria Quinto Idûs Maij in Oppido Sexti Calendarum ad Lacum Verbanum; sedenim cùm eius Gandulphi acta perierint, autumant incolæ, eum Burgundum aliquem Episcopum fuisse, qui illac iter faciens migrarit in Cælum. Carolus a Basilica Petri lib. 1. Nouariæ Sacræ Gangulphum hunc Martyrem vocat; *in eius Ecclesia (ait) Sexti altari præcipuo colitur Corpus S. Gangulphi Martyris, cuius Martyrologia meminerant xi. mensis Maij, & S. Antoninus Parte 2., & Surius Vitam edidit. Quis huc transtulerit e Burgundia, non reperi. Sed in loca huiusmodi Insignia, vt alibi diximus, a viris Insignibus possessa, facilè per sæculorum spatia res tanti pretij illatæ sunt;* eius autem Gangulphi meminit etiam Morigius in Sanctuario.

Sedenim hic Gundulphus siue Gangulphus ad Mediolanensem Ecclesiam non pertinet, verùm ad Ticinensem, in cuius Diœcesi Oppidum illud continetur. Locus quidem Insignis est, vti docet Carolus a Basilica Petri; etenim ibi Abbatiam Insignem instituit Luitardus Episcopus Papiensis, quam deinde Pius IV. Pontifex Maximus Nosocomio Mediolanensi addixit. Illud autem Oppidum laudat Ferrarius in Lexico Geographico, Castillionæus de sedibus antiquis Gallorum Insubrum, Gaudentius Merula lib. 1. cap. 6. de Gallorum Cisalpin. antiquit., qui ideo censet, illud appellari *Sextum Calendas*, siue *Sextum Calendarum*, quòd olim rustici eo die mensis illuc confluerent, vel ad nundinas, vel ad sacrificia: cùm ibi Epigraphæ vetustissimæ reperiantur, & aræ cultu Herculis, Mercurij, & Syluani irreligiosæ. Rustici enim Insubres colebant præcipuè Syluanum; vnde S. Valeria rediens Rauennâ Mediolanum, in rusticos homines incidit Syluano sacrificantes, quorum furore perculsa, quòd eorum impietati consentire nollet, triduo pòst migrauit in Cælum. Illud quoque Oppidum Sexti appellatur Scozzula, vt videre est in libro 2. Epistolarum De-

cretalium Innocentij Papæ III. in literis ad Philippum Archiep. Mediolani.

Cæterùm redeundo ad Antistites Metropolis Ambrosianæ, si vera narrant Auctores, quos antea citaui, S. Gundulphus sequi poterit in serie Archiepiscoporum S. Lazarum, S. Sabinus Diuum Honoratum, fortasse eo tempore peregrinatus ad Mõtem Sinai, quo Iuntus Frontonius Pseudoepiscopus simoniacè Cathedram Mediolanensem tenuit annos decem.

Verùm quid de S. Marino Mediolanensi sexto apud Crombach? De Historia Vrsulana dissidet & variat sententia; aliam tuetur Baronius, aliam multi auctores citati ab eodem Baronio in Notis Martyrol. Rom. ad diem 21. Octobris. Itaque si opinio illorum putantium, Diuam Vrsulam fuisse cum suis Virginibus peregrinatam, est vera, quid dicis de Marino? Hic, si fuit Mediolanensis sextus post S. Barnabam, seculo videlicet tertio ineunte (vti Chalcus annos computat) ad implendam lacunam temporum, quæ interest inter Monam & Maternum, quomodo peruenire potuit ad Vrsulæ peregrinationem, quæ, teste Sigeberto, contigit anno CDLIII.? Deinde qualis erat Marinus, cùm iuit peregrinatum? An se abdicauerat Pontificatu Mediolanensi, quando eidem, interiecto tam longo temporis spatio, tot iam Antistites successerant? Hæc est difficultas Chronologiæ: illa verò est rei. Nam verè inuentus fuit Titulus sepulcralis S Marini: Diui Maromius & Mallusius delati sunt ad suas vrbes: nec nisi noster Antistes esse potuit Marinus, quando habuit itineris comites Episcopos suos suffraganeos, nempe Nouariensem, Laudensem, & Cremonensem. In hac quæstione res mihi hæret; eam quoque viri docti examinent, & controuersiam dirimant.

TERTIO NONAS NOVEMBRIS.



Ediolani Sanctæ Latinæ, quæ virginitatis florem cum martyrij palma coniunxit. Eius Corpus in Templo Sancti Georgij ad Palatium asseruatur, vbi

eius

eius Festiuitas anniuersario cultu celebratur.

NOVEMBRIS 3.

EX Visitatione S. Caroli, & Cardin. Federici Borromæi Archiep., ex Vghello tomo 4. Italiæ Sacræ col. 42., ex Morigio in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 8., atque in Sanctuario, ex Villa de Septem Ecclesijs Stationalibus, item ex consuetudine huiusce Ecclesiæ Collegiatæ venerantis Officio Solemni S. Latinam, cuius etiam opem inibi in Litanijs Triduanis imploramus. Meminit quoque S. Latinæ Guifredus Busserus in Vitis Sanctorum; verùm in illo codice homiliam potiùs legimus de S. Latina, quàm eiusdem Virginis facta. Augustinus Parauicinus Scriba quondam intimus Ducum Mediolani in calce suorum Chronicorum tradit, Corpus S. Latinæ dono datum fuisse a Raynaldo Antistite Coloniensi Diuo Natali Archiepiscopo Mediolani, qui, cùm Templum Georgianum opibus amplificasset, lipsanis etiam Sacris S. Latinæ locupletare voluit. Sed enim cùm solus Parauicinus hæc narret, nec nos eiusmodi vnquam Chronica viderimus, existimarem potiùs, Diuæ Latinæ Corpus delatum fuisse Româ Mediolanũ; siquidem Florentinius in Martyrologio antea memorato, Quarto Nonas Iunij, meminit S. Latinæ Martyris. Certè etiam Brixiensem Ecclesiam, Domitiano Imperatore, S. Latinus gubernauit, cuius perennat memoria in Martyrol. Rom. Nono Cal. Aprilis. Immo si S. Latinus Episcopus (cui nomen proprium Flauius) fuit ex Latina familia, quemadmodum docet Ferrarius in Catal. SS Italiæ, fortasse etiam Virgo Latina ex eadem Gente procreata est. Et quidem in Epigraphe S. Latini fit mentio Latinillæ; eam verò Inscriptionem affert Baronius in Notis ad diem natalem S. Latini, Ferrarius in Catal. paulò antè citato, Bollandus in Actis Sanctorum, & Faynus in Martyrol. Brixiano. Ea autem est eiusmodi.

Fl. Latino Episcopo An. III. M. VII.
Presbyt. An. XV. Exorc. An. XII.
Et Latinillæ
Et Fl. Macrino Lectori
Fl. Paulina Neptis B. M. P.

Quid-

Quidni igitur Latinus, Latina, & Latinilla fortaſsè conterraneæ ſint, vt Latinæ Corpus fuerit huc Româ deuectum: aut Latina ad Brixienſes commigrauerit cum Latino, ac deinde martyrio Brixiæ, aut Mediolani coronata, noſtram vrbem ditauerit: vti Clateus Brixiæ Epiſcopus martyrium obijt Mediolani? Vt autem res ſe habeat, ſi Corpus Latinæ delatum eſt Coloniâ fortaſse illa eſt ex Sociabus S. Vrſulæ; ſi Româ, Latini Epiſcopi fortè conſanguineam fuiſse haud iniquè putabimus. Faynus arbitratur, Diuum Latinum fuiſse ciuem Brixianum *de Familia Latina*; ſi vera tradit, & Latina prodijſſe potuit ex eadem vrbe & Familia. Cæterùm Baſilicam S. Georgij, de qua agit Puricellus in Diſsertat. Nazar. cap. 47. ideo aiunt appellatam ad Palatium, quòd eidem proximum eſset Palatium Imperatoris; nos de hoc cognomine ſatis diſputauimus in libro 1. de Pontificatu Gaſparis Vicecomitis. De Palma martyrij (quæ formula dicendi frequens eſt in Martyrologio) vide Notas Martyrologij Romani ad Calendas Ianuarij ſub litera *h*.

PRIDIE NONAS NOVEMBRIS.



Ediolani Sancti Caroli Cardinalis & eiuſdem vrbis Epiſcopi, quem Sanctitate conſpicuum & miraculis clarum Paulus Quintus in Sanctorum numerum retulit.

NOVEMBRIS 4.

SOlicitudo Paſtoralis Diuum Carolum ita reddidit glorioſum: vt iam toti terrarum Orbi clariſſimus ſit, ideoque luminibus meis non indigeat. Indicabo igitur tantùm auctores, qui de illo ſcripſere. Agunt ergo de S. Carolo Breuiarium, Miſsale, ac Martyrologium Romanum, Breuiarium & Miſsale Ambroſianum cum Miſsa propria: item Martyrologium Franciſcanum, in quo eiuſmodi Elogium legimus, videlicet.

delicet. *Mediolani Sancti Caroli Borromæi Archiepiscopi & Cardinalis, necnon totius Ordinis Fratrum Minorum Protectoris, qui illustrissimo natus genere, gregem sibi commissum, mira Pastorali solicitudine rexit, & ob præclara ipsius miracula a Paulo V. Pontifice Maximo in Sanctorum numerum est relatus;* eius autem Sanctitatis amplissimum perhibet testimonium Bulla ipsa Canonizationis. Illius Vitam scripsere Latinè Carolus a Basilica Petri, & Ripamontius: Italicè Glussianus, & Antonius Posseuinus. De illo pariter meminere Cardinalis Augustinus Valerius, Vghellus tomo 4., Alphonsus Ciacconius, Augustinus Oldoinus, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Liber Successorum S. Barnabæ, Franciscus Adornus, qui fuit illi a Confessionibus, in Libro de Sacris Peregrinationibus, Bagatta tomo 2., Ioannes Boterus in Libro, cui titulus: *Detti e fatti degli vomini illustri*, Marcus Aurelius Grattarola in Libro, quem inscripsit: *Successi marauigliosi della veneratione di S. Carlo*, Ioannes Petrus Bimius, Besutius in Hist. Pontific., Bucelinus in Rhætia ad annum MDLXXVI. & seq., Brautius in Martyrologio Poetico:

Maior es eloquio: mens te non concipit: vno
In Carolo victus sensus vterque stupet.

Sociacus lib. 1. Epigrammatum laudes Diui Caroli canit: eique accedit Bulzius in Larario Poetico, ex cuius multis carminibus nonnulla decerpsimus.

S. Carolus Borromæus
Ticini puellas veneres fugat.

Repit in occlusos Siren immissa penates
Fronte venusta, dolis flectere quosque potens.
Horret ad effrontis castus puer ora Cytheræ:
Vixque scit infamem, qua fuget arte, lupam.
Denique trux vultu, furijsque furentior ipsis,
Virgineo extrudit Cypria monstra lare.
Sæpe aliàs iuuenis niueum temerare pudorem
Nympha studet: sed vi vincitur illa pari.
Dans operam studijs Ticini hæc Carolus egit:
Discit ibi hæc nemo, quin ibi nemo docet.
Pila sclopo emissa impunè tangitur.

E ferro

E ferro pila prodijt cauato:
Ast innoxia Carolum petiuit:
Non læsit, puto, Purpuram, quòd illã
Dum pertransijt, induit ruborem.

Aliud

Principis vt sacrum tetigit glans plumbea tergum,
In tergo nusquam plaga cruenta fuit.
Feruorem Diuum feruore liquabile plumbum
Sensit, & hinc factum mollius haud nocuit.

Mortuus dum effertur, leniter pluit.

Mysta decus procerum heu cecidit iam Carolus! eheu
Quam mæstè exanimem nigra pheretra vehunt!
Atrato proceres funus comitantur amictu:
It cum pullato tegmine diues, inops.
Tristia contenebrant vacuum suspiria Cælum:
Cantus hiat mæstus: fuscaque tæda nitet.
Tristitiæ signis superus non abstinet orbis:
Testatur fletus imbribus ille suos.
Lenis at est imber; siquidem turbare recusat
Funera: dumtaxat vult lacrymare Polus.

Reliqua in Diuum Carolum Epigrammata in eodem Larario lege, vbi auctor suæ pietati satisfacit. Deuotionem quoque suam erga Diuum Carolum significauere Proceres plurimi Europæ, qui argenteo, aureo, gemmeoque anathemate plurimo, illius tumulum exornauere.

Ordines verò nobilissimi Carmelitarum & Clericorum Regularium S. Pauli Diuum Carolum vti Patronum suum colunt: & Leodij institutum fuisse Sodalitium sub titulo & Patrocinio S. Caroli auctor est Mercantius in Horto Pastorum tract. 5. sect. 5.. Potentissimus etiam Rex noster Carolus II. Hispaniarum ac Mediolani Dominus mandauit (quod ad amussim in Basilica Metropolitana Mediolani quotannis fit) vt Octaua S. Caroli ibidem, apparatu regio planè, pompâque magnificentissimâ, celebraretur, literis in hanc sententiam ad Principem de Ligny Gubernatorem Mediolanensis Prouinciæ exaratis.

Illustre Principe de Lignè.

HAuiendo entendido, que en el Domo de essa mi Ciudad se celebra cadanno con le solemnidad, y adorno, que se deue, la Fiesta de San Carlos Borromeo Arcobispo, que fue de essa mi Ciudad, donde se venera su Santo Curpo, para mayor culto suyo, y atendiendo alla veneration, en que deue estar mi Catholico Zelo, quando tengo su nombre, y al gran consuelo, que resaltarà a estos mis vassallos, y sus deuotos. He tenendo por bien de venir en declarar, como por la presente declaro, por Fiesta Real, y como a sal os encargo, y mando, y a los Gouernadores, que os succedien, assistay en ella en mi Real nombre con el Consejo Secreto, y los de mi Tribunales, disponendo, se haga Salua Real en el Castillo de essa Ciuidad, y se continue la Octaua en la misma Iglesia del Domo, como se acostumbra en la Nouena della Immaculada Conception de Nostra Senora en la Iglesia de San Celsos, que sarà para mi de mucho agrado, y estimation. Dat en Madrid a 22. Decembre de 1677. annos.

Subscrip. **Yo el Rey.**

Cùm enim Philippus IV., Pater Caroli II., Rex Hispaniarum Patrocinio Beatæ Virginis Mariæ Prouincias, Regnaque sua omnia commisisset, nouendiale propterea Sacrum suis in Prouincijs instituerat. Ei autem Sacro faciundo in Templo Deiparæ iuxta S. Celsi (de quo redibit mentio die trigesimâ Decembris) conueniunt singulis annis Liturgi Metropolitanæ atque aliarum identidem Collegiatarum cum Magistratibus atque Ædilibus vrbis. Æmulatus igitur Carolus II. eximiam patris sui pietatem, S. Carolo Borromæo Patrono suo Festum ad octauam vsque diem cultu sumptuoso celebrari iussit: isque cultus inchoatus est anno MDCLXXIX.

Solemni olim pompâ delatum est per vrbem, grassante pestilentiâ, Corpus S. Caroli: verùm anno MDCXXXVIII. seipsam Ciuitas pompæ solemnioris apparatu ac certamine vicit, cùm antea feralis facies mortis lætitiam omnem cæremoniæ negasset. Eo igitur anno compositum fuit Corpus Diui Caroli in arca argentea, quam sexaginta millibus aureo-

rum nummum stetisse fatetur Ripamontius in fragmento historiæ, quod subiecit Libro *de Peste*, vbi pag. 60. descripserat celebritatem, quâ ad pestem auertendam illud Corpus delatum fuerat. Arcam eam describit ibidem elegantissimè Ripamontius, quam dono dedit Diuo Philippus IV. Rex Hispaniarum, narrando itidem casum, quo, miraculi penè instar, inuenta fuit in monte Gliciga in Valesianis crystallus magna & nitida, quæ argento auroque inclusa oculos lumine perstringit, & aspectu Corporis ad venerationem inuitat. Hic planè tumulus pretiosissimus pretiosissimis artubus debebatur.

NONIS NOVEMBRIS.


Ediolani Sancti Magni eiusdem vrbis Episcopi, cuius charitas erga pauperes, præsertim carcere inclusos, fuit admiranda.

NOVEMBRIS 5.

CVltum fuisse Diuum Magnum Calendis Nouembribus docet Breuiarium Ambrosianum; & reuera Cœnobitæ Dominicani, qui Eustorgianam Basilicam tuentur, vbi eius Sacrum Corpus in arca marmorea requiescit, die tertiâ Nouembris illius Festiuitatem celebrant, vtpote propiore Calendis, quæ Omnibus Sanctis sunt dicatæ. Hunc autem cultum S. Magni die ipso Calendarum inuenimus quoque in Calend. Breuiarij Ambros. impressi Anno MCDLXXXVII. & Anno MCDLXXXX., item in Calendario Missalis Ambrosiani editi Anno MDLX. & Anno MDXXXXVIII., denique in Calendario Psalterij Ambrosiani editi Anno MDXXXX. & MDLV.. De S. Magno autem vide Martyrol. Romanum, Breuiarium & Missale Ambrosianum, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Catal. M.SS., Galesinium in Martyrol., Vghellum tomo 4. Italiæ Sacræ, Ferrarium in Catal. SS. Italiæ, Besutium in Hist. Pontific., Librum Successorum S. Barnabæ, Ripamontium

Dec-

Dec. 1. lib. 7. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, & Isolanum in Panegyrico vrbis Mediolani. De eo Brautius pepigit Distichon in Martyrol. Poetico.

Vrbis erat Magnæ Præsul, quem nomine Magnum
Excelsus voluit magnificare Deus.

SEXTO IDVS NOVEMBRIS.


Vrbigi in Diœcesi Mediolanensi Sancti Victorini, cuius Sacrum Corpus delatum ex Vrbe, ibidem in Ecclesia Sanctorũ Cosmæ & Damiani piè seruatur.

NOVEMBRIS 8.

EX Tabulario huiusce Ecclesiæ, in qua plura sacra lipsana custodiuntur. Romam autem per antonomasiã appellari Vrbem, cùm aliæ vrbes vocentur Oppida, testis est Quintilianus lib. 9. cap. 2., Valla & alij. In eadem Ecclesia. Quarto Calendas Decembris celebratur Festum cuiusdam S. Martyris anonymi; verùm cùm careat nomine, illum ideo missum facimus. Ex hoc Pago Turbigi orti sunt Sancti Haymo & Vermundus, de quibus egi in mense Februario, vti videre est in Officio eorundem SS. impresso Mediolani Anno MDXXXXV. quod mihi legendum obtulerunt humanissimæ Sanctimoniales Cœnobij celebris Medæ simul cum eorundem Vita M.SS. in membrana.

QVINTO IDVS NOVEMBRIS.


Ediolani Sancti Aurelij Episcopi & Confessoris, qui Redicianæ vrbis in Armenia Antistes, cùm Corpus Beati Dionysij Archiepiscopi, sicuti ille

mandauerat, Mediolanum detulisset, ibidem obdormiuit in Domino.

NOVEMBRIS 9.

EX Martyrol. Rom., in quo octauo Cal. Iunij fit mentio S. Aurelij, ex Missali, Breuiarioque Ambrosiano, ex Calend. acephalo M.SS., ex Martyrol. M.SS. in codice Antiphonarum, qui olim erat Basilicæ Georgianæ Mediolani, nunc verò asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana, ex Baronio tomo 4. Annalium ad Annum CCCLXXV, ex Mombritio, Castillionæo in Libro Antiquitatum Mediolanensium Parte 1. Fasciculo 1., Ferrario in Catal. SS. Italiæ, ex Ripamontio Dec. 1. lib. 3 Hist. Eccl. Mediolanen., ex Alciato lib. 4 Hist. Mediolanensis, ex Carolo a Basilica Petri in Hist. Mediolanen. in Vita S. Dionysij Archiepiscopi, ex Hieronymo a Basilica Petri in lib. Sac. ephemeridum die 25. Maij in Vita S. Dionysij hæc ex Actis Sanctorum depromente, atque ex alijs Scriptoribus rerum Mediolanensium. Brautius in Martyrol. Poetico, quòd Corpus S. Dionysij Mediolanum deuexerit, Distico laudauit S. Aurelium.

De S. Aurelio Episcopo Armeno.

Præsulis in propriam Corpus tulit exulis vrbem
Præsul: ibique suum morte sopitus humat.

Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ col. 28. meminit S. Aurelij: cuius tamen Corpus ait col. 1025. & 1054., translatum fuisse Vercellas, donatum videlicet ab Archiepiscopo Mediolanensi; quod dono acceptum Nottingus Vercellarum Episcopus in Cœnobium Hisaugiense in Germaniam transferendum curauit; quod etiam scribit ad S. Carolum Galesinius in Epistola die 22. Iulij anno MDLXXV., vt ex illius literis archetypis in Bibliotheca Ambros. tomo 12. Epistolar. S. Caroli. Sed enim cùm S. Carolus Cardinalis Archiep. Corpus S. Aurelij, ineunte Anno MDLXXVIII (si credimus Glussiano in Vita eiusdem S. Caroli lib. 5. cap. 2.) condiderit sub ara Confessionis in Metropolitana vna cum plurium aliorum Sanctorum Corporibus, descendere nequeo in sententiam Vghelli. Attamen

Caro-

Carolus à Basilica Petri patrocinatur Vghello in Vita S. Dionysij, vbi fusè agit de Corpore S. Aurelij secundùm ea, quæ Tritemius tradidit in Hist. Monasterij Hisaugiensis, hæc denique statuens. *Quod Reliquias S. Aurelij Mediolano translatas dicit* (Tritemius videlicet) *de omnibus non est accipiendum, sed tantùm de earum parte; Mediolani enim pars remansit in Ecclesia Maiori, vbi nos Caput, & quasdam alias Reliquias vidimus.* Ergo testi oculato credendum est (sicuti etiam supra docuimus ad diem decimum octauum Calendas Iulij) atque affirmandum, Reliquias S. Aurelij, & in Basilica primaria Mediolani, & in Cœnobio Hisaugiensi iacere.

Olim quidem cùm Corpus alicuius Sancti aliò transferretur, eiusdem pars reliqua custodiebatur in priori loco, nec tota Corporis moles exportabatur. Quod animaduertit Ansossius lib. de cultu Sac. Reliq § 15., tradens etiam ibi num. 23., rarò Corpora Sanctorum inueniri integra. Diui Aurelij meminit quoque Galesinius hâc die in Martyrol.: Molanus verò die vigesimâ quintâ Maij, vbi testatur, eiusdem S. Episcopi Corpus translatum fuisse ad Monasterium Hisaugiense. Hoc autem Cœnobium cùm Nottingus instituisset, vt narrat Vghellus in Episcopis Vercellensibus tomo 4. Italiæ Sacræ, dono eidem postea dedit Reliquias S. Aurelij, quas ab Angelberto Pusterla Archiepiscopo Mediolani accepisse vero simile est, cùm eiusdem Nottingi esset æqualis.

PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.



Ediolani, in Basilica Protomartyris, Sancti Arsatij Episcopi, qui bene gesti Pontificatûs annos æternitatis gloriâ coronauit.

NOVEMBRIS 12.

EX consuetudine huiusce Ecclesiæ Collegiatæ celebrantis anniuersario Officio Festum S. Arsatij, cuius meminit Morigius lib. 2. Hist. Mediol. cap. 8. Difficile tantùm est statuere,

tuere, an fuerit Arsatius Antistes Mediolanensis Ecclesiæ. Et quidem fuisse Mediolanensium Archipræsulem indicant vetusta Breuiaria Ambrosiana, præsertim edita Anno MCDLXXXVII., Missale Ambrosianum typis impressum Anno MDLX., Calendarium acephalum M. SS., Vghellus tomo 4 Italiæ Sacræ. & Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 475. fr tus testimonio Chronicorum M.SS., quæ inscribuntur *Flos Florum*, Leonis pariter, ac Galuanei Flammæ, denique Epigrapha, quæ collocata est a latere dextero aræ maximæ in Templo S. Stephani, vbi clarè Arsatius appellatur Mediolanensis Archiepiscopus: eamque Epigrapham inserit Puricellus Monumentis Basil. Ambros. num 475.. Ibidem etiam auctor eorum Chronicorum, queis titulus *Flos Florum*, vult, Anno DLXVI. Arsatium Mediolanensi Ecclesiæ præfuisse, duorum annorum spatio; itaque, aut Vitali, aut Auxano, successit Arsatius.

Eius autem S. Antistitis Corpus asseruari in Basilica Protomartyris, affirmat ibidem Puricellus: transtulitque S. Carolus, & Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus, vt ex Epigrapha antè memorata, atque ex Carolo a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5. cap. 1., & ex Glussiano in eiusdem Vita lib. 6. cap. 11. Quamobrem frustra sunt nonnulli Scriptores, qui Corpus S. Arsatij aliò delatum fuisse asseuerant; quemadmodum alij docent, Corpus S. Ambrosij (vt ibidem negat Puricellus num. 476.) in Bauariam fuisse exportatum, itemque Corpora Sanctorum Protasij & Geruasij, cum Corpore S. Valeriæ, & Corporibus SS. Nazarij & Celsi, quæ in Germaniam translata fuisse aiunt. Queis accedit Ioannes Chapeauillus in Gestis Pontificum Tungrensium, Traiectensium &c. tomo 2. cap. 45., & Sigebertus in Chronicis, qui affirmant, Corpora SS. Naboris & Felicis delata fuisse Coloniam. Quæ omnia falsa esse contendit Puricellus ibidem num. 460. & seqq.: & nos passim iam ostendimus, ac infra de Corpore S. Ambrosij monstrabimus. Horum Scriptorum testimonio, res eò ferè processit: vt ex populis Martyrum, quos possidebamus, vnus, aut alter Martyr Mediolanensibus supersit.

IDIBVS

IDIBVS NOVEMBRIS.


Omæ Sancti Antonini Martyris, cuius Corpus iacet Turbigi in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani.

NOVEMBRIS 13.

EX Tabulario huius Ecclesiæ, quam tuentur Patres Augustiniani nudipedes; & fortasse hâc die colunt S. Antoninum, quòd Mediolanensis Ecclesia anniuersario Officio veneretur alium S. Antoninum Placentiæ Patronum, de quo meminit Rom. Martyrologium Pridie Calendas Octobris, licèt Ecclesia Placentina illius Natalem celebret Quarto Nonas Iulij. Quamquam autem Baronius in animaduersionibus Martyrologij contendat, diem illàm postremam Septembris esse Inuentioni dicatam, non verò Natali S. Antonini: attamen Ferrarius in Catal. SS. Italiæ testatur, Inuentionem Diui Antonini celebrari Idibus Nouembris ab Ecclesia Placentina; cui quidem suffragatur annua veneratio Mediolanensium: ac proinde in Calendario Missalis Ambrosiani editi Anno MCDLXXXIII. hâc die Festum S. Antonini indicitur in hanc sententiam, videlicet. *Reuelatio S. Antonini Martyris ad S. Calimerium*. Et fortasse tunc in Ecclesia S. Calimerij Mediolani peragebatur Festum Diui Antonini, cuius nomen inibi vnà cum nomine S. Sabini Episcopi Placentiæ in Litanijs Triduanis inuocatur, veluti in testimonium vetustæ religionis, quæ olim ibidem vigebat, nunc autem prorsus interijt, translato videlicet Titulo S. Antonini ad Ecclesiam Parochialem vrbanam S. Rochi.

DECIMO SEXTO CALENDAS DECEMBRIS.


Omæ Sancti Valerij Martyris, cuius Corpus Albiati honestissimè conditum affinium populorũ veneratione honoratur.

NO-

NOVEMBRIS 16.

EX Tabulario Ecclesiæ, quam opere sumptuoso extruendam curauit Ayrolda Familia, religiosa non minùs, quàm munifica erga Virginem Deiparam sine macula Originali Conceptam: eiusque Ecclesiæ cultum, nitorem, & arcam Diui Valerij sum admiratus, cùm illuc pedem intuli. Porrò Corpus Diui Valerij largitus est huic Ecclesiæ Illustrissimus & Reuerendissimus D. Carolus Ayroldus Archiepiscopus Edessæ, & ad Venetam Rempublicam Nuntius Apostolicus. Pagum verò Albiati in Plebe Alliati contentum satis illustrat eximia integritas Parochi sui Andreæ Corbi, quem summis laudibus extulit Cardinalis Federicus Borromæus Archiepiscopus, vt erat optimorum & literatorum Mystarum amantissimus, in Libro *De Amore virtutis*.

DECIMO QVINTO CALENDAS DECEMBRIS.



FLorentiæ Sancti Eugenij Confessoris, quem sacris literis Sanctus Ambrosius erudiuit, ac Subdiaconum ordinauit.

NOVEMBRIS 17.

EX Martyrol. Rom., ex Ferrario in Catal. SS. Italiæ, & Siluano Razio illius Vitæ Scriptore. Scimus enim maximam inter S. Zenobium Archiepiscopum Ecclesiæ Florentinæ & S. Ambrosium necessitudinem intercessisse: ac Ambrosium aliquando moratum Florentiæ, mira ibi patrasse, atque Basilicam Ambrosianam Diuo Martyri Laurentio dedicauisse, de qua Paulinus in Vita S. Ambrosij. Ea miracula narrantur etiam a Ripamontio Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 4.; cùmque S. Ambrosius Florentiam se contulisset, reddidit Diuo Zenobio S. Eugenium, qui illum Florentinæ

Ecclesiæ Diaconum creauit. Et licèt Paulinus in Vita S. Ambrosij meminerit Zenobij Florentini Episcopi, necnon Diaconorum Casti, Polemij, Venerij, & Felicis, nusquam tamen Eugenij mentionem iniecerit: nihilominùs, Paulino silente, plures alij Auctores de Eugenio scripsere, queis non audemus fidem abrogare. In Martyrol. Poeticum Brautius intulit laudes

S. Eugenij Diaconi S. Zenobij Episcopi Florentini.

Præsulibus magnis humilis Leuita probatus,
Defunctos potuit viuificare viros.

Fuit enim S. Eugenius acceptissimus Magnis Præsulibus Ambrosio & Zenobio. Quomodo autem potuerit mortuos ad vitam reuocare, indicat Bulzius.

S. Eugenius Diaconus adspersa aqua defunctum excitat.

Viuificus fragili vix corpore deficit humor;
Corpora cùm pheretro, vita abeunte, iacent.
Eugenij sed sparsa manu cùm lympha cadauer
Inficit, irrorat mox quoque vita redux.
Viuit homo: stant nulla nigræ vestigia mortis:
Est vix se vitam deseruisse memor.
Hoc opus, hic labor est superas educere ad auras
Sic aiunt; credam, si leuis vnda facit?

De cætero Vitam S. Zenobij scriptam fuisse a S. Simpliciano Mediolanensium Antistite tradit Razius apud Puricellum in Dissertat. Nazar. cap. 49., vbi num. 11 *Florentiam Ciuitatem ait fuisse Ambrosio nostro dilectissimam, quam amicissimus Zenobius Episcopus regebat.* Nec tantùm Eugenius placuit Ambrosio, verùm etiam S. Crescentius Diui Zenobij Subdiaconus & discipulus, cuius meminit Martyrol. Rom. decimo tertio Cal. Maij. *Is Mediolanum* (sicuti narrat Ferrarius in Catal. SS. Italiæ) *vt S. Ambrosium Episcopum inuiseret, profectus, multos ibi a Dæmonibus obsessos liberauit.* Quamobrem Florentia nobis, nos Florentiæ Cælites debemus. De fide tamen Razij ob vitam S. Eugenij a Simpliciano scriptam dubitare videtur Mabillon in Itinere Italico pag 168.

DVODECIMO CALENDAS DECEMBRIS.

Ediolani Sancti Benigni Episcopi, qui in magnâ Barbarorum perturbatione Ecclesiam sibi commissam summâ constantiâ & religione administrauit.

NOVEMBRIS 20.

DE S. Benigno meminit Martyrol. Romanum, Missale & Breuiarium Ambros., Acta Mediolanensis Ecclesiæ, S. Ennodius Episcopus Ticinensis, Catal. M. SS., Liber Successorum S. Barnabæ, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Galesinius, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediol. Eccl. lib. 7., Besutius in Hist. Pontific., Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, alijque Mediolanensium rerum Scriptores vnà cum Martyrol. Poetico, in quo Brautius S. Benigni opem implorat.

Serue Benigne Dei, mecum, precor, ipse benignè
Fac, vt in extremo fine benignus agat.

Hoc sæculo magna lis orta est inter Familias Bossiam & Bentiam (quæ Familiæ in Insubribus sunt claræ); vtraque enim ex sua Gente procreatum esse S. Benignum affirmabat. Et Bentij quidem nitebantur auctoritate Theodori Balsamonis in Synodo Carthaginiensi canone sexto, quòd ibi *scriptus inueniatur Bentius Sacerdos Ecclesiæ Mediolanensis*. Hunc tamen erroris damnat Baronius hâc die in Notis Martyrol. Romani: eiusque Balsamonis errore censeo postea irrepsisse cognomen Bentij. Benignum item Bentium legimus in Actis Mediolanensis Eccl.: in Catal. Ferrarij reperimus pariter *Benignum ex Bentia Familia, seu, vt aiunt, Bossia*: Panuinius in Fastis vocat *Benignum Bentium*: Ioannes de Deis in Libro Successorum Diui Barnabæ hæc scribit: *Benignus, quem Græcè Bentium nominant*, ex errore Balsamonis: eundem Besutius Bentium facit, cui consentit Ripamontius. Causa in Romanam Curiam illata, adiudicata est nobilissimæ Familiæ Bossiorum.

rum, eò quòd S. Carolus, reclusâ arcâ, in qua dudum iacuerat Corpus S. Benigni, vt illud honestiùs in Basilica S. Simpliciani collocaret, inuenerit signum S. Benigni, in quo clarè eminebat cognomen Bossij; quod signum dono Diui Caroli asseruatur adhuc in ædibus Marchionis Bossij, descriptumque est in libello typis edito de Familia S. Benigni. Dirempta sic lite, Vrbanus VIII. Pontifex Maximus amplum Indulgentiæ munus ijs perpetuò est elargitus, qui hodie Sacramento Pœnitentiæ expiati, refectique Eucharistiâ, visitant Basilicam S. Simpliciani: eodemque Indulgentiæ munere donantur omnes Bossiæ Familiæ Gentiles, si hodie ijsdem se muniuerint Sacramentis. Quòd autem S. Benignus consecrauerit Diuum Epiphanium Ticinensis Ecclesiæ Episcopum, vide Carolum a Basilica Petri de Metropoli Mediolanensi num. 12, & Puricellum in Vita S. Laurentij Littæ cap. 13. Porrò Corpus S. Benigni translatum fuit a S. Carolo, quam Translationem eleganter describit Ripamontius in Vita S. Caroli lib. 6., sicut & alias Translationes in eadem Vita.

VNDECIMO CALENDAS DECEMBRIS.


Omæ Sancti Clementis Martyris, cuius Ossa Varisium delata digno cultu decorantur.

NOVEMBRIS 21.

EX Tabulis Ecclesiæ primariæ Varisij; eam verò Collegiatam Ecclesiam commendat Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, sicuti alias Collegiatas Diœcesis Mediolanensis, quemadmodum supra significauimus.



NONO CALENDAS DECEMBRIS.

ROmæ Sanctæ Felicitatis Martyris, cuius Corpus Turbigum aduectum est: vbi in Ecclesia Parochiali tanquam Patrona religiosè colitur, & honorificè quiescit: Caput verò ibidem in Ecclesiâ Sanctorū Cosmæ & Damiani reuerenter asseruatur.

NOVEMBRIS 23.

TVrbigum (Pagus est non obscurus, quem antea memorauimus, ad fossam nauigabilem, quæ ex Ticino fluit) elegantissimè describitur ab Haymone Corio in Vita SS. Haymonis & Vermundi; in qua, postquàm cap. 1. egit de clarissima Coriorum Gente, capite deinde 2. persequitur Topographiam Turbigi, quem Pagum mauult appellari Turbiscum. Etenim fuerat ille quondam in potestate SS. Haymonis & Vermundi, quorum supra meminimus: atque ideo excitauit P. Haymonis Corij calamum in eius laudes ob gentilitium decus. Porrò Ecclesia Parochialis, sacrâ supellectile diues admodum, custodit honestissimè Ossa Diuæ Felicitatis; cuius patrocinio gaudens Turbigum, diem festum eiusdem religiosissimè peragit. Eiusdem Sanctæ Caput asseruatur in Ecclesia PP. Augustinianorum nudipedum; cui plurimum detulit P. Hieronymus Platus, frater Cardinalis Flaminij Platij, qui scripsit egregium Librum de *Bono Status Religiosi*: quique Cardinalis fratris sui vltimæ voluntati parens, optimos eos Cœnobitas vnicè dilexit, hæreditariâ suorum maiorum pietate, quam testatur Epigraphe impendens olim valuis Ecclesiæ in hanc sententiam.

D. O. M.

Hanc Diui Cosmæ & Damiani Ædem
vetustate penitùs consumptam

Martinus & Ludouicus Plati fratres pij
in splendorem hunc restituere
Anno Sal. MDXVIII.

Verùm in præsens, veteri dirutâ, sacra Ædes nobili structurâ excitata est.

OCTAVO CALENDAS DECEMBRIS.



MEdiolani Sancti Protasij Episcopi, qui apud Constantem Imperatorem, & in Concilio Sardicensi causam Sancti Athanasij defendit: ac, pro Ecclesiâ sibi commissâ, & pro religione multis perfunctus laboribus, migrauit ad Dominum.

NOVEMBRIS 24.

HOnorifica mentio est S. Protasij in operibus S. Athanasij in Martyrol. Romano, nec non in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronij tomo 3.: eiusque nomen perennat in Missali, Breuiarioque Ambrosiano, in Actis Mediolanensis Ecclesiæ, in Libro Successorum S. Barnabæ, in Catal. M.SS., in Vita eiusdem M.SS. auctore Bonauentura Castillionæo, in Præfatione Homiliarum Leinatij, in Martyrol. Galesinij, in Catal. SS. Italiæ Ferrarij, Hist. Pontific. Besutij, lib. 3 Hist. Mediol. Andreæ Alciati, in Decade 1. Hist. Eccl. Mediol. lib. 2. Ripamontij, tomo 4. Italiæ Sacræ Vghelli, in Zodiaco Pucinelli, & apud alios Scriptores nostrates, præsertim Carolum a Basilica Petri in Hist. Mediolanensi in Vita eiusdem S. Protasij. Nec desideratur carmen Brautij in Martyrol. Poetico.

Pro templis Domini multùm sudauit & alsit
Protasius, postquàm pascere cœpit oues.

Cæterùm duo Sanctissimi & præclarissimi exules Mediolanum confugerunt, nimirum Martinus Ecclesiæ Turonensis, & Athanasius Alexandrinæ Episcopus. *Et doleo equidem* (inquit

Carolus a Basilica Petri) *me simul prodere non posse, quo in loco sederit S. Athanasius defensor ille Fidei constantissimus, dum hic moratus est: quid egerit: quibus eum charitatis Officijs Populus Mediolanensis cum Antistite suo Protasio, & contra ille Populum prosecutus sit. Sed feramus damna nostra, & monumentorũ antiquorum penuriam.* Paulò tamen antè idem Carolus a Basilica Petri hæc scripserat. *Delectat me quidem magnopere huiusmodi facti memoria, dum Protasium nostrum magni illius Athanasij hospitem, & in aduersis adiutorem agnosco. Etenim Protasio eodem sibi adiuncto, Constantem Imperatorem, qui tum Mediolani morabatur, adijt, a quo humanissimè acceptus est.* Quis autem interritum Protasij animum non admiretur, hospitalem domum S. Athanasio aperientis, *in cuius persecutionem vniuersus penè Orbis coniurauerat* (vti legimus in Rom. Martyrol. sexto Nonas Maij) *ita vt profugus toto Orbe actus esset: nec vllus ei tutus ad latendum esset locus?*

Quamobrem si Diui Maximini Treuirensium Episcopi constantiam suspicimus (quemadmodum videre est in eodem Martyrol. Quarto Cal. Iunij) quòd *ab eo S. Athanasius persecutionem Constantij fugiens, honorificè susceptus fuit*: multò magis Diui Protasij fortitudinem impauidam mirabimur, qui non modò hospitem excepit Athanasium, sed eundem deduxit ad Constantem Imperatorem Occidentis, fratrem Constantij, qui in Oriente imperabat, Eusebianorum & Arianorum patronus acerrimus? Maximinus quidem cum S. Protasio ad Concilium Sardicense venit: sed in eo conuentu Protasius defendit Diuum Athanasium, nihil moratus minas iramque Constantij Imperatoris. Porrò Sardica est vrbs Daciæ inter vtramque Mysiam posita, *qui locus* (ait Carolus a Basilica Petri) *tanquam medius, quò Orientales & Occidentales Episcopi conuenire possent, licèt in Constantis ditione, delectus videtur*. Sardicam vulgus appellat *Triadizza* teste Ferrario in Epitome Geographica: & ab eo reponitur in Mysiæ superioris confinio, proxima Nesso vulgò *Nissa*, *& media ferè inter Nessum & Philippopolim*. Ex his patet, quanti Constans Imperator, & Athanasius facerent S. Protasium: vt eum ex Insubribus ad vrbem tot regionum spatio disiunctam, Concilij habendi cau-

sâ,

sã, euocauerint; de quo consule Baronium in Annalibus, Binium, & alios.

Doctissimum certè fuisse Protasium conijcimus ob defensionem ab eo susceptam Athanasij, frementibus, atque aduersantibus Eusebianis & Arianis. Eius autem doctrinæ nulla supersunt monumenta, nisi pauca carmina, quæ apud Carolum a Basilica Petri in eiusdem Vita inuenimus, Fontem & aram Diui Barnabæ Apostoli dedicantis. Sunt verò hæc.

Hunc Fontem tibi dedicat, atque Deo super vndis
Consecrat impositam famulus Protasius aram,
Quà Ticina silex & Martia Porta, Beate
Barnaba, te Ligures aduectum nuper in oras
Audijt hortantem cœtus, & ritè lauantem &c.

Quæ carmina *videntur posita fuisse Mediolani apud Portam Ticinensem, qua Martia in ipsis appellatur;* quòd sicut in alijs Portis vrbis alia Idola, ita in Porta Ticinensi simulacrũ Martis fuisset collocatum. Ex quibus itidem versibus constat, Diuum Barnabam Apostolum vocasse primùm Mediolanenses ad Euangelium, ac Baptismo expiauisse, contra Speltam, vt supra die decimâ tertiâ Martij ostendimus.

SEPTIMO CALENDAS DECEMBRIS.

ROmæ Sancti Moysis Presbyteri & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Templo Sancti Antonij Abbatis cultu singulari seruatur.

NOVEMBRIS 25.

SI Corpus hoc Diui Moysis, illius vtique Moysis est, cuius hodie illustre Martyrium commemoratur in Martyrol. Romano, ego summopere gratulor Patriæ meæ, gratulor religiosissimis Clericis Regularibus Mediolani, quòd tanti Martyris Corpus asseruent; fuit enim is acceptissimus, & S. Cornelio Pontifici Maximo, & S. Cypriano Carthaginiensium

Episco-

Episcopo. Vter Moyses sit, omnino ignoramus; vterque tamen martyrio insignitus Romanæ Ecclesiæ coronas auxit.

SEXTO CALENDAS DECEMBRIS.


Ediolani Sanctæ 1. Nataliæ, quæ virginitatis suæ lilia effuso sanguine rigauit. Ibidem Dormitio Sancti 2. Audentij Ciuis Mediolanensis, cuius Corpus ad Insulam Lacûs Ortani in Diœcesim Nouariensem delatum est.

NOVEMBRIS 26.

1. EX Tabulis Laurentianæ Basilicæ, cuius Clerus hodie celebrat Officium Solemne de S. Natalia, vt ex Puricello in Vita S. Laurentij Littæ cap. 32. & alibi. De hac Insigni Collegiata vide Ioannem Philippum Nouariensem in lib. 2. Chronicorum Canon. Ord. cap. 11., Vghellum tomo 4. Italiæ Sacræ, denique Pennottum in Hist. tripartita. Nos itidem de eadem Basilica egimus in lib. 2. de Pontificatu Gaspa-ris Vicecomitis.

2. Mombritius agit de S. Audentio in Vita S. Iulij Presbyteri, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Carolus a Basilica Petri lib. 1. Nouariæ Sacræ, Bollandus in Actis Sanctorum Pridie Calendas Februarij, necnon Hieronymus a Basilica Petri in Ephemeride Sacra ad diem vltimam Ianuarij in Vita SS. Iulij & Iuliani. Etiam in Martyrol. Poetico laudatur S. Audentius.

Quod fuerat supra vires Audentius ausus,
Diuino voti munere compos habet.

Eum verò Ciuem esse Mediolanensem testatur Carolus a Basilica Petri in literis Pastoralibus ab eodem ad Nouarienses scriptis Decimotertio Calendas Iunij Anno MDCI., quæ impressæ sunt Varalli Anno MDCLI.

Ex iisdem itidem Scriptoribus liquet, eum sepultum fuisse in Insula

sula Lacûs Ortani; de eius autem sepulcro hæc narrat Carolus a Basilica Petri in eadem Nouaria Sacra, nempe. Cùm S. Audentius Mediolano profectus venisset ad Insulā Lacûs Ortani, eidem suasit S. Iulius: *vt sepulcrum apud illud, quod sibi iam parauerat, construi vellet. Cùm autem S. Iulius ex hac vita migrasset Pridie Cal. Februarij, non diu pòst Audentius quoque Mediolani diem suum obijt ætatis annorum 32.: cùmque ei sepeliendi locus inueniri, nescio quo casu, minimè videretur, eius familiares, S. Iulij dictum recordati, Corpus in Insulam sustulerunt.* Cæterùm Ortæ (quod Oppidum Nouariensis Diœcesis Lacui cognomentum dedit) mentionem facit Tristanus Chalcus lib. 6. Hist. Patriæ, & Lacûs Ortani meminit Gaudentius Merula lib. 2. antiquit. Gall. Cisalpin. cap. 15., & Carolus a Basilica Petri in Libro de Ecclesia Nouariensi, cui titulus *Nouaria Sacra*, itemque Ferrarius in Epitome Geographica in recensione Lacuum & Paludum. Lacus verò ille vtrùm appelletur Ortanus, an S. Iulij, nihil ad meum institutum attinet, cùm Scriptores vtrâque illum appellatione nominent: eamque examinent Corographi. Nos indicamus regiones, non describimus. Diui autem Audentij fit quoque mentio in Libro, qui anno MDCLXXXXIII prodijt ex Typographia Hæredum Ghisulphorum Mediolani cum titulo *L'Isola di S. Giulio nella Diocesi di Nouara &c.*: atque in eo citantur plurimi auctores agentes de S. Iulio, de quo scripsimus pridie Calendas Februarij.

QVARTO CALENDAS DECEMBRIS.



NEapoli in Campania Beati Iacobi de Marchia Confessoris, Ordinis Minorum, vitæ Sanctitate ac miraculis clarissimi, qui Mediolani maximo cum animarum fructu Diuini verbi prædicatione perfunctus, Archiepiscopatū Mediolanensem sibi oblatum, admirandâ humilitate recusauit.

NOVEMBRIS 28.

EX Martyrol. Rom. & Franciscano, in quo eadem fere leguntur in laudem B. Iacobi, quæ in Romano, atque hic ex Franciscano depromuntur. *Neapoli in Campania Beati Iacobi de Marchia Confessoris, qui altissima paupertate, charitate, vitæ austeritate, atque in Deum & homines pietate praeditus, virginitatem illibatam perpetuò seruauit, tum suis feruentissimis concionibus Hæreticorum, Schismaticorumque ingentem conuertit multitudinem, tum spiritu prophetico repletus, & miraculis prope innumeris in vita & post mortem clarus meruit a Sede Apostolica inter Beatos Cælites recenseri.* Ascripsit autem illum Beatorum numero Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, sicuti ex diplomate die 12. Augusti Anno MDCXXIV. Quòd autem Mediolani suis concionibus maximam collegerit messem animarum, testificantur Vuadingus in Annalibus Minorum tomo 7. ad Annum MCDLXXVI., Marcus Vlyssiponensis in 3. Parte Chronicorum lib. 6. cap. 3., Ludouicus Cælestinus a Monte Coruino in eiusdem Vita cap. 16., demum Haroldus in sect. 2. & Bagatta tomo 1. admirandorum. In Martyrol. Poetico res gestas B. Iacobi nonnullas carmine conclusit Brautius; ac primò quidem, quòd de ventre parētem suam sit allocutus.

Ad grauidam matrem, de ventre loquela Iacobi
Præbuit indicium, qualis adultus erit.

De Professione eiusdem in Ordine Minorum.

Vt reprobare malum, rectumque probare Iacobus
Scire puer cœpit, maluit esse Minor.

De dono linguarum eiusdem.

Diuersis linguis vno simul ore tonantem
Diuersæ gentes obstupuere sonos.

De ingenti fructu, resuscitatione mortuorum,
& obitu eiusdem.

Innumeris semper signis, ex hoste trophæis;
A Parcis raptis, non semel, astra subit.

Illud planè mirandum est in Beato Iacobo, quòd omnes ij, qui de illius fama detraxerant, vnâ simul eâdemque nocte perierunt.

runt. Miraculum hoc dignum visum est Bulzio, quod in Lararium Poeticum inferretur.

De Beato Iacobo Piceno Ordinis Minorum;
Eius impij impostores simul intereunt.

Multiplici intexunt horrentia crimina fraude,
Vnde reum vulgat putida fama Patrem.
Non luit innocuus pœnas: luit improba pubes;
Quippe vltrix omnes nox necat vna reos.
Impia sic faciat persæpe calumnia; tantùm
Est pia, cùm patres enecat illa suos.

Sedenim ad rem Mediolanensem reuertamur. Recusatum igitur Archiepiscopatum Mediolanensem a B. Iacobo testatur idem Vuadingus in memoratis Annalibus, atque alij Scriptores Ordinis Minorum: vt propterea illius sacræ Imagines pingantur cum Stola Pontificali, Lituo, & Infula iacentibus ad pedes. Quamobrem B. Iacobus iure optimo a me collocatur in Albo Archiepiscoporum Mediolanensium; quemadmodum enim S. Bernardus Abbas Claræuallensis inter Ambrosianos Metropolitas connumeratur, licèt Infulam Mediolanensem repudiauerit: ita in eorum classem cooptandus est B. Iacobus. At nusquam Scriptores rerum Mediolanensium in enumerandis Archiepiscopis Beati Iacobi meminerunt? Id lubens fateor; attamen neque nostrates vnquam meminerant, aut Francisci de Creppa, aut Bartholomæi Cotiæ, quos nihilominus Vghellus in tomo 4. Italiæ Sacræ inter Mediolanenses Archiepiscopos ordine recensuit. Itaque, aut excludas necesse est ab hoc agmine S. Bernardum, aut B. Iacobum Picenum simul admittas, qui singulari ornamento Mediolanensibus fuit, eorumque Ciuitatem cælestibus sæpenumero monitis erudiuit, atque amplissimum honorem excelso animo detrectauit. Etenim honor idem debetur B. Iacobo & S. Bernardo, hic electus a Populo Mediolanensem Archiepiscopatum recusauit: ille oblatam a Duce Mediolani infulam repudiauit. Quippe illa minimè vera sunt, quæ in Libro Successorum S. Barnabæ legimus in Vita Anselmi Pusterlæ Archiep., nempe *ab Honorio II. Summo Pontifice confirmatam fuisse Archiepiscopatus Mediolanensis administrationem, ad quam S. Bernardus*

nardus fuerat a Populo Mediolanensi electus: ficuti Puricellus ostendit in Monum. Basil. Ambrof. num 369.. Præterea si D. Bernardus electus fuit Archiepiscopus anno MCXXXIV., vt videbis ibidem apud Puricellum tempora folerter examinantem: quomodo Honorius II. eam electionem confirmare potuit, qui anno MCXXX. vitâ excesserat? collocandus igitur est B. Iacobus in agmine nostrorũ Antistitum, ac Beato Gabrieli Sfortiæ fubijciendus. Beati Iacobi factum totidem verbis narrat Vuadingus. *Mediolani, interpellante Duce* (erat tum Franciscus I. Sfortia) *ea conditione in Festo S. Mariæ Magdalenæ se concionaturum dixit, si ille auctoritate sua omnes solutæ vitæ mulierculas iuberet concioni interesse. Factum; Iacobo in detestationem libidinis acriùs inuehente, triginta ex eis ad castitatis amorem inardescentes e cœno vitiorum emerserunt, & quædam ex eis matrimonij vinculum subierunt, aliæ in Monasterium Pœnitentium, eluendis culpis, concesserunt, elocatæ vel dotatæ ex ea stipe, quam Iacobus pro ea concione a Fidelibus exegerat. Permouit ista res Ducem adeo vehementer, vt, mortuo per id tempus Antistite Mediolanensi, eam dignitatem illi deferret. Cæterùm is noctu fugam arripuit, ex qua retractus, nunquam ad suscipiendam Pastoralem curam adduci potuit. Ait, necessitatem sibi impositam esse omnibus euangelizandi, cui satisfacere non posset, si Mediolanensis Ecclesiæ culturam susciperet, quòd ea certis limitibus clauderetur. Destinatum enim illi fuit, non vnam Diœcesim, neque Italiam solam, sed Illyricum quoque vniuersum, Hungariam, Germaniam, Bohemiam, atque Poloniam illustrare, & semine verbi Dei conserere &c.* Tot fanè regiones Beatus Iacobus peragrauit, Diuini vbiq; verbi femina iaciens, fchifmatum atque hærefis zizania eradicans, & triticum congregans in horreum Christi.

TERTIO CALENDAS DECEMBRIS.


Omæ Sancti Saturnini Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Mariæ Pacis piè reconditum est.

NOVEMBRIS 29.



EX Tabulario huiusce Ecclesiæ, quam ideo nonnulli cognomen accepisse a Pace arbitrantur, quòd Beatus Amadeus quæsitam diu & frustra pluribus in Asceterijs animi tranquillitatem, optatamque denique Pacem ibi inuenerit, condito illic a se Cœnobio, quemadmodum supra in mense Augusto demonstrauimus. An verò hic Saturninus sit ille idem, quem hodie Romana veneratur Ecclesia, penitùs nescio; lepidum quidem est Distichon in Martyrol. Poetico de S. Saturnino, cuius hodie memoria colitur, & Corpus iacet Romæ in Ecclesia SS. Ioannis & Pauli.

Officij Diuini primus in Ordine nobis,
Ecce Saturninus vix bene cultus adest.

In Breuiario enim Romano, cùm a peruigilio S. Andreæ exordiamur annuū pensum diuinarum precum, in ea Vigilia colitur ab Ecclesia Diuus Saturninus: sed *vix bene cultum* vocat Brautius, quòd commemoratione tantùm sit contentus S. Saturninus; eius namque diei Officium sibi postulat, aut Vigilia S. Andreæ, aut feria Aduentûs.

PRIDIE CALENDAS DECEMBRIS.



MEdiolani Festiuitas Sancti Ambrosij, quando adhuc Cathecumenus, puero acclamante, Episcopus mirabiliter electus, hâc die, antequàm Sacris Ordinibus ex instituto Ecclesiæ initiaretur, solemni ritu est baptizatus.

NOVEMBRIS 30.

QVòd S. Ambrosius, puero acclamante, electus fuerit Episcopus, liquet ex Breuiarijs Romano & Ambrosiano, necnon ex Scriptoribus nostratibus atque exteris.

Sanctos

Sanctos verò Augustinum & Ambrosium Mediolani Sacro Fonte fuisse ablutos, nemo ignorat. Rem hanc, veluti summæ dignitatis in Ecclesia Mediolanensi commemorat S. Carolus in literis Pastoralibus, vt in Actis Mediolanensis Ecclesiæ col. 1099. De Baptismo autem S. Augustini (de quo supra) agit idem S. Augustinus in lib. Confessionum; Sermonem verò illum, quem plures tribuunt S. Ambrosio de Baptismo Augustini, Cardinalis Bellarminus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis adulterinum existimat, *quòd longissimè distet a stylo & grauitate Ambrosij*; cùm tamen eum Sermonem pergant tribuere Ambrosio plurimi Scriptores quos S. Eustachius a S. Vbaldo citat in Quodlibetis Regular. Quodlibeto 1. Dubio 8. De Baptismo S. Ambrosij meminit Missale & Breuiarium Ambrosianum, Calendarium acephalum M.SS., Galesinius in Martyrol. Ferrarius in Catal. SS., qui non sunt in Martyrol. Rom., Molanus in Martyrol., Appendix Martyrol. Adonis apud Rosuueydum, denique Florentinius in suo Martyrologio, cuius Notas hìc subijcimus totidem verbis.


II. Cal. Decembris.

In Mediolano Sancti Ambrosij Episcopi, & de perceptione Baptismi.

Mediolani Natalis dies S. Ambrosij infra notatur III. Nonas Decembris; hìc eiusdem Baptismus recolitur, quando raptus ad Episcopatum, nondum sacro Fonte lauatus, initium Sacrorum Ordinum suscepit; vt deinde in Episcopum sacraretur. Rabanus Baptismi non meminit, sed tantum habet II. Cal., & in Mediolano Ambrosij Episcopi, Ordinatio enim Episcopatus Septimo Idus Decembris fuit, vt Baronius annotauit ad annum Christi CCCLXXXIV. & CCCLXXXXVII., siuè potiùs sub Natalis titulo III. Nonas, vt codices nostri retinent, & ibi explicabimus. Mos non laudandus illis temporibus inoleuerat, vt Baptismus ad finem vsque vitæ differretur ad crimina in mortis periculo expianda, quod pluribus posset doceri: nisi satius esset in re nota præterire. Hanc suscepti Baptismi celebritatem ob tanti Viri memoriam in Ecclesia Occidentali retentam non est mirandum, quando D. Hieronymus in Chronico testis est, Mediolani Ambrosio constituto, omnem Italiam ad rectam Fidem conuersam esse. Galesinius ex

Beroldo

Beroldo Rituum Ambrosianorum scriptore, & illius Ecclesiæ tabulis, S. Ambrosij Baptismum hac ipsa die recolit, & postremo die Nouembris post Ecclesiasticam pompam in Ambrosiana Ecclesia Missam de Baptismo S. Ambrosij celebratam docet, quod ex verbis eiusdem Beroldi cap 98. Dissertat. Nazar. num 12. ita affert Ioannes Petrus Puricellus. Hic Obseruatores debent cantare Missam de Baptismo S. Ambrosij ad Altare eiusdem. Et sanè in Basilica Ambrosiana post decantatam Missam de S. Andrea Apostolo, cuius Mentum ibidem prostat in Ara maiori, canitur adhuc a Collegio Canonicorum Missa Solemnis de Baptismo S. Ambrosij, quæ olim cum Præfatione propria impressa fuit in Missalibus Anno MCDLXXXII., MDXLVIII., ac MDLX.; reliqui verò Mystæ Ambrosiani heri in Vesperis, & hodie in Laudibus, & Missis commemorationem faciunt Baptismi S. Ambrosij: alij verò Liturgi, qui operantur more Romano in hac Diœcesi, nullam faciunt eius Baptismi commemorationem.



DE-





DECEMBER.

CALENDIS DECEMBRIS.



Ediolani Sancti Castritiani Episcopi, qui in maxima Ecclesiæ perturbatione virtutum meritis, ac rerum piè religiosèque gestarum laude enituit.

DECEMBRIS 1.



Anctum hunc Episcopum etiam *Castutianum* appellatum fuisse legi aliquando, sed vitio fortasse, aut librariorum, aut typographorum. A Castritijs prodijsse censeo, quorum meminere Valerius & Gellius. S. Castritiani mentionem faciunt Martyrologium Romanum, cui alludit Brautius in Martyrol. Poetico.

Turbato Cælo, validisque furentibus Austris,
In portum nauim Castritianus agit.

Celebrant itidem eundem S. Antistitem Breuiarium & Missale Ambrosianum, Catal. M.SS., Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Alciatus lib. 2. Hist Mediolanen., Bonauentura Castillionæus in Vita eiusdem M.SS., Corius Parte 1. Hist. Mediolan., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Besutius in Hist. Pontific., Ripamontius Dec. 1. lib. 1. Hist. Ecclesiæ Mediolanen., Liber Successorum S. Barnabæ, Vghelius tomo 4. Italiæ Sacræ, Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediol. in eius-

dem

dem Sancti Vita, Pucinellus in Zodiaco, nouissimè P. Eustachius a S. Vbaldo in eruditissimo *Commentariolo de Dei Benedictione*, alijque Scriptores rerum Mediolanensium. In Legendario M.SS. Sacrarij Franciscani hæc legimus. *Obijt Beatus Castritianus die Cal. Decembris, sepultus a condiscipulis iuxta condictum in Cœmeterio, quod dicitur Romano, ea scilicet via, qua Romam tenditur, haud longè ab arcu triumphali* In Vita verò S. Calimerij, *eundem in Romuleo Cœmeterio captum refert, quod est in latere vrbis meridiano, haud longè ab Apollinis fano*. Vitam etiam S. Castritiani in eodem Legendario vidimus; nos de eodem S. Antistite, atque de hoc Cœmeterio nonnulla tradidimus in lib. 1. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis. Arcûs autem eius triumphalis meminit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 37. num. 9. & seqq.; Ecclesiam verò S. Ioannis ad Concham, in qua iacet Corpus S. Castritiani, a Carmelitis Congregationis Mantuæ religiosissimè cultam, commendat Morigius in Sanctuario.

QVARTO NONAS DECEMBRIS.

ROmæ Sanctæ Bibianæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolanum delatum est, vbi in Ecclesia Sanctimonialium Beati Vincentij honorificentissimè custoditur.

DECEMBRIS 2.

HAnc Bibianam aliam esse ab ea, quæ hodie ab omni Ecclesia colitur, & condita est in Ecclesia propria Romæ vnà cum SS. Dafrosa matre ac Demetria sorore (vt ex Breuiario Romano) certum est. Immo plurimas fuisse Virgines huiusce nominis inde conijcimus, quòd Mediolani Corpus integrum S. Bibianæ asseruatur in Ecclesia S. Vincentij, & Caput alterius S. Bibianæ Virginis item & Martyris custoditur in Templo Insigni S. Mariæ Scalensis Mediolani. Porrò

 de

de Cœnobio Virginum S. Vincentij agunt Ioannes Antonius Castillionæus in libro Antiquit. Mediol. Parte 1 Fasciculo 5., & Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 232. : de Templo autem Scalensi, quod ædificauit Anno MCCCLXXXI. Regina Scaligera vxor Barnabouis Vicecomitis in honorem Deiparæ in Cælum Assumptæ, *addiditque cognomen, vt Scalensis Virginis Ædes diceretur*, agit Morigius in Sanctuario, Ripamontius, quem eruditionis & doctrinæ causâ Philippus III. eius Templi Canonicatu auxit, in Vita S. Caroli, in altera Parte Histor. Mediolan. Eccl. lib. 10., & Dec. 3. lib. 3 Hist. Patriæ, necnon alij Scriptores; celeberrimum enim Templum est cum Amplissimo Canonicorum Collegio, cuius Præpositum Infulâ & Lituo Clemens VII. Pontifex Maximus honestauit.

TERTIO NONAS DECEMBRIS.



Ediolani Sancti Mirocletis Episcopi & Confessoris, cuius aliquando Sanctus Ambrosius meminit.

DECEMBRIS 3.

ANtistitem hunc appellant *Mirocletem* Martyrol. Rom., S. Ennodius, Acta Mediolanensis Ecclesiæ in Tabula Archiepiscoporum num. 8., Cardinalis Baronius, Cardinalis Bona in lib. de Liturgia cap. 10 (licèt in Tractatu de Psalmodia cap. 6. §. 14. vocet etiam *Mirocle*m) Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, & Vicecomes; *Miroclem* appellant S. Ambrosius, Galesinius, Carolus a Basilica Petri in Hist. Mediolan. in eiusdem Vita: & ita pronuntiandum esse vult Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 36. num 8., atque ait, se in emendatione Breuiarij Ambrosiani, quod Cardinali Montio Archiep. vulgatum typis est, *Miroclem* reposuisse; quæ vox in nouissima etiam Missalis & Breuiarij Ambrosiani editione adhuc viget. Fulcit sententiam suam Puricellus testimonio Sirmundi in Notis ad Opera S. Ennodij, a quo dictum esse *Mirocletis* pro *Miroclis* seculi vitio affirmat Sirmundus, tum etiam Epigrammate,

mare, quo S. Mirocles Diuum Anathalonem Archiep. commendauerat, cuius postrema carmina hæc sunt.

Hic Titulum & picto venerandos pariete vultus
Miroclis reddit Præstititis alma fides.

Verùm alia sunt hæc carmina apud Carolum a Basilica Petri in Vita S. Miroclis, & apud Faynum in Martyrol. Brixiano ad diem octauum Cal. Octobris; est enim eiusmodi.

Hic Titulum & picto venerandos pariete vultus
Mirocles reddidit: præstitit alma fides.

Idque carmen olim positum erat in Templo SS. Geruasij & Protasij, non quidem collocatum a Diuo Mirocle, vt ait Faynus (cùm S. Mirocle superstite SS. Protasij & Geruasij adhuc intermortua esset memoria, S. deinde Ambrosio rediuiua) sed ab alia sede illuc translatum ad perpetuam S. Anathalonis memoriam. Quamquam autem Puricellus velit, omnino in eo carmine legendum esse *Miroclis* & *Præstitis*: nihilominus, si quis *Mirocletem* dicat in soluta aut astricta numeris Oratione nõ eum statim obtorto collo ad Grammaticorũ tribunal traham; tuetur enim se doctorum virorum testimonio. *Miroclem* igitur & *Mirocletem* dic; eius vocis vtcunque proferendæ arbitrium tuum sit; nos in emendatione nouissima Breuiarij Ambrosiani iussi fuimus subscribere Puricello.

Cæterùm S. Mirocles consanguineus fuit S. Epiphanij Episcopi Ticinensis (siue, vt alij vocant *Merocles*). Huiusce rei testimonium habemus apud S. Ennodium in Vita eiusdem S. Epiphanij. *Vir* (inquit) *Insignis Epiphanius oriundo Ticinensis Oppidi indigena fuit, Patre Mauro generatus, & Matre Focaria editus, quæ Sancti etiam Mirocletis Confessoris & Episcopi tangebat prosapiem &c.* Præclarum est S. Ambrosij testimonium de S. Mirocle; inuectus enim in Auxentium Pseudoepiscopum in Orat. de Basilicis non tradendis hæreticis, hæc ait. *Absit, vt tradam hæreditatem Patrum, hoc est hæreditatem Dionysij, qui in exilio in causa Fidei defunctus est, hæreditatem Eustorgij Confessoris, hæreditatem Miroclis, atque omnium retro Fidelium Episcoporum.* Præterea de S. Miroclete meminere Martyrol. Rom., Missale & Breu. Ambros., Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Catal. M.SS., Bonauentura Castillionæus in Vita eiusdem

M. SS., Carolus a Basilica Petri in eius Vita, Galesinius in Præfatione ad Homiliarium Leinatij, Ripamontius Dec. 1. lib. 2. Hist. Mediol. Eccl., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Vicecomes in Obseruationibus Ecclesiasticis de Missæ Ritibus, Vghellus tomo 4. Italiæ Sac., Alciatus lib. 3. Hist. Mediol., Chalcus lib. 1. Hist. Pat., Besutius in Hist. Pontific., Ioannes de Deis in libro Successorum S. Barnabæ, Pucinellus in Zodiaco, Hieronymus a Basilica Petri in Ephemeride Sacra ad diem vndecimum Ianuarij in Vita S. Honoratæ Virginis, P. Eustachius a S. Vbaldo in Libro antea citato, Brautius in Martyrologio Poetico, qui tamen eundem S. Miocletem falsò appellat Episcopum Ambiani.

Sensit vbique Dei varijs agitata procellis
Mirocletis opem non manufacta domus.

Denique Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 36., vbi annos Pontificatûs Miroclis, & alia narrat, ac illud præsertim, quòd Mediolani consecrauerit Sacerdotem S. Emigdium, qui postea Asculanorum infulâ ac martyrij Laureâ fuit illustris, vt antè memini.

Diuo autem Mirocli acceptam refert Mediolanensis Ecclesia *certam sacrarum precum Regulam ab Apostolicæ institutionis vsu deriuatam*, cuius mentionem facit Galesinius loco supra citato, Vicecomes lib. 2. de Ritibus Missæ cap. 12., & Cardinalis Bona in Libro de Diuina Psalmodia cap. 18. § 10. Tit. *De Ritu Ambrosiano*. Cùm autem Ioannes de Deis Lib. supra citato S. Mirocletem vocat Martyrem, errat magnopere, quandoquidem illum omnis Ecclesia vocat Confessorem; quamuis (teste Carolo a Basilica Petri in eius Vita) videatur etiam Mirocles persequentium Imperatorum sæuitiam fuisse expertus. Tumulatus est S. Mirocles in Basilica Victoriana, de qua hæc ibidem tradit Carolus a Basilica Petri, videlicet. *Cuius Basilicæ Sacræ Reliquiæ cùm transferrentur, ita literis & monumentis destituti fuimus: vt distinctè huius Sancti Viri Corpus* (nempe Miroclis) *sicut alia multa, designari non potuerit*. Sancti verò Mirocletis, necnon Datij & Protasij Archiep., Reliquiæ Insignes, superioribus annis, ab Eminentiss. Cardin. Litta Archiep. dono missæ sunt Pisas, vti supra tradidimus.

PRIDIE NONAS DECEMBRIS.


Ediolani Sancti 1. Fulgentij, cuius Corpus ad eam vrbem Româ translatum, magnâ piorum religione colitur. Bononiæ Sancti 2. Felicis Episcopi, qui antea Mediolanensis Ecclesiæ sub Sancto Ambrosio Diaconus fuerat.

DECEMBRIS 4.

1. EX Tabulario Ecclesiæ Conceptionis Patrum Capuccinorum, qui Corpus S. Fulgentij religiosè custodiunt; de hoc autem Cœnobio nos egimus in lib. 2. de Pontificatu Gasparis Vicecomitis.

2. Bononienses vnicè dilexit Diuus Ambrosius; æquum ergo fuit, vt discipulus Ambrosij Bononiensibus præesset. Quæ autem egerit Ambrosius Bononiæ, præsertim cùm Translationi SS. Martyrum Vitalis & Agricolæ interesset, iam apud plurimos Scriptores, ipso etiam Ambrosio confitente, clarissima sunt. S. Felicis verò meminit Martyrologium Rom., Baronius tomo 5. Annalium ad annum CCCLXXXXVII., Paulinus in Vita S. Ambrosij, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, qui illum affirmat esse ciuem Mediolanensem, Vghellus tomo 2. Italiæ sacræ, Sigonius de Episcopis Bononiensibus, Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 53., alijque Scriptores. Neque siluit Brautius in Martyrol. Poetico:

Felicis Fidei se docta Bononia gaudet
Commissam, cuius nomen & ossa colit.



OCTA-

OCTAVO IDVS DECEMBRIS.


Igilia Ordinationis Sancti Ambrosij, cuius Patrocinio & Pontificatu Mediolanensis Ecclesia gloriatur.

DECEMBRIS 6.

EX Calendario ac Missali Ambrosiano, item ex Calendario Romano pro ijs, qui in Diœcesi Mediolanensi Ritum Romanum sequuntur, in quo Vigilia indicitur in hanc sententiam, nempe: *Ieiunium apud Clerum Sæcularem & Populum.* Ieiunium autem hoc est de præcepto, institutum a S. Carolo, vt ex Synodo Diœcesana IV. Decr. 1. *Sacri diei* (inquit S. Carolus) *quo Beatus Ambrosius singulari Dei munere & gratia Episcopus Populo Mediolanensi datus est, celebritas, eò maiorem ab illo cultum deposcit, quò plura is beneficia, tanto Patrono intercedente, perpetuis temporibus a Deo totius consolationis & patre misericordiarum accepit &c. Pridie Festi eius diei a Fidelibus ieiunium seruandum declaramus & decernimus. Quod ex præcepto ieiunium in Calendarium perpetuum eo stato die adscribi, tum a Parochis & Vrbanis & Diœcesanis, Dominico die proximo præcedenti, Populo religiosè denuntiari mandamus.* Aliæ quidem Vigiliæ indicantur in Libris Ambrosianæ Liturgiæ, quas Zentilinus de Mayno Canonicus Ordinarius in Basilica Metropolitana & Ambrosiana, ac Præpositus Brutiani in Breuiario Ambrosiano typis edito Anno MCDLXXXVII. collegit hoc ordine & titulo. *Hæ sunt Vigiliæ a Diuo Ambrosio obseruatæ & commendatæ. Vigilia S. Martini Episcopi, Epiphaniæ, Purificationis, & Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ, Ascensionis Domini, SS. Protasij & Geruasij, SS. Naboris & Felicis, SS. Nazarij & Celsi;* quarum in præsens nullus viget cultus, nisi in Missali, puta Epiphaniæ, Ascensionis, SS. Geruasij & Protasij, Nazarij & Celsi, Natiuitatis Deiparæ Virginis, atque Martini. Sed enim quo pacto S. Ambrosius instituere potuit Vigiliam S.

Martini, cùm Ambrosius decesserit Anno CCCLXXXXVII. Martinus autem diem suum obierit Anno CCCCII.? Visum autem Ambrosij, quo inter Sacra interfuit funeri S. Martini (vti legitur in Breu. Ambros. die Festo eiusdem Beati Martini, & in lib. 1. miraculorum S. Martini cap. 5. apud S. Gregorium Turonensem) refellit Cardin. Baronius in Annalibus, & in Notis Martyrol. Romani tertio Idûs Nouembris; quamquam Puricellus respondeat Card. Baronio in Monum. Basil. Ambros. num. 85. & seqq. Quòd si Ambrosius instituit Vigiliam S. Martini, debuisset potiùs indicere Vigiliam S. Barnabæ, S. Calimerij, aut alicuius ex Fidelibus retro Episcopis ob memoriam rerum in Ecclesia Mediolanensi gestarum. Quamobrem putamus ab alio, quàm ab Ambrosio, eam Vigiliam institutam fuisse. Vigilia Epiphaniæ & Ascensionis sunt etiam in Ordine Romano; SS. verò Martyrum, quos, aut inuenerat, aut coluerat Ambrosius, ab eodem decreta est. Atqui Vigiliam Purificationis quomodo instituere potuit Ambrosius, cùm Gauantus Parte 4. Tit. 14. in Rubricas Missalis Romani doceat, Festum Purificationis receptum fuisse ab Ecclesia Romana Anno DXXXXII., cœptam verò fuisse coli a Byzantinis, Iustiniano Imperatore? Vigiliam Natiuitatis Deiparæ Virginis multò minùs S. Ambrosius statuit, quando S. Augustinus æqualis Ambrosij Sermone 20. & 21. de Sanctis asseuerat, *nullius hominis Natiuitatem celebrari, nisi Christi & Ioannis*. Ex quo patet, Vigilias Purificationis & Natiuitatis non fuisse ab Ambrosio præceptas, quòd eo sæculo neutrius celebritatis dies Festus haberetur. Hic verò non est vacuum agere de Vigilijs, quas Mystæ Ambrosiani in Primis Vesperis Sanctorum Titularium agunt, nec de Vigilijs nocturnis, quæ Antistite S. Ambrosio, in Ecclesia Mediolanensi seruabantur; de ijs enim alij disputent: ac nobis indicasse sufficiat ex sententia eruditissimi Cardinalis Bonæ in lib. de Diuina Psalmodia cap. 4. §. 3. num. 1. eas nocturnas vigilias minimè abrogatas fuisse a S. Ambrosio hortatu S. Monicæ.

Porrò Ciuitatem, Diœcesim, ac Prouinciam Mediolanensem, S. Ambrosij Patrocinio gloriari, docent Acta Concilij Prouincialis IV. vt in Actis Mediolanen. Eccl. col. 12. Tit. *De S. Ambrosio.*

bresio, cuius Decreti hoc est exordium. *Deuotione congrua & debitis honoribus Beatus Christi Confessor Ambrosius Episcopus, Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis Pater pariter ac Patronus &c. cuius doctrina etiam tota illustratur Ecclesia, vt a Prouinciæ nostræ Fidelibus colatur &c.*; ibique S. Carolus præcipit suis Coepiscopis: vt diem, qui est septimo Idûs Decembris, festum agant (est enim dies Ordinationis S. Ambrosij) atque in horis Canonicis illius commemorationem fieri iubeant ijs diebus, queis ex Ritu Ecclesiæ commemorationes communes, seu suffragia Sanctorum, sunt facienda. De S. autem Ambrosij Patrocinio diximus nonnulla superiùs die decimâ nonâ Iunij. Certè in vrbe & Diœcesi Mediolanensi Festus est dies Ordinationis S. Ambrosij, & quidem de Præcepto, quoniam est Patronus Principalis; illius autem commemoratio fit, non modò ab Ambrosianis Liturgis, verùm etiam ab ijs, qui sequuntur Romanos Ritûs in hac Diœcesi.

SEPTIMO IDVS DECEMBRIS.



MEdiolani Ordinatio Sancti Ambrosij Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, cuius Sanctitate & doctrinâ vniuersalis Ecclesia decoratur.

DECEMBRIS 7.

CVm Ecclesia vniuersalis Sanctitate & doctrinâ Ambrosij decoretur, quid egemus testibus? Satis se ipsum luminibus prodit, qui toti terrarum orbi affulget. Verùm vt instituto meo satisfaciam, quatuor inuenio Ordinationes memoratas in Romano Martyrol., videlicet SS. Gregorij Magni, Basilij itidem Magni, Zenonis Episcopi Veronensis, & Ambrosij. Olim enim Ordinationes Episcoporum a suis Ecclesijs celebratas fuisse, testantur etiamnum Libri Missales, in quibus est Missa in Anniuersario Creationis, seu Consecrationis Episcopi. Superiores igitur quatuor Ordinationes ce-

lebrat

lebrat Mediolanensis Ecclesia; & quidem S. Gregorij Magni die quartâ Septembris (nam dies tertia impedita est Officio S. Auxani). *In hanc verò diem translatum fuisse Natalem S. Gregorij, cùm Quadragesimali tempore de Sanctis agi vetitum sit,* docet ex Radulpho Baronius in Notis ad diem tertium Septembris. Basilij Ordinationem anniuersario Officio cum vniuersa Ecclesia recolimus decimo octauo Cal. Iulij: Zenonis verò commemorationem facimus in Officio Immaculatæ Conceptionis Beatę Virginis Mariæ: ac S. Zenonis Missã cum Præfatione propria habemus eodem pariter die in Missali Ambros. impresso Anno MCDLXXXII.. Antequam verò Cardin. Federicus Borromæus Archiep. Officium & Liturgiam de S. Thoma Episcopo Cantuariensi in Breuiarium & Missale Ambrosianum inferret, eo die Mediolanensis Ecclesia peragebat Officium de Ordinatione S. Iacobi Apostoli. Et ne quis dubitaret, cuius Iacobi Ordinatio coleretur, inuenio in Calendario Missalis editi Anno MDLX sic indicatum: *Quarto Cal. Ianuarij Ordinatio S. Iacobi Apostoli Alphei Fratris Domini.* Quare autem eius Ordinationis olim Festum fieret, ex eo ortum censemus, quia is primus Apostolorum Missam celebrauit; de quo consule Cornelium a Lapide in Epistolam D. Iacobi, & Escobar in Panegyrico Diui Iacobi minoris.

De cætero Ordinationes Episcoporum appellabantur *Natales* eorundem, vt discimus a Cardinali Baronio in Notis ad diem decimum quintum Cal. Februarij in eodem Martyrol., ac pariter in Notis ad diem tertium Nonas Ianuarij in eodem Martyrol., vbi docet diem consecrationis Episcopi vocatum fuisse *Natalem* testimonio S. Ambrosij, Hilarij Papæ, necnon S. Gregorij in lib. Sacramentorum de Natali Papæ; quod animaduertit etiam Gauantus in Rub. Missalis de Missis votiuis in Missa de Consecratione Episcopi num. 19.. Quibus ego addo Dictionem S. Ennodij, quam habuit in Natali S Laurentij Episcopi Mediolanensis. Eam autem vocem *Natalis* hoc pacto illustrat Sirmundus. *Natalem intellige, non vitæ, sed Cathedra & Episcopatus. Hunc enim Festum quotannis agebant Episcopi, sicut Imperatores Natalem, seu ortum Imperij sui &c.:* idemque S. Ennodius habuit aliam Dictionem in Natali S.

Epiphanij Episcopi Ticinensis in annũ trigesimum Sacerdotij. Florentinius in Martyrol. docet, Ordinationem S. Ambrosij celebratam fuisse tertio Nonas Decembris, cuius testimonium hic candidè inserimus, videlicet.

III. Nonas Decembris. Natalis S. Ambrosij &c. non die 3. Decembris, sed 7. Natalem Cathedræ S. Ambrosij cum Mediolanensi aliæ quoque Ecclesiæ, tam Occidentis, quàm Orientis recolebant. At tertio Nonas nonnisi codices nostri ex alicuius Antiquarij additamento. Romanum Martyrologium Ordinationem eius eodem die 7. recenset. Menologium, tam a Canisio editum, quàm a Basilio, elogium laudabilis vitæ texunt, & obdormitionem in Domino illa die recolunt; non Ordinationis Natalem. Martyrologium verò Antuerpiense & Corbeiense missum faciunt hâc die & septimâ Decembris Natalem S. Ambrosij.

Cæterùm Vitam S. Ambrosij scripsere Paulinus, Baronius, Costerius, Causinus in Libro, cui titulum pręposuit *La Corte Santa*, Surius, Villiega, alijque: nouissimè verò linguâ Gallicâ typis Parisiensibus vulgauit Godefridus Hermant. Meminere autem S. Ambrosij S. Augustinus, S. Basilius, S. Possidius in Vita S. Augustini, S. Ennodius, qui eum Epigrammate & Hymno commendauit, S. Carolus, Martyrologium Missale, & Breuiarium Romanum, Missale item ac Breuiarium Ambrosianum, Catal. M.SS., Legendarium M.SS. Sacrarij Franciscani, Acta Mediolanen. Ecclesiæ, Baronius tomo 4. Annalium, Galesinius, Carolus a Basilica Petri num. 9. de Metropoli Mediol., & in Dialogo M.SS. in Bibliotheca S. Marci Nouariæ, Liber Successorum S. Barnabæ, Besutius in Hist. Pontific., Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast., Theophylus Raynaudus de Natali solo S. Ambrosij, Chalcus lib. 2. Hist. Pat., Isolanus in Panegyr., Ripamontius Dec. 1. lib. 3. Hist. Mediol. Eccl., Puricellus in Dissertat. Nazar., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Corius in Hist. Mediol., Georgius Merula de Antiquit. Vicecomitum, Ioannes Antonius Castillionæus de Antiquit. Mediolan., Pucinellus in Zodiaco, Brautius in Martyrol. Poetico, cuius ea sunt Disticha, nempe.

Ambrosium laicum, puero poscente, poposcit
Pontificem Populus totus, & obtinuit.

De Diuina eruditione S. Ambrosij.

Doctorem Dominus statuit, qui vera doceret,
Et confutaret dogmata falsa palàm.

De Vigore & Zelo eiusdem S. Ambrosij.

Non ita Tesbites Regem terrebat Achabum,
Vt Præsul Reges totius Imperij.

De tribus Consilijs S. Ambrosij.

Symbola mensarum renuit: non tradidit vlli
Vxorem: nulli præbuit arma viro.

Nec siluit Bulzius in Larario Poetico, ex quo iuuat aliqua Epigrammata describere.

S. Ambrosius Theodosium Imperatorem arcet a templo.

Templa petit magno stipatus ab agmine Cæsar:
Iamque terit tumido limina sacra pede.
Ambrosius mox Præsul adest interritus, atque
Concitus impulsas obstruit ære fores.
Ianua, mysta tonans ait, est claudenda profanis:
Si tibi vis pateat ianua, pone scelus.
Attonito similis Princeps perterritus hæret:
Vix audet pauidis ora mouere labris.
Si cui sidereas vellet committere claues
Fors Petrus, has, credo, crederet Ambrosio.

Paralytica eius manum osculata sanatur.

Fœmina quam latè læsis hemiplexia neruis
Atra quatit, dextram Præsulis ore petit.
Oscula vix libant palmam, cùm morbus abire,
Corpora cùm turpis nulla agitare lues.
Terruit Augustos quæ quondam dextra furores,
Terruit & morbum: territus interijt.

Neminem ad militiam suadet.

Haud animat quemquam belli ad certamina Pastor:
Quando animaret, oues mitteret ad lanium.

Neque prætermittendum est lepidum Epigramma, quod scripsit Bulzius in eadem Parte II. Lararij Poetici ad diem octauum Octobris de S. Felice Episcopo Nouocomensi, de quo agit Martyrol. Comense eodem die & Calendis Nouembris. Fuerat ille consecratus Episcopus Comensis Ecclesiæ ab Am-

brosio, atque Sanctimoniæ, doctrinæque causâ eidem charissimus & amicissimus. Misit igitur aliquando Felix Ambrosio suo tubera, eique Ambrosius literas eucharisticas pro munusculo; in hoc argumentum scripsit Bulzius carmen.

Ex Nouocomensi Felix collegerat agro
Tubera, arenosæ nobile munus humi.
Miratus Felix molem, lepidumque saporem,
Ite, ait, Ambrosio munera lecta meo.
Dixit: & Ambrosio pragrandia tubera mittit,
Tubera siccato calla suborta solo.
Ambrosij, Ambrosia pasci qui sueuerat esca,
Debita daps meritò est tam pretiosa labro.

Aliud.

Dulce apis Ambrosij mel quondam ingesserat ori:
Melle magis, Felix quam ingerit, esca sapit.

Reliqua carmina in laudem S. Ambrosij lege apud Bulzium in eodem Larario Poetico.

Quòd autem Pucinellus in Zodiaco appellat Diuũ Ambrosium *Tignosium*, hoc est ex Familia Tignosiorum, mendum prorsus ego arbitror; siquidem cùm Ambrosius esset Ciuis Romanus, genere & Magistratu clarissimus, inter Familias vtique Romanorum nusquam eius cognominis Gens reperitur, vti videre est in Onomastico Romano Glandorpij, apud Antonium Augustinum, apud Fuluium Vrsinum in Hist. de Romanorum Gentibus & Familijs; nisi potiùs affirmemus, Diuum Ambrosium prodijsse ex nobilissima Aniciorum propagine cum Vuion, Bossio, Crescentio & alijs. De nobilitate tanti Antistitis consule Puricellum in Dissertat. Nazar. cap. 35., in quo agit de S. Sotere Virgine & Mart., consanguineâque S. Ambrosij, cuius meminit Martyrol. Rom. ac Breuiarium Ambros. die 10. Februarij: eamque docet Puricellus profectam ex stirpe materna S. Ambrosij. Appellatur etiam Diuus Ambrosius *Tignosius* in quodam Instrumento, cuius videndi eram cupidissimus; nam mihi Liturgus quidam ex primarijs Ecclesiæ Mediolanensis significauerat, se vidisse quasdam tabulas superstite S. Ambrosio confectas. Eas nunquam legere potui: cùm tandem mihi venit ad manus Vita MSS. SS. Haymonis

& Vermundi deprompta ex Tabulario Monasterij Sanctimonialium Medæ: atque in ea ante Prologum reperi quoddam Instrumentum scriptum in Membrana omnino falsissimum, vt patebit ijs etiam, qui leuiter tincti sunt literis. Proferam nonnullos versus, eius est initium. *In Christi nomine Amen. Ab anno Incarnationis eiusdem trecentesimo primo Inditione quinta die vndecimo mense Ianuario. Reuerendus in Christo Pater & Dominus Ambrosius Tignosius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Ecclesiæ Mediolani Archiepiscopus &c. idem Archiepiscopus ædificare vult ad honorem Beatorum Geruasij & Protasij Martyrum sito in Pasquario Sanctæ Mariæ ad Fenebrinum seu Sanctorum Naboris & Felicis &c. cum auctoritate licentia consensu & mandato nobilis & potentis viri Domini Comitis Inglexij Mediolani &c.* Quamobrem in hisce tantùm versibus eius Instrumenti odorabuntur viri docti commentum, quod confutare erubesco; adeo omnia illa manifestè sunt falsa. De his admonere volui Lectorem: ne auctor mendacis Instrumenti hominibus nimiùm credulis imponat: ex cuius commentitia antiquitate fortasse manauit, vt nonnulli inconsultè existimauerint, S. Ambrosium a familia Tignosiorum ortum duxisse.

Cur verò Ecclesia Mediolanensis vulgò appelletur Ambrosiana, intelligimus ex Præfatione Cæremonialis Ambrosiani, quod vulgatum fuit typis Mediolanen. Anno MDCXIX. *Quàm verò* (inquit) *studiosè illam* (nempe hæreditatem ab Antecessoribus acceptam) *Ambrosius non modo conseruarit, sed nouis Ritibus liberaliter locupletarit, vel ex hoc intelligi potest, quòd ab Ambrosio Ambrosiana deinceps cœperit Ecclesia nuncupari.* Cardinalis Bona de Diuina Psalmodia cap. 18. § 10. Tit. De Ritu Ambrosiano, hæc tradit. *Mediolanensis Ecclesiæ Ritus a Diuo Ambrosio eius Ciuitatis Archiepiscopo Ambrosiani dicuntur, non quòd ipse institutor eorum fuerit, vt multorum opinio est, sed quia illos auctoritate sua & eximia Sanctitate plurimùm nobilitauit. Dici autem Ambrosiani cœperunt paulò post eius decessum, vt obseruat doctissimus vir Ioseph Vicecomes lib. 2. de Ritibus Missæ cap. 12.*, in quo vult Vicecomes, Ecclesiam Mediolanensem ideò vocari Ambrosianam, quòd S. Ambrosius *non paucas*

paucas hujus Ecclesiæ cæremonias instituerit, *atque illius sit Patronus*. Certè, si fides Vualfrido Straboni lib. de rebus Eccles. cap. 22., *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, tam Missæ, quàm cæterorum dispositionem Officiorum suæ Ecclesiæ & alijs Liguribus ordinauit. Quæ & vsque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia &c.* Illud certum est, teste Baronio ad annum LX., *Mediolanensem Ecclesiam sub Ambrosio Ecclesiastici formam cantus accepisse* ad morem Orientalis Ecclesiæ; dum *Ecclesia Romana ab Orientali Ecclesia minimè mutuata est modum psallendi: cùm iam ab ipso institutæ sedis exordio psalmorum cantus in eadem coaluisset &c.* quæ ibidem scribit Baronius, tradens Ecclesiam Romanam in Ecclesiastico concentu *miram quandam cum suauitate adiunxisse grauitatem*. Cæterùm Mediolanensem Archiepiscopum a S. Gregorio Magno vocatum fuisse *Vicarium S. Ambrosij* auctor est P. Mabillon in itinere Italico pag. 182., sed ante Mabillon Baronius ex literis S. Gregorij in Annalibus Ecclesiast. tomo 8. ad annum DC..

Hæc de Ordinatione S. Ambrosij; de eius verò sepultura quot sententiæ! Ille adhuc iacet sub Ara maxima suæ Basilicæ, nec aliò translatum fuit, vt ostendit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 476.: fuitque inspectum illius Corpus a S. Bernardo Cardinali & Episcopo Parmensi, non sine miraculo: eiusque Sancti Cardinalis nomen celebre est in Martyrol. Rom. Pridie Nonas Decembris. Narrat miraculum, remque gestam Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. 58. & 352.. Direptâ autem excisâque vrbe a Federico Ænobarbo, tantùm abfuit, vt licentia militaris in Ambrosianam Basilicam debaccharetur, quin potiùs Federicus illuc triumphans venit, ac Solemnitati Palmarum interfuit, maximè eam Basilicam colens, vti Puricellus testificatur in Monum. Basil. Ambros. num. 440. & 442.. Illius quidem excidij tempore exportata fuere Mediolano SS. Regum Magorum Corpora: alia verò lipsana seruata sunt, atque adhuc seruantur Mediolani, quemadmodum in eisdem Monumentis tradit Puricellus num. 471. & seqq., atque num. 476. affirmat, Corpus S. Ambrosij minimè in Germaniam, ac nominatim in Bauariam fuisse translatum:

At saltem Corpus S Ambrosij non est integrum, quandoquidem Tamayus auctor Martyrologij Hispani tradit, Caput S. Ambrosij Episc. Mediolanen. asseruari in Villa Sandino Diœcesis Burgensis in Hispania, quod Caput dono dedit Ecclesiæ S. Mariæ Ludouicus Offorius Eques Alcantarensis. Nituntur autem Oppidani Indulgentiâ centum dierum concessâ a Cardinali Francisco Pacieco Archiep. Burgensi ijs, qui die Festo Natiuitatis Deiparæ Virginis visitauerint Sacram Ædē Diuæ Mariæ de Villa Sandino, in qua asseruatur Caput S. Ambrosij. Præterea se tuentur Breuibus literis Vrbani VIII. Pontificis Maximi veniam dantis eisdem incolis Villæ Sandino, vt celebrent diem Festum S. Ambrosij de præcepto, quòd eundem elegerint in Patronum, eiusque Caput possideant. Hæc largitio planè simillima illi est, quam supra memorauimus dè diplomate Bonifacij IX. Summi Pontificis pro Corpore S. Iacobi Maioris apud Veronenses; quod si Hispani concedent Veronensibus, etiam nos Caput S. Ambrosij Sandinensibus ascribemus. Verùm quis Caput illud esse S. Ambrosij Archiep. Mediolanen. certò asseueret, non autem alterius Ambrosij, cùm in Romano Martyrologio, decimo septimo Cal. Nouembres, descriptum sit nomen S. Ambrosij Episcopi Caturcensis? Quòd si Tamayus pergat vendicare Villæ Sandino Caput S. Ambrosij Mediolanensis, ostendat vtique, quo tempore, quisue in abditum S. Ambrosij tumulum irrepserit; nam si in excidio vrbis sub Ænobarbo, non modò saluū fuit Corpus S. Ambrosij, sed etiam frontale aureum, quo tegitur ara maxima Basilicæ Ambrosianæ, quod magis obnoxium erat hostili auaritiæ, quis postea efferre inde potuit lipsana, nunquam ne quidem post S. Bernardum Cardinalem visa? Itaque Sandinenses Capite S. Ambrosij gaudeant, Caturcensis fortasse, non autem Mediolanensis. Nuper conditum est simulacrum argenteum Mediolani gemmis & vnionibus ditissimum, ora, resque gestas S. Ambrosij referens, Pontificali amictu infulâque tecti: cui simile Diuo Carolo posuerunt superioribus annis Aurifices Mediolanenses. Etiam S. Augustino ad Scholas Palatinas in Basilica iussu Decurionum vrbis statua marmorea erecta est in speciem docentis, cui

subest

subest eiusmodi Epigraphe.

Hic Augustinus
Humana docens
Diuina discit.

QVARTO IDVS DECEMBRIS.



Ediolani, in Basilica Beati Vincentij in Prato, Sancti Abundij Leuitæ, qui per martyrij certamina peruenit ad coronam.

DECEMBRIS 10.

HÆc Basilica commendatur maximè ab Ioanne Antonio Castillionæo in Libro de Antiquit. Mediolanensibus. Condidit illam Desiderius Rex Longobardorum: coluerunt diu Cœnobitæ Benedictini: atque adhuc illa antiquitatis suæ, ad inuidiam temporis, retinet monumenta. Appellatur autem in Prato ob circumiacentium pratorum vicinitam, quæ loci appellatio quondam erat in Pomœrijs frequentissima; nam Sacra Ædes Protasij in Campo, Nazarij in Campo, Victoris ad Vlmum, Petri intus Vineam, accepit cognomen a Campo, ab Vlmea, a Vinea, in quibus illa fuerat excitata.

Cæterùm tria Sanctorum Martyrum Corpora quiescunt in hac Basilica, nimirum Quirini, Nicomedis, & Abundij, de quibus suo loco scripsimus (quamquam Castillionæus in lib. supra citato pag. 123. & 128. ex fide Ioannis Petri Casorati affirmet, inibi plurium SS. anonymorum Corpora iacere). Vult autem Castillionæus Fasciculo 4. Parte 1., hunc S. Abundium illum eundem esse, qui passus est martyrium apud Spoletum cum S. Carpophoro Presbytero, cuius hodie fit mentio in Rom. Martyrologio. Permouet verò me auctoritas Ferrarij in Catal. SS. Italiæ tradentis, Corpora SS. Carpophori & Abundij asseruari Spoleti in Ecclesia S. Gregorij, itemque custodiri apud

Fulgi-

Fulgineum in loco, cui nomen *Saxum viuum*, prope quem Cœnobium Ordinis Oliuetani fuit extructum. Qui igitur potuit Abundius (nisi fuit Geryoni similis) Spoleti, prope Fulgineum, & Mediolani, immò etiam Romæ tumulari, si credimus Castillionæo? Quamobrem arbitror, hunc Abundium Leuitam fuisse, Romæ insignitum martyrio, atque inde cum SS. Quirino & Nicomede ad hanc Basilicam aduectum, vbi cum eisdem in marmoreo tumulo conquiescit. Huiusce Abundij meminit Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, atque alij Scriptores cum Castillionæo, necnon Martyrol. M.SS. in codice Antiphonarum Ecclesiæ Collegiatæ S. Georgij Mediolani, quem, cùm essem Præfectus Bibliothecæ Ambrosianæ, in eiusdem nidis collocaui simul cum plurimis alijs libris M.SS.

DECIMO NONO CALENDAS IANVARII.



Ediolani Sancti Matroniani Eremitæ, quem Angelus ad eremum duxit, atque delato identidem pane mirabiliter pauit.

DECEMBRIS 14.

AGunt de S. Matroniano Martyrol Romanum, Breuiarium ac Missale Ambros., Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ, Ripamontius Dec. 1. lib. 4. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ, Morigius in Sanctuario, Villa de Septem Basilicis Stationalibus, Carolus a Basilica Petri in Vita S. Caroli lib. 5 cap. 6., & Giussanus pariter in eiusdem S. Caroli Vita lib. 5. cap. 9., Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 38. & 180., Brautius in Martyrol. Poetico:

Aliger in syluas Sanctum deduxit, alitque:
Et vita functum munere condit humi.

Pulcherrima quoq; sunt epigrāmata Bulzij in Lario Poetico.

S. Matronianus Eremita
duce Angelo eremum petit.

O felix nemorum sedes! procul exulat auri

Hinc sitis: hic tumidos non rotat ambitio.
Cantitat hic tutè volucris, placidèque susurrat
Vnda, dolus nusquam, dulcis vbique quies.
Par Paradisiacis nemus est, nec fallimur, hortis;
Ipsa habet æthereas syluula delicias.
Aliger hinc homines superas deducere in oras
Assuetus, ducit te, Pater, in nemora.

Ab eodem Angelo in eremo pascitur.

Sit Mediolanum vrbs quauis augustior vrbe:
Non est illa tibi par, Pater, vnde fugis.
Mundus inescantes dapifer vigil offerat escas:
Egerat Ambrosias vel penus Inda dapes:
Non sapiunt, non digna tuo sunt fercla palato;
Aduehit hinc meritos Cæles ab axe cibos.
Pascere de Cælo, Pater optime, pascere; alumnum
Cælestem solum Cælica quadra decet.

Eius Corpus inter venandum deprenditur.

Venatrix dum lustra cohors nemorosa perrerat,
Incidit in Sancti membra inhumata viri.
Hic quid statis adhuc, homines, per tesqua: quid vltra
Dentatos Cephali sollicitatis apros?
Eia vagos reuocate canes: succedite testis:
Thesauri vobis præda sat esse potest.

Annis verò superioribus, cùm Mediolanensem Ecclesiam regeret Eminentissimus Cardin. Alphonsus Litta, restitutum est in Basilica Nazariana sumptuoso opere sacellum S. Matroniani: ac magnifico eius Templi apparatu in eiusdem Sacelli ara, totius Populi Mediolanensis veneratione, reconditum est Corpus S. Matroniani.

DECIMO OCTAVO CALENDAS IANVARII.



Riuillij Sanctorum Antonij & 1. Basilij Martyrum, quorum Corpora ibidem magnâ deuotione coluntur. Mediolani Sanctæ 2. Aureliæ Virginis &

nis & Martyris, cuius Corpus ad hanc vrbem Româ delatum est.

DECEMBRIS 15.

1. EX Tabulis Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini, de qua Vghellus tomo 4 Italiæ Sac.

2. EX Tabulis Ecclesiæ Sanctimonialium S. Vincentij, de cuius Cœnobio paulò antè scripsimus: ac de Ecclesia meminit Morigius in Sanctuario, in qua Corpus S. Aureliæ asseruatur.

DECIMO CALENDAS IANVARII.



Risâgi Festiuitas Sanctæ Victoriæ Martyris, cuius Corpus piè ibidem collocatum est.

DECEMBRIS 23.

BRisâgi ad Lacum Verbanum meminit Gaudentius Merula lib. 2. Antiquit. Gallorum Cisalpin. cap 15., in cuius Sacra Æde primariâ iacet Corpus S. Victoriæ, cuius inibi dies Festus celebratur Dominico die, qui Natiuitatem Saluatoris præcedit, fortasse in illum diem translatâ Solemnitate, propterea quod in Romano Martyrologio huic diei proxima semper est memoria S. Victoriæ Virginis & Martyris.

SEPTIMO CALENDAS IANVARII.



N Valle Tellina Natalis Beati Pagani de Leuco Ordinis Prædicatorum, qui ab hæreticis, Catholicæ Fidei tuendæ causâ, est interemptus.

DECEMBRIS 26.

BEatus Paganus Leucensis in Pago Colorinæ in Valle Tellina occisus fuit ab hæreticis die Festo Protomartyris Anno MCCLXXVII., *multis quidem confossus vulneribus, atque exemplo Saluatoris in latere lancea perforatus*: vnâque cum eo mactati duo Notarij Sanctissimæ Inquisitionis: Frater verò Christophorus Socius Beati Pagani vulnera multa perpessus pro Christo, artis postea medicæ ope incolumis euasit. Beati Pagani meminit Martyrologium Comense, necnon Catalogus Beatorum Comensium in calce Officiorum Ecclesiæ Comensis, Tattus in Dec. 2. lib. 10 Annalium Sacrorum Comi, qui in Notis Martyrologij Comensis plurimos Scriptores enumerat agentes de Beato Pagano, cuius Corpus iacet Comi in Ara maiori antiquæ & ornatissimæ Ecclesiæ S. Ioannis Pedemontani.

Et quamuis Ioannes Michael Piò in Vitis virorum illustrium Ordinis Prædicatorum doceat, Oppidum Leuci contineri in agro Bergomate, tamen Piò frustra est, quandoquidem Oppidum Leuci, non modò continetur in Ducatu, verùm etiam in Diœcesi Mediolanensi, vti satis constat, & videre est in Actis Mediolanen. Ecclesiæ Parte 4., apud Vghellum tomo 4. Italiæ Sacræ, & apud Georgium Longum, qui vitam B. Pagani edidit Mediolani Anno MDCXI., ac multorum auctorum testimonio eiusdem Martyris Sanctimoniam laudauit, queis adde Marchesium in Diario Sanctorum Ordinis Prædicatorum. Et quidem Sanctissimum Tribunal Inquisitionis Comi clarissimum est, quòd Inquisitores habuerit S. Petrum Martyrem, Beatum Paganum, ac Beatum Pium V.

De Oppido Leuci agit Blondus in Lombardia, Merula de antiquit. Gall. Cisalpin. cap. 7., idemque scribit de Valle Volturena siue Tellina cap. 13., Chalcus lib. 7. Hist. Pat., Tattus lib. 2. & 9. Dec. 2. Annalium Comensium, & Boldonus, cùm Lacum Larium describit.

QVIN-

QVINTO CALENDAS IANVARII.

IN Bethlehem Iudæ Natalis Sanctorum Innocentium, quorum plura Corpora Mediolani honestissimè condita, deuotissimâ totius Populi veneratione, coluntur.

DECEMBRIS 28.

CVm Sanctorum Corpora, quæ in vrbe, aut in Diœcesi quiescunt, prætermittenda non sint, propterea quòd Ecclesiam Mediolanensem suis lipsanis exornant; quid missos faciamus Sanctissimos Infantes ab Herode occisos, quorum nonnulla Corpora Mediolani condita sunt? Et quidem in Ara maxima Basilicæ Metropolitanæ vndecim Corpora Sanctorum Innocentum collocata fuisse a Martino V. Summo Pontifice, cùm illam consecrasset, auctor est Giussianus in Vita S. Caroli lib. 2. cap. 10., Morigius in Hist. Mediol. lib. 2. cap. 17. ac in Sanctuario, necnon in Libro, cui titulum fecit il *Duomo di Milano* cap. 10. & seq., Villa de Septem Basilicis Stationalibus, & Ioannes Franciscus a Basilica Petri de Ecclesijs Mediolani. Idem Villa vnum ex Innocentibus inclusum esse in arca affabrè elaborata in Basilica Nazariana affirmat. Morigius pariter in Sanctuario, atque in Hist. Mediol. cap. 22., Villa in eodem Libro, necnon Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap 32. plurium Auctorum testimonio fretus, testantur, in Basilica Laurentiana vnum ex Sanctis Innocentibus esse tumulatum. Denique in Templo S. Francisci in arca argentea venustissima Corpus vnius Innocentis hodie totius vrbis venerationi proponitur, quæ ad illud Templum frequentissima confluit, vbi dies Festus SS Innocentum magnifico apparatu pompâque peragitur; quam quidem Arcam dono datam fuisse ab Antonio Ruscono Mediolanensi, qui Anno MCDXXXXVIII. præfuit toti Ordini Conuentualium, docet Morigius in Sanctuario;

tuario; extruxerat autem ibi SS. Innocentibus olim sacellum Luchinus Nouellus, in quo cadauer suum iussit sepeliri, si fides Ripamontio Dec. 3. lib. 3 Hist. vrbis Mediolani, quod vtinam eisdem SS. Infantibus restituatur, cùm Franciscana Basilica reficitur. In alijs verò Sacris Ædibus, & Corpora, & Insignes Reliquiæ Innocentum asseruantur, præsertim in Basilica Ambrosiana, vbi in hierotheca argentea femur vnum cum crure ac pede vnius Innocentis incorruptum adhuc, hodie in Ara maiori Fidelium cultui prostat. Morigius denique in lib. 2. Hist. Mediol. cap. 8. affirmat, sex supra viginti Corpora SS. Innocentium in vrbe nostra fuisse condita.

De Loco autem Mediolani, quem Ammianus Marcellinus lib. 27. Historiarum scribit appellatum fuisse *ad Innocentes*, consule Carolum a Basilica Petri in Fragmentis Historiæ Mediol., & Cardinalem Baronium in Notis Martyrol. Romani ad diem decimum tertium Calendas Maij sub litera *F*.

QVARTO CALENDAS IANVARII.



Ediolani Sancti Felicis Martyris, cuius Corpus in Ecclesia Parochiali Sanctorum Cosmæ & Damiani humatum fuit.

DECEMBRIS 29.

Elegantissimum hoc Templum plura Sacra lipsana locupletant; nam præter Corpora SS. Lucij, Lucinæ, & Felicis, asseruat Capita S. Vitalis Mart., ac S. Eugeniæ Virg. & Mart., itemque Brachiũ S. Leoniæ, atque S. Prudentiæ Virgg. & Martt.; ex eius igitur tabulario Corpus S. Felicis inibi custodiri liquidò patet. De hac Parochiali Ecclesia vide Puricellum in Dissertat. Nazar. cap. 9. num. 11. & cap. 64. num. 17. in quo cap. 9. agit etiam de Ecclesia Parochiali S. Protasij ad Monacos vulgò *alla Ronere*.

TER-

TERTIO CALENDAS IANVARII.


MEdiolani Sancti 1. Eugenij Episcopi & Confessoris, qui Ritûs Ambrosiani propugnator acerrimus in eadem vrbe, sanctitatis & doctrinæ laude clarus, animam Deo reddidit. Ibidem, in Ecclesia Sancti Nazarij in Campo, 2. Apparitio Beatæ Dei Genitricis Mariæ, cuius imago picta, prolatâ mirabiliter manu, sublatoque velo, quo tegebatur, hâc die astanti populo, clarissimo cum splendore se obtulit.

DECEMBRIS 30.

1. OBærata plurimùm est Mediolanensis Ecclesia S. Eugenio. Quamobrem S. Carolus Decr. 5. Synodi Diœcesanæ 2. Ritûs Ambrosianos se pro virili retenturum totidem verbis profitetur. *Cùm Officij Ambrosiani rationem ac normam vel antiquissimam esse constet, quam ab ipso S. Ambrosio institutam ac præscriptam S. Eugenius Episcopus omni, & doctrinæ, & pietatis ratione retineri studuit &c. vt etiam conseruata est perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensu: nos propterea &c.* Porrò defensionem eam Rituum Ambrosianorum suscepit Diuus Eugenius Adriano I. Summo Pontifice, cùm Carolus Magnus Libros Ambrosiani Officij ignibus tradendos esse censuisset. Et licèt Cardinalis Bona lib. 1 cap. 10. de rebus Liturgicis videatur de auctoritate Galuanei & Beroldi dubitare, qui miracula narrauere, queis Ritus Ambrosiani fuere cælitus approbati, quòd illi *ignoti scriptores sint, quorum auctoritas quanti ponderis sit, alijs discutiendum relinquit*: nihilominus plurimorum Scriptorum testimonio illa miracula corroborantur. De Galuaneo quidem auctores scripsere, qui Ordinis

dinis Dominicani Scriptores recensuerunt; erat enim alumnus Eustorgiani Cœnobij Mediolani. Quis verò sit Beroldus, satis intelliges ex ijs, quæ Puricellus de eo tradidit in Dissertat. Nazar. cap. 97.; exteris siquidem ignoti sunt, apud nostrates autem minimè obscuri.

Cæterùm S. Eugenij meminere Martyrol. Romanum, Breuiarium ac Missale Ambrosianum, Præfatio in Cæremoniale Ambrosianum, Acta Mediolanen. Eccl. Parte 6. in Tabula Archiep. Mediolanensium num. 50, vbi hæc memorantur. *Thomas Crassus, Mediolanensis* (de quo supra scripsimus Calendis Octobris) *religionis causa Hierosolymam peregrinatus, inde reuersus, Adriano Pontifice Cal. Nouembris Archiepiscopus factus, Ambrosiani Officij Libros, quos Carolus Magnus inflammandos censuit, Eugenij Episcopi studio, mirificè defendit &c.* Præterea agunt de S. Eugenio Godofredus de Bussero in Vita M. SS. eiusdem S. Eugenij in Bibliotheca Capituli Metropolitani, Durandus in Rationali Diuinorum Officiorum lib. 5. cap. 2., Mombritius in Vita eiusdem, Galuaneus M SS. in Bibliotheca Ambrosiana cap. 604. & 605., Breuiarium Ambros. editum Anno MCDLXXXVII. in calce, Hist. Arnulphi M SS, quæ vulgò appellatur *Chronica Datij*, Beroldus M.SS in Tabulario Capituli Metropolitani, Iacobus de Voragine in Vita S. Gregorij Papæ, Vicecomes lib. 2. de Ritibus Missæ cap. 12 & 18, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Bugatus lib. 2. Hist. Mediol., Morigius lib. 2. Hist. Mediol. cap. 6., Galesinius in Præfatione ad Homiliarium Stephani Leinatij, Ripamontius Dec. 1. Hist. Mediolanen. Ecclesiæ lib. 9, Besutius in Hist. Pontific. Mediol. in Vita S. Thomæ Crassi, Vghellus tomo 4. Italiæ Sacræ col. 31., Puricellus in Vita S. Laurentij Littæ cap. 33 num. 21. & seqq., Villa de Septem Basilicis Stationalibus, Io: Franciscus a Basilica Petri in Libro de eisdem Basilicis, Pflaumern in Mercurio Italico pag. 619, Brautius denique in Martyrol. Poetico.

Præsulis Ambrosij signis adiutus ab alto,
Obtinuit Templis Ambrosiana Sacra.

Quibus autem signis fuerit S. Eugenius *adiutus ab alto*: vt obtinere potuerit Mediolanensi Ecclesiæ Ritûs Ambrosianos, plurimi significant auctores ex ijs, quos antè citauimus; nos

ex Ripamontio loco memorato describemus. Cùm enim Ritus Ambrosiani Romæ a Carolo Magno coram Pontifice Maximo Adriano vocati fuissent in controuersiam: atque summo studio res agitaretur, *S. Eugenij fautoris monitu eò decursum est: vti res tota ipsimet Numini diiudicanda permitteretur. Itaque consentientibus vtrinque ratio initur, qua, disceptante Deo, statueretur, abolerene, an verò æternùm manere Ambrosiani Officij formulam oporteret. Ea ratio fuit huiusmodi. Breuiarium & Missale vtrumque, Romani quippe Ritus & Ambrosiani, collocantur separatim in Ara maxima Diui Petri: occlusisque foribus, & impresso annulo, discedunt inde pars vtraque, pro certo & indicato deinceps habituri, quicquid cælestia signa comprobarent. Instaurant preces, perseuerantis inediæ rigore, supplicationibus ad præcipua templa, effusa quoque in pauperes liberalitate, flagitant Diuinæ voluntatis indicia; ea vna cura, id vrbe tota est votum. In hunc modum exacto triduo (spatium quippe temporis id conuenerat) resignantur claustra, gradum inferunt, Princeps, Pontifex, Patres, penes quos futura esset lenissimi certaminis victoria, haud minùs soliciti, quàm cùm olim præcipua Fidei capita, & summa Religionis in discrimen veniret. Postquàm in Ara maxima conspectum venere, vident mirabile dictu, quod ita referam, prout in grauissimis monumentis extat. Romana precum volumina, sparsis atque dissipatis toto sacello folijs apparuere: codices Ambrosiani sua in sede, quò statuti fuerant, stabiles manebant; id vnum Diuina vis mutauerat, quòd aperti & explicati prostabant, quasi pietatem & oculos inuitarent. Ab ea Diuinæ voluntatis tam illustri significatione nemini dubium fuit, quin Romana formula communis & publica toti terrarum orbi, Ambrosiana propria Ecclesiæ Mediolanensis intelligeretur &c.* Eadem narrat Bagatta tomo 2. admirandorum ex fide Vghelli, & Morigius cap. 25. Libri, cui titulus *Il Duomo di Milano*.

Verùm S. Eugenius, cuius sedis fuit Episcopus? Alij Episcopum Gallum vocant, Natione scilicet: alij in Gallia Episcopum, neutiquam tamen indicantes Ecclesiam. Molanus vult, S. Eugenium fuisse Archiepiscopum Mediolani; atqui in agmine nostrorum Antistitum eum nunquam vidimus. Neque

tamen monstro esse debet, si Diui Eugenij sedem Episcopalem ostendere nequimus: quando etiam aliorum Antistitum sedes delitescit. Id apertè testatur Cardin. Baronius in Notis Martyrologij Romani, tum duodecimo Calendas Septembris ad literam *K.*, tum vndecimo Calendas Octobris ad literam *E.*; namque ijs in locis fit mentio S. Quadrati Episcopi, ac S. Alexandri itidem Episcopi: nec tamen quibus Ecclesijs præsederint, adhuc compertum est.

2. Templum hoc Assumptæ in Cælum Virgini dicatum, vulgò appellatur Deiparæ Virginis iuxta Diui Celsi, propterea quod proximum est Sacræ Ædi S. Celsi, in quâ eiusdem Martyris Corpus humatum est. Est autem Ecclesia illa Mariæ Virginis, ædificationis, tabularum pictarum, simulacrorum opere, elegantiâque, magnificentissima, auro gemmisque ditissima, exterorum, atque ciuium veneratione clarissima. Aram ipsam valuæ argenteæ occludunt mirabili artificio elaboratæ: columnæ argenteæ ditant Iconem simulacro marmoreo Deiparæ celebrem. Circum ingentes ex argento pensiles lychni iugiter ardent: monilia, alia baccata, alia plurimo adamante nitentia, collum Virginis exornant. Caput coronâ aureâ præfulget, quæ Anno MDCLXXXXI. decimo tertio Calendas Martij, dono data ab Illustrissimo Nobilissimoque Capitulo S. Petri Almæ Vrbis ex Legato Illustrissimi & Reuerendissimi D. Comitis Alexandri Sfortiæ eiusdem Basilicæ Canonici, imposita eidem fuit, delata illuc ab agminibus omnium Cœtuum Religiosorum ac Liturgorum Mediolani, qui ad eandem Ecclesiam supplicatùm iuere, comitantibus eam pompam Præfecto, Ædilibus, atque Decurionibus Vrbis. Simulacrum illud marmoreum Virginis cælatum fuit ab Annibale Fontana sculptore eximio, cuius laudes memorat Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 158.: eiusque imaginis meminit Ioannes Henricus a Pflaumern in Mercurio Italico. Hæc Ecclesia olim vocabatur S. Nazarij in Campo, vti etiamnum legimus in Libris Litaniarum Triduanarum more Ambrosiano, quòd olim area huiusce Templi esset in Campo; quemadmodum fusè ostendit Puricellus in Dissertat. Nazar. cap. 48. Commendatur hoc Templum a Morigio lib. 2. Histor.

cap. 28. & 29. atque alibi, a Sociaco lib. 1. Epigrammatum, & a Patre Corona in Libro, qui inscribitur *Sacri Tempij*.

Porrò de hâc Apparitione agit ibidem Puricellus cap. 128. afferens testimonia ex Processu habito Anno MCDLXXXVI. septimo Idûs Ianuarias coram Illustrissimo Rolando Episcopo Anteradensi suffraganeo Cardinalis Arcimboldi Archiep. Mediol.: cùm anno superiori MCCCCLXXXV. hâc die Beata Virgo Deipara apparuisset eâ specie, quam nos in hoc Martyrologio descripsimus. Huiusce item Apparitionis meminit Guilielmus Gumppembergh in Libro, cui titulus *Atlas Marianus*: ac de ea plura tradit Morigius in libello de Templo Beatæ Virginis ad S. Celsi: vbi hodie celebratur Festum Solemne de hac Apparitione, exhibeturque osculo Fidelium velum, quod mirabiliter Deipara ab ore amouit. Eadem Apparitio memoratur a Bzouio ad annũ eundem MCCCCLXXXV. num. 19., sed parum discordat a veritate rei; siquidem narrat, *duos Angelos præstantiori quàm humana specie, ante cancellos loculamenti columellæ, visibiliter cunctis ibi genuflexis apparuisse, atque velum, quo imago tegebatur, manibus proprijs retexisse; quo repanso visendam quoque se ad cancellos præbuit Angelorum Regina &c.* cunctosque *odore fragrantissimo, quem diffuderat, recreauit*.

Cæterùm nonnulli arbitrantur cum Puricello in eadem Dissertat. Nazar. cap. 121. & 160., hanc Imaginem Deiparæ Virginis inibi pictam fuisse in quadam pila iussu S. Ambrosij, postquàm ibidem inuenerat Corpora SS. Martyrum Nazarij & Celsi. Imago illa picta inclusa est in Ara, eâ tamen ratione: vt frontale in vmbilico fenestellam aperiens, oculos adorantium ad spectandam effigiem admittat. Certè ibi quotannis sexto Idûs Maij peragitur Festum Solemne propter Inuentionem SS. Nazarij & Celsi, quæ illâ die in Martyrologio Romano memoratur: & ab Ecclesia Mediolanensi Titulo Translationis S. Nazarij celebratur. In eo autem Libro *Atlantis Mariani*, qui impressus fuit Monachij Anno MDCLVII., agit Auctor de multis Imaginibus Beatæ Virginis Mariæ: ibique Parte 2. meminit Apparitionis eiusdem Deiparæ ad Oppidum Carracam, seu Carrauacam (vt mauult Ferrarius) vulgò *Carraua-*

gio; quæ celebris est in Insubribus propter creberrima miracula, queis Beata Virgo sedem illam illustrat. Eum verò locum, in quo apparens Virgo fixit vestigia, S. Carolus Borromæus singulari pietate honestauit: & Fidelium munificentia præclarissimi operis Templo insigniuit. Verùm cùm Ecclesia illa sit in Diœcesi Cremonensi, consulat Lector beneuolus auctores, qui de illa scripsere, præsertim Ioannem Rò exemplo 34. in Libro, cui titulum præposuit *Sabati del Giesu*. Nos contenti sumus Templo Celsiano, vbi anathemata pretiosa significant, quantùm auxilietur ibidem Virgo opem illius implorantibus, cùm neque velo passa sit tegi: vt verè præsens Mediolanensibus adesset, eosque fauens respiceret. Hóc Templum frequentauit S. Carolus, Auctore Glussiano in eius Vita lib. 1. cap. 2.

PRIDIE CALENDAS IANVARII.



Romæ Sancti 1. Fabiani Martyris, cuius Ossa Varisij in Ecclesia Annunciationis decenter custodiuntur. Item Romæ Sanctæ 2. Eugeniæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Mediolani in Ecclesia Sancti Bernardi venerabiliter habetur. Romæ pariter Sanctæ 3. Paulinæ Virginis & Martyris, cuius Corpus Triuillium in Diœcesim Mediolanensem delatum, in Ecclesia Sancti Petri summâ deuotione asseruatur.

DECEMBRIS 31.

1. DVplex Cœnobium Franciscanorum celebre est Varisij, alterum Conuentualium Insigne & antiquius, cuius Ecclesiæ condendæ veniam impertiuit Beatus Leo Peregus Archiep., vti ex sequenti Epigrapha discimus (erat enim Leo ex Ordine Minorum)

Fr. Leo de Ord. Min. Diuin. Pronid.
S. Mediol. Eccl. electus
Dilecto in Christo Fratri Petro de Padua
Ord. Nostri sal. in Domino.
Ex parte Fratrum Nostror. prædic. Ord.
in Burgo Varisij comoran. nobis fuit
humiliter supplicatum vt eisdem construendi
Ecclesiam in dicto Burgo in qua
possint & debeant
Diuina Officia ministrare
licentiam concedere dignaremur
Nos autem pium eorum propositum
in Domino commendantes
ad honorem Dei & B. Francisci Confessoris eius
construendi eam eisdem licentiam concedimus
specialem mandantes tibi quatenus ad locum
personal. accedens in ipsa ponere debeas
primum lapidem Vice Nostra. Dat. Mediolani
Kal. Octobris 1243.

Quamquam facultas potiùs scripta a Leone, quàm Epigraphe videatur: attamen ob memoriam tanti Præsulis æquum visum est, eam marmori cõsignare: ne monumenta rei perirent. Alterum Cœnobium nobile pariter est, in cuius Ecclesia Annunciationi sacrâ quiescit Corpus S. Fabiani: eamque egregiâ pietate tuentur Minores seuerioris obseruantiæ. De Cœnobio habet Haroldus sect. 2. col. 1144. *S. Maria Annuntiata apud Varisium, in quo requiescit Paulus de Brixia egregius Prædicator*; qualis autem fuerit Paulus Brixiensis, declarat Marcus Vlyssiponensis Parte 3. Chronicorum lib. 4. cap. 28. . Eius itidem Cœnobij meminit Gonzaga tomo 2., tradens eius aream dono datam a Varisiensibus: ædificationem verò, tum ipsius Oppidi, tum piorum virorum eleemosynis absolutam Anno MCDLXVIII: Ecclesiam consecratam fuisse a Reuerendiss. Antonio de Latijs Salodiensi Episcopo, ædificatamque a Varisiensibus studij causâ erga S. Bernardinum Senensem. Rem deinde mirandam narrat, quam huic loco inserere non est importunum. *Cùm Beatus is Pater* (nempe S. Bernardinus) *post*

pacem

obitu vidua erat, Pontifex consecratus iam senex a S. Iulio Pontifice Maximo, eam Ecclesiam viuido optimi Pastoris actu & affectu per annos nouem gubernauit &c. Cuius felix quidem Depositio septimo Iulij contigit: at memoria tamen hac die magis apud Oppidanos suos celebris est, quo Hincmarus eiusdem ædis Antistes ex Ecclesia Sancti Agricolæ, vbi primùm iacuerat, Corpus eius leuatum ad Ludouicum Germaniæ Regem pretioso munere transmisit.

Itaque hodie recolitur Solemniter Translatio S. Materniani, quem fuisse fratrem S. Materni Antistitis nostri, ac proinde ciuem Mediolanensem apertissimè constat, non autem fratrem S. Materni Archiepiscopi Treuirensis, cuius memoria celebris est in Martyrol. Romano decimo octauo Calendas Octobris. Siquidem S. Maternus Treuirensis fuit discipulus Diui Petri Apostoli, quem Donatus Caluus in *Proprinomio Euangelico Resolut.* 19. ait, fuisse filium Viduæ, quem ad Portam vrbis Naim Christus a mortuis suscitauit, atque iterum vitâ defunctum in Gallia Belgica S. Eucharius reuocauit ad vitam. *Così* (inquit Caluus) *il buon Materno trè volte morto, e due volte risuscitato, hor la terza resurrettione attende, perche vnitamente con l'anima trionfi il corpo nell'Empireo.*

Maternus verò Mediolanensis Antistes eo tempore huic Metropoli præfuit, quo Imperator Maximianus sæuiter persequebatur Ecclesiam Dei.

✠

INDEX TOPOGRAPHICVS.

A.

B.

C.

Locati.
S.Felicis Mart. 9.Maij.
Luragi Marinoni.
S.Valentini Mart. 14.Febr.

M.

In Pago Mandij.
S.Macarij Mart. 28. Feb.
Mantuæ.
S. Anselmi Episc. & Conf 18. Martij.
Medæ.
SS. Haymonis & Vermundi Conf. 13. Feb.
Mediolani.
S.Sebastiani Mart. 20.Ianu.
S.Guiniforti Mart. 22.Aug.
S.Anathalonis Ep. & Conf. 25 Septemb.
Translatio prima S. Monæ Ep. & Conf. 12.Octob.
S.Quinctini Conf. 29. Octob.
SS. plurimorũ Martt., Confess. atque SS.Virgg. 1.Nouemb.

In Basilica Metropolitana.
S.Ioannis Boni Ep. & Conf 10. Ianu.
Translatio secunda S. Monæ Ep. & Conf. 6.Febr.
S.Monæ Ep.& Conf. 26.Martij.
S.Galdini Cardin. Ep.& Conf. 18.Apr.
S.Dionysij Ep.& Cõf.25.Mart.
SS.Cantij, Cantiani, & Cantianillæ Martt. 31.Maij.
Translatio Reliquiarum eorundem SS. Martt. Cantianorum 14. Iunij.
S.Maximi Mart. 22.Septemb.
S.Pelagiæ Virg.& M.8.Octob.
Dedicatio Basil.Metropolitanę 20.Octob.
S. Caroli Cardin. Ep. & Conf. 4. Nouemb.
S.Aurelij Ep & Conf. 9. Nouẽb

In Ambrosiana.
S.Mansueti Ep. & Cõf. 19 Feb.
S. Benedicti Episc. & Conf. 11. Martij.
SS. Protasij & Geruasij Martt. 25. Martij.
Depositio S. Ambrosij Ep. & Conf 4. Aprilis.
B Læti Marcellini Ep & Conf. 4. Aprilis.
Conuersio S. Augustini 5. Maij.
SS. Casti & Polymij Conff. 9. Maij.
S.Robustiani Mart. 24.Maij.
Translatio SS. Protasij & Geruasij Martt. 19. Iunij.
S.Marcellinæ Virg. 17.Iulij.
SS. Robustiani & Marci Martt. 31. Augusti.
S.Candidæ Virg. 31. Aug.
S.Iustinæ Virg. 27. Septemb.
Baptismus S. Ambrosij 30.Nou.
Ordinatio eiusdem 7. Decemb.

In Nazariana.
Translatio S.Lazari Ep.& Confess. 11.Febr.

In S. Simpliciani.

S. Ampellij Ep. & Conf 8. Feb.
S. Geruntij Ep. & Conf. 5. Maij
Translatio secunda Corporum SS. 27. Maij.
SS. Sisinij, Martyrij, & Alexandri Martt. 29. Maij.
S. Vigilij Ep. & Mart. 26. Iunij.
Canonizatio S. Ampellij Ep. & Conf. 8 Iulij.
Translatio prima SS. Sisinij, Martyrij, atque aliorũ Corporum SS. 15. Aug.
S. Simpliciani Ep. & Conf. 16. Augusti.
S. Antonini Episc. & Conf. 31. Octob.
S. Benigni Ep. & Conf 20. Nou.

In S. Francisci.

S. Sauinæ Matronæ 30. Ian.
SS. Felicis & Fortunati Martt. 26. Feb.
Translatio prima SS. Naboris, & Materni 18. Apr.
S. Ephenici Mart. 9. Maij.
S. Clatei Ep & Mart. 4. Iunij.
S. Barnabæ Apostoli 11. Iunij.
SS. Naboris & Felicis Martt. 12. Iulij.
S. Materni Ep. & Conf. 18 Iulij.
S. Margaritæ Virg. & Mart. 20. Iulij.
Translatio secunda SS. Naboris, atque aliorum SS. Corporum 14. Septemb.
S. Candidi Mart. 22. Septemb.
S. Caij Ep. & Conf 27. Septẽb.

In S. Eustorgij.

SS Regum Magorum 6. Ian.
S. Honorati Ep. & Conf 8. Feb.
S. Petri Martyris 29. Aprilis.
Translatio S. Petri Martyris & B. Dominici Mart 7. Maij.
SS. Victoris & Coronæ Martt. 14. Maij.
S. Eustorgij I. Ep. & Conf. 18. Septemb.
S. Magni Ep. & Conf 5. Nouẽb.
S. Eugenij Ep. & Conf. 30. Decemb.

In Regione Orientali vrbis Mediolani.

In Ecclesia S. Radegundæ.

S. Felicis mart. 29. Ianuarij.
S. Prosperæ Virg. & M. 4. Sept.

In Ecclesia Seruorum B V. M.

B. Ioannis Angeli Conf 24. Octob.

In Ecclesia S Romani.

SS. Petri & Laurentij Martt. 30. Maij.

In Ecclesia Conceptionis FF. Capuccinorum.

S. Almachij Mart. 1 Ian.
S. Theodori Mart. 29. Iulij.
S. Fulgentij Mart 4. Decemb.

In Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani.

S. Iusti Mart. 28. Feb.
S. Herculani Mart. 3. Octob.

In Ecclesia S. Ioannis ad Concham.

S. Castritiani Episc. & Conf. 1. Decemb.

In Regione Ticinensi.

In Ecclesia S. Mariæ de Victoria.

SS. Candidi & Clemẽtis Martt. item S. Marcellę Vig. & Mar 19. Maij.

In Ecclesia S. Vincentij in Prato.

S. Quirini Ep. & Mart. 4. Iunij.

S. Nicomedis Presbyt. & Mart. 15. Septemb.

S. Abundij Leuitæ & Mart. 10. Decemb.

In Ecclesia S. Alexandri.

S. Alexandri Mart. 27. Feb.

S. Modesti Mart. 30. Aug.

In Ecclesia S. Marthæ.

B. Veronicæ de Binasco Virg. 13. Ian.

S. Candidæ Virg. & Mart. 18 Maij.

In Regione Vercellensi.

In Ecclesia S. Michaelis.

S. Firmi Ep. & Mart. 4. Feb.

In Ecclesia Monasterij Maioris.

S. Liberatæ Virg & M. 18. Ian.

In Ecclesia S. Valeriæ.

S. Valeriæ Mart. vnà cum infantibus Aurelio & Diogene, 28. April.

In Ecclesia S. Mariæ ad arcem Iouis.

Translatio Imaginis B. V. Mariæ 5. Apr.

In Ecclesia S. Vincentij.

S. Bibianæ Virg & M. 2. Decẽb.

S. Aurelię Vir. & M. 15 Decẽb.

In Regione Comensi.

In Ecclesia S. Nazarij ad Petram Sanctam.

S. Innocentij Mart. 30. Iulij.

In Regione Noua.

In Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani.

S. Lucij Mart. 15. Febr.

S. Felicis Mart. 3. Martij.

S. Lucinæ Virg & Mart. 5. Iulij.

S. Felicis Mart. 29. Decemb.

In Ecclesia S. Margaritæ.

S. Dorotheæ Virg. & M. 6. Feb.

In Ecclesia S. Catharinæ in Brayda.

SS. Lucilli & Maximi Martt. 14. Apr.

In Ecclesia S. Marci.

S. Bonifacij Mart. 2. Iunij.

In Ecclesia S. Mariæ Angelorum.

B. Beatricis Matronæ 16. Mart.

B. Alberti a Sartiano 15. Aug.

B. Michaelis Conf. 15. Octob.

In Ecclesia S. Dionysij.

Commemoratio Prędicationis S. Barnabæ Apostoli 13. Martij.

S Het-

FINIS

Indicis Topographici.

INDEX RERVM.

Augu-

D.

Eccle-

Cor-

S.

T.

FINIS INDICIS RERVM.



INDEX NOMINVM SANCTORVM ORDINE ALPHABETICO.

A.

B.

G.

H.

I.

Trans-

FINIS.

IN-

INDEX
SANCTORVM MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ,

Quorum nomina descripta sunt in hoc Martyrologio secundùm ordinem Mensium.

IANVARIVS.

FEBRVARIVS.

7. S. Theodori Mart.
8. S Honorati Episc. & Confess.
S. Ampellij Episc. & Confess.
9. Translatio prima SS. Fidelis & Carpophori Martt.
S. Alexandri Mart.
10. S. Hyacinthi Mart.
11. Translatio S. Lazari Episc. & Confess.
12. S. Mauri Abbatis Ordinis S. Benedicti.
13. SS. Haymonis & Vermundi Confessorum
14. S. Valentini Presbyt. & Mart.
S. Valentini Mart.
B. Christinæ Virg. Ordinis S. Augustini.
15. S. Lucij Mart.
S. Fausti Mart.
19. S. Mansueti Episc. & Confess.
21. S. Fortunati Mart.
Apparitio S. Ambrosij Episc. & Confess.
23. S. Polycarpi Presbyt. & Mart.
26. SS. Felicis & Fortunati Martt.
27. S. Alexandri Mart.
28. S Iusti Mart.
Festiuitas Deiparæ Virg. Triuillij.
S. Macarij Mart.

MARTIVS.

1. S. Leonis Mart.
S. Smeraldæ Virg. & Mart.
3. S. Valentini Presbyt. & Mart.
8. S. Felicitatis Virg. & Mart. ac S. Hilarij Mart.
S. Prouini Episc. & Confess.
11. S. Benedicti Episc. & Confess.
13. Commemoratio Prædicationis S. Barnabæ Apostoli.
14. Natalis S. Lazari Episc. & Confess.
15. S. Fortunij Mart.
16. Beatæ Beatricis Matronæ Ordinis Minorum.
18. S. Anselmi Episc. & Conf. Ordinis S. Benedicti.

25. Commemoratio Sanguinis miraculosi Imaginis Iesu
Natalis SS. Protasij & Geruasij Martt.
26. Natalis S. Monæ Episc. & Confess.
29. S. Victorini Mart.
31. S. Mauricilij Episc. & Confess.

APRILIS.

1. S. Theodoræ Virg. & Mart.
Item alterius S. Theodoræ Virg. & Mart.
4. Depositio S. Ambrosij Episc. & Confess.
B. Læti Marcellini Episc. & Confess.
5. Translatio Imaginis Deiparæ Virg. ad arcem Iouis.
6. S. Alexandri Mart.
7. S. Amatoris Confess.
9. S. Fortunati Mart.
S. Hilarij Mart.
10. S. Herlembaldi Mart.
14. Translatio SS. Leonis & Marini Martt. atque Arsatij Episc. & Conf.
SS. Lucilli & Maximi Martt.
18. S. Galdini Cardinalis Episc. & Confess.
Translatio SS. Naboris, & Felicis & Materni.
S. Caloceri Mart.
S. Nici Eremitæ.
23. S. Maroli Episc. & Confess.
28. SS. Vitalis & Valeriæ Martt., ac eorundem filiorum
SS. Aurelij & Diogenis.
29. S. Petri Martyris.
30. S. Victoris Mart.

MAIVS.

1. S. Sigismundi Regis & Mart.
2. S. Faustini Mart.
4. S. Venerij Episc. & Conf.
5. S. Geruntij Episc. & Conf.

Conuersio S. Augustini Episc. & Confess.
Translatio S. Zenonis Mart.
6. SS. Victoris, Felicis, & centum sexaginta Martyrum.
B. Prudentiæ Virg. Ordinis S. Augustini.
7. Translatio S. Petri Martyris.
8. S. Victoris Mart.
9. S. Ephenici Mart.
SS. Casti & Polimij Confessorum.
B. Iacobi Sitoni Conf. Ord. Prædicatorum.
Translatio Reliquiarum SS. Apostolorum.
Translatio S. Felicis Mart.
10. Translatio S. Nazarij Mart. cum eiusdem Inuentione vnà cum Corpore S. Celsi pueri.
11. S. Miri Eremitæ.
13. S. Natalis Episc. & Confess.
14. SS. Victoris, Nemoris, Felicis & Rustici Martt., item SS. Victoris & Coronæ Martt.
Translatio S. Victoris Mart.
Translatio S. Felicis Papæ & Mart.
18. S. Candidæ Virg. & Mart.
19. SS. Candidi & Clementis Martt. ac S. Marcellæ Virg. & Mart.
22. S. Christophori Mart.
23. S. Desiderij Episc. & Mart.
24. S. Robustiani Mart.
25. S. Dionysij Episc. & Conf.
27. Translatio SS. in Basilica S. Simpliciani iacentium.
28. S. Senatoris Episc. & Confess.
Translatio S. Calimerij Episc. & Mart.
29. SS. Sisinij, Martyrij, & Alexandri Martt.
S. Maximini Mart.
30. SS. Petri & Laurentij Martt.
S. Vincentij Mart.
31. SS. Cantij, Cantiani, & Cantianillæ Martt.
Translatio S. Ioannis Boni Episc. & Conf.

IVNIVS.

1. SS. Gratiani & Felini Martt.
2. S. Bonifacij Mart.
4. S. Quirini Episc. & Mart.
S. Clatei Episc. & Mart.
5. S. Florentij Mart.
6. S. Eustorgij II. Episc. & Conf.
S. Gerardi Confess.
9. SS. Primi & Feliciani Martt.
11. S. Barnabæ Apostoli & Episc. I. Mediolanen. Ecclesiæ.
12. SS. Basilidis, Cyrini, & Naboris Martt.
14. Translatio Reliquiarum SS. Cantij, Cantiani, & Cantianillæ Martt.
15. Translatio miraculosæ Imaginis B. V. Mariæ Triuillij.
16. S. Dariæ Virginis.
19. Translatio SS. Protasij & Geruasij Martt.
22. S. Paulini Episc. & Confess.
24. Secunda Translatio SS. Fidelis & Carpophori Martt.
26. S. Vigilij Episc. & Mart.
28. S. Arialdi Leuitæ & Mart.
29. Translatio Imaginis B. V. Mariæ ad Basilicam Laurentianã.
S. Floræ Virg. & Mart.
30. S. Theodosij Mart.

IVLIVS.

3. S. Lucinæ Virg. & Mart.
SS. Adeodati, Manifredi, & Ecclesij Presbyterorum, ac S. Sauini Diaconi.
4. S. Lauriani Episc. & Mart.
S. Alberti Episc. & Conf.
S. Henrici Confess.
8. S. Ampellij Episc. & Conf.
10. S. Ianuarij Mart.
S. Mauritij Mart.
12. SS. Naboris & Felicis Martt.

S. Vgutionis Mart.
S. Martiæ Mart.
13. S. Fortunati Episc. & Mart.
Translatio S. Iusti pueri, atque aliarum Insignium Reliquiarum Ecclesiæ S. Thomæ in Terra amara.
14. S. Optatiani Episc. & Conf.
16. S. Fausti Mart.
17. S. Marcellinæ Virg.
S. Ennodij Episc. & Confess.
18. S. Materni Episc. & Confess.
19. S. Theodori Episc. & Confess.
20. S. Margaritæ Virg. & Mart.
23. Translatio SS. Regum Magorum Mediolano Coloniam Agrippinam.
24. Translatio S. Seruiliani Mart.
S. Christinæ Virg. & Mart.
B. Antonij Conf. Ordinis S. Augustini.
25. S. Iacobi Apostoli.
26. Translatio Corporum Sanctorum iacentium in Basilica Victoriana.
Translatio SS. Anastasij & Iusti Mart.
27. S. Laurentij Episc. & Confess.
28. SS. Nazarij & Celsi Martt.
29. S. Theodori Mart.
30. S. Innocentij Mart.
31. S. Calimerij Episc. & Mart.

AVGVSTVS.

1. SS. Fidei, Spei, & Charitatis Virgg. & Martt.
Translatio S. Primi ac Reliquiarum S. Feliciani Martt.
4. S. Protasij Mart.
S. Perpetuæ Matronæ.
5. S. Virginiæ Mart.
6. S. Stephani Subdiaconi & Mart.
7. S. Carpophori Mart.
S. Fausti Mart.

8. S. Constantini Mart.
9. S. Firmi Mart.
S. Romani Mart.
10. B. Amadei Conf. Ordinis Minorum.
11. S. Fausti Mart.
12. S. Eusebij Episc. & Confess.
15. S. Alipij Episc. & Confess.
B. Alberti a Sartiano Conf. Ord. Minorum.
Translatio SS. Sisinij, Martyrij, & Alexandri Martt.
16. S. Simpliciani Episc. & Confess.
S. Titi Leuitæ & Mart.
S. Abundantij Mart.
S. Ambrosij Centurionis & Mar.
Translatio Imaginis B. V. Mariæ Rhaudij.
17. S. Mamantis Mart.
18. S. Agapiti Mart.
S. Raynaldi Episc. & Conf.
19. S. Iulij Mart.
20. S. Bernardi Abbatis.
22. S. Guiniforti Mart.
25. SS. Astantij & Antoniani Martt.
28. S. Augustini Episc. Conf & Doctoris.
30. S. Modesti Mart.
31. SS. Marci et Robustiani Martt.
S. Cæciliæ Virg. & Mart.
S. Candidæ Virg.
B. Bernardi Episc. & Confess.

SEPTEMBER.

3. S. Auxani Episc. & Conf.
B. Alberti Confess.
4. SS. Leonis & Marini Martt.
S. Iuliani Mart.
S. Prosperæ Virg. & Mart.
6. S. Petronij Mart.
S. Crescentij Mart.

8. S. Adriani Mart.
10. Translatio Imaginis B. V. Mariæ Seroni.
11. S. Valeriani Mart.
12. Translatio SS. Hippolyti, Feliciani, & Faustini Martt.
13. S. Maurilij Episc. & Confess.
Translatio S. Vrbani Papæ & Mart. atque aliorum Sanctor.
14. Translatio cinerum S. Barnabæ Apostoli.
15. S. Nicomedis Presbyt. & Mart.
S. Innocentij Mart.
17. S. Satyri Confess.
18. S. Eustorgij I. Episc. & Conf.
19. S. Ianuarij Mart.
20. S. Clicerij Episc. & Confess.
21. S. Iulianæ Virg. & Mart.
22. S. Maximi Mart.
S. Candidi Mart.
SS. Alexandri & Tiburtij MM.
24. SS. Theclæ & Felicis Martt.
25. S. Anathalonis Episc. & Conf.
26. S. Chrysonis Mart.
S. Ioannis Presbyt. & Conf.
Translatio Imaginis B. V. Mariæ Castelletti.
27. S. Caij Episc. & Confess.
S. Iustinæ Virg.
29. Beatæ Felicis Medæ Virg. Ordinis Minorum.
30. S. Sophiæ Matronæ.

OCTOBER.

1. S. Thomæ Episc. & Confess.
2. S. Diateriæ Virg.
3. S. Herculani Mart.
7. S. Marcelli Leuitæ & Mart.
B. Anastasij Conf. Ord. Minorum.
8. S. Pelagiæ Virg. & Mart.
12. Translatio prima S. Monæ Episc. & Conf.
S. Cornelij Mart.

15. B.Michaelis Carcani Conf. Ord. Minorum.
20. Dedicatio Basilicæ Metropolitanæ.
S.Ioannis III. Episc. & Confess.
24. Translatio S. Felicis Mart.
B.Ioannis Angeli Confessoris Ordinis Seruorum.
27. S. Matthæi Mart.
28. S. Fidelis Mart.
S Cyrilli Mart.
29. S. Quinctini Conf.
30. S. Saturnini Mart.
31. S. Antonini Episc & Conf.

NOVEMBER.

1. Commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, & Cõfessorum, atq; Sanctarum Virginum Mediolanen. Ecclesiæ.
3. S. Latinæ Virg. & Mart.
4. S.Caroli Cardinalis Episc.& Conf.
5. S. Magni Episc. & Confess.
8. S. Victorini Mart.
9. Aurelij Episc. & Confess.
12. S. Arsatij Episc. & Confess.
13. S. Antonini Mart.
16. S. Valerij Mart.
17. S.Eugenij Confess.
20. S Benigni Episc. & Conf.
21. S.Clementis Mart.
23. S. Felicitatis Mart.
24. S.Protasij Episc.& Confess.
25. S.Moysis Presbyt. & Mart.
26. S.Nataliæ Virg. & Mart.
S. Audentij Confess.
28. B. Iacobi de Marchia Conf. Ord. Minorum.
29. S. Saturnini Mart.
30. Baptismus S. Ambrosij Episc.& Confess.

DE-

DECEMBER.

1. S. Castritiani Episc. & Conf.
2. S. Bibianæ Virg. & Mart.
3. S. Miroclis Episc. & Confess.
4. S. Fulgentij Mart.
   S. Felicis Episc. & Confess.
6. Vigilia Ordinationis S. Ambrosij Episc. & Confess.
7. Ordinatio S. Ambrosij Doctoris & Patroni.
10. S. Abundij Leuitæ & Mart.
14. S. Matroniani Eremitæ.
15. SS. Antonij & Basilij Martt.
    S. Aureliæ Virg. & Mart.
23. S. Victoriæ Mart.
26. B Pagani de Leuco Mart. Ordinis Prædicatorum.
28. SS. Infantum Innocentum.
29. S. Felicis Mart.
30. S Eugenij Episc. & Confess.
    Apparitio B. V. Mariæ prope Templum S. Celsi.
31. S. Fabiani Mart.
    S. Eugeniæ Virg & Mart.
    S. Paulinæ Virg. & Mart.

FINIS.

